v. 1
pt. 1
84-B
architectural pt 1 vitr
Getty Research





M. VITRUVII


POLLIONIS

ARCHITECTURA

VOL. I. P. I.



UTINI
APUD FRATRES MATTIUZZI
MDCCCXXV



1250

M. VITRUVII POLLIONIS
ARCHITECTURA

TEXTU EX RECENSIONE CODICUM EMENDATO

CUM

EXERCITATIONIBUS NOTISQUE NOVISSIMIS

JOANNIS POLENI

ET COMMENTARIIS VARIORUM

ADDITIS NUNC PRIMUM STUDIIS

SIMONIS STRATICO

Vol. I. P. I.

UTINI
APUD FRATRES MATTIUZZI
ANNO M.DCCC.XXV
IN OFFICINA PECILIANA

PRAEFATIO EDITORUM

Eruditae Joannis Poleni, et Simonis Stratico in Vitruvium lucubrationes, jam usque a superioris saeculi dimidio promissae atque expectatae, eo nunc demum tempore prodeunt, quo viri alii doctissimi novis adjuti cognitionibus artium scientiarumque annalibus nuperrime consignatis, splendoris plurimum in Classicum illum contulerunt, quem tot saeculis clarissima cultioris Europae ingenia novimus exercuisse. Hodie nationes omnes Classicorum studiosae suum habent Vitruvium.

Italia, artibus et scientiis nulli secunda, editionem accepit sedula Galiani opera concinnatam, quae omnium ferme eruditorum desiderio satisfecit. Siquidem textus pluribus ab eo locis emendatus; italica interpretatio, quantum res ipsa sinit, nitida est atque perspicua; annotationes praeceptis refertae artis professoribus utilissimis; adeo ut Milizia, censor ille acerrimus dixerit, Galiana editione solis instar exeunte, caeteras omnes protinus evanuisse.

Gallia Perraultii sui Vitruvio tenetur. Neque immerito sane. Quis enim non viri illius plurimi

faciendum opus existimet, qui omnes tum physicas, tum liberales disciplinas apprime callebat? qui pulcherrimas doctorumque admiratione dignissimas ingentium aedificiorum frontes, Palatii vulgo *Louvre*, Observatorii Parisiensis, magnique Arcus Triumphalis, quo opera ejus generis omnia facile superantur, tam ingeniose excogitavit?

Anglia Guilielmi Newtonii Vitruvium Architectis suis utilissimum ducit. Hujus tamen gloriam brevi erit fortasse obscuratura splendidissima Wilckins interpretatio, cujus aliquae solummodo partes lucem hactenus aspexere.

Hispania Ortizii Vitruvio videtur esse contenta. Quod si Rodianam satis non probavit Germania, Schneideri editionem certe habere debet acceptissimam, qui perdiligenti probatissimorum codicum investigatione, et criticae severioris acumine textum pluribus in locis magna cum laude castigavit.

Nihilominus novam aliqui Vitruviano operi lucem adjici posse opinantur, proindeque in ipso elaborant ejusmodi spe adducti, ut nova insuper doctrinarum praecepta in artis adjumentum evolvant. Italis ipsis Galiani opus haud satis arridet. Non parum quidem post illum desudarunt et scripserunt inter caeteros Blanconius et Romae degentes

Fea et Marinius. Quinimo de hoc publicis nuper litteris ab amico praedicatum fuit (quod nostrum non est inficiari) unum hunc esse, qui Vitruvium numeris omnibus absolutum valeat evulgare.

Neque desunt hodierna die, qui de ipsis Vitruvii principiis magna inter sese animorum contentione disceptant, aliis nimirum censoria nota carpentibus, aliis graviter acriterque Vitruviana documenta tuentibus. Quemadmodum enim nostris hisce temporibus eruditorum sententiae de veteri, aut novissimo Poeseos, Picturae, Sculpturae, caeterarumque artium studio; ita de Architectonicae disciplinae ratione, factis duabus veluti turmis, acerrime digladiantur. Ex quibus aliqui illud tamquam fundamentum constituunt, universam artium pulchritudinem atque rationem suis veluti finibus contineri, quos ultra citraque nequit rectum ullo pacto consistere. Alii vero tuentur, nos posse, ipsa duce Philosophia, legibus hucusque servatis excedere, atque recenti consuetudine edoctos artium pulchritudinem ab ipsis haurire fontibus e novis, juxta eorum opinionem, usibus societatis humanae profluentibus, quae ad quamdam non definitae perfectionis excellentiam jam videtur assurgere. Itaque hi postremi, ubi de re Architectonica agitur, rationem

Gothicam, accedente illa quam genus hoc sibi vindicat libertate, modis vetustis volunt esse anteferendam; priores vero Graecos dumtaxat et Romanos, qui, ipsius naturae fontibus quodammodo exhaustis, formas omnes graphice effictas protulerunt, universae posteritatis oculis perpetuo proponendos arbitrantur.

Inter oppositas hasce sententias media quaedam, quae hodie maxime viget, sub finem praeteriti saeculi orta est. Huic plures illis praesertim diebus, cum universis socialibus disciplinis Philosophia dominaretur, mordicus adhaeserunt. Novas etenim formas, quibus isti methaphysicas, morales, et politicas institutiones instaurare nitebantur, ingenuis quoque artibus addi oportere, easque ad rationis praecepta penitus conformari voluerunt. Sicuti autem summi etiam Poeticae patres et duces vitiis quibusdam non caruere in iis quoque rebus, quae mentis animique vim alliciebant, concitabantque; sic et in caeteris sororibus, atque Architectura potissimum, eadem ferme incommoda occurrerunt. P. Lodolius, mentis acerrimae vir, Architectonicae elegantiae legibus gravi trutina ponderatis, Vitruvium unaque antiquos omnes aggressus est, tanquam errata passim redarguendo, quae a lauda-

tissimis artificibus ornamenta vocitari consueverant. Sed quamvis Cynici hujus celeberrimi querelae atque animadversiones consilii philosophici judicio probatae sint, idemque quasi veritatis antesignanus cum Socrate ipso fuerit comparatus; tamen scite observatum est, multo esse facilius quae sunt effecta destruere, quam nova veteribus meliora sufficere. Nonnulli praeterea contendunt, perperam, ubi de artibus loquimur, solam rationem invocari, artesque ipsas inutilibus, ut dictitant, velle ornamentis exuere: sunt enim haec veluti aurea quaedam vincula societatis, quae non utilitate tantum ali, sed suavitate quoque vult allici et voluptate teneri. Quare homines numquam, donec imaginandi facultate polleant, sola poterunt ratione duci et gubernari.

Licet itaque magnum postremae huic opinioni nostra aetate robur accesserit, studium tamen illud et formam, quam veteres tum scriptis, tum monumentis ad haec usque tempora transmiserunt, haudquaquam potuit abolere. Imo ardor et vis illa, qua praesentis aetatis ingenium graviores scientias mirum in modum excitavit, easque exercendis mechanicis artibus adhibendas curavit, tantum abest ut lumen artium pulcherrimarum extinxerit, ut contra splendidissimas ve-

terum rationes ac dignitatem revocasse, suaque imaginandi facultati reddidisse jura videatur. Ita mehercule. Accuratiores disciplinae viam hominibus fecerunt expeditiorem ad terras et maria perlustranda, ad comparanda transvehendaque instrumenta, quibus Graecorum, Romanorumque patrum cultus et gratia ruinis jam obruta detegeretur, ad reliquias denique praestantissimorum orbis universi operum e ruderibus eruendas, in quibus intellectus critices face instructus exemplaria sola cultioribus gentibus aeternum inspicienda recognovit. Philosophia sane, novis circa optimarum artium dignitatem investigationibus repudiatis, pristino nomini classicos magistros restituit, suoque ipsa studio nititur et labore ad earundem principia enucleanda, ad veterem splendorem revocandum, ad decus formamque illam restituendam, quam temporum barbarorum inscitia foedissime adulteratam conquerebamur.

Quapropter dum haeremus ancipites, an opus aliquod perfectionis apicem attingat nec ne, statim cum opere alio ejusdem generis vetusto illud solemus comparare. Ita in Gallia, postquam vehementissimum ingeniis illis incitamentum illatum fuit novo illo rerum ordine, qui nimia ab aliis contumelia, commendatione ab aliis nimia

fuit cumulatus, tunc germana Architectonices ratio reflorescere visa est, quae Ludovici XV. aetate interierat. Eo enim tempore aedificia ejusmodi subito vidimus excitari, quae eo lautiora habita sunt, quo ad Romanorum operum amplitudinem propius accedere videbantur. Triumphalis Carruselii arcus, Vandomici fori columna formam veterum praeclare aemulantes immortalem Peirio, Percierio, Fontenio, Gondonio, Leperio nominis famam pepererunt. Et quidem, ut Galliam sileamus, dum ultro sese nobis Italia offert, artifex ille recentiorum longe maximus, Antonius Canova, quum delubrum Creatori cogitaret, Parthenone Athenarum, ac Romae Pantheo meliusne potuit excogitare?

Si igitur, diversa Schola in medii aevi feritate exorta, aliaque saeculo superiore Philosophiae judicio comprobata repugnantibus, juxta scientiarum progressum classicae Architecturae studium in dies augescit et roboratur, nonne erit operae pretium doctrinas, praeceptaque explanare, quae unus tam remotae vetustatis magister sola posterorum utilitati reliquit? Vitruvius erit semper sane dignissimus, qui Architectonices pater habeatur, cultaque posteritas studiosis hominibus, qui ingenti eruditionis supellectile e scientiarum promptuariis derivata improbam ad eum

illustrandum operam contulerunt, beneficium tantum perpetuo referet acceptum.

In eo non immorabor, utrum scilicet a quibusdam, quas sui in ipsum adversarii factitarunt, accusationibus queat defendi Vitruvius. Scio equidem plura in illo reprehendi solere; nimirum ordinum partem leviter eum infeliciterque attigisse, altitudinis diversae columnas eodem in ordine collocasse, eundem Jonicis, et Corinthiis scapum, eandemque basim tribuisse, de januis Hetruscis tacuisse omnino ac de porticuum arcubus, basis Atticae altitudinem oblitum, neque satis peritum se recti ordinis magistrum exhibuisse. Illud quoque praetereo, an negari possit, a recto interdum venustatis Architectonicae tramite Vitruvium deflexisse, epistylio prominentias dedisse, plinthum rotundam sub Hetrusca basi deformiter collocasse, ordinum diversorum columnas in eadem superficie permiscuisse, angulorum columnas intus ad perpendiculum, foris vero imminutas statuisse; itemque se in monumentorum suorum dimensionibus, aptaque proportionum convenientia caeteris architectis minorem ostendisse, ac demum Fanense templum ita excogitasse, ut Romanorum aedibus nullo pacto comparandum judicetur.

Attamen verae hujuscemodi in Vitruvium animadversiones sint, falsaeve, nihil plane ad ejusdem illustratores. His siquidem illud dumtaxat incumbit, ut praestantissima ejus volumina a plurimis obscuritatum mendis accurate detergant, quas non auctori tribuendas novimus, sed injuriae solummodo temporis, quod inexorabili morsu litteras exedit, monumenta ab eo delineata contrivit, atque opera ipsa, quae suis in codicibus effinxerat, crudeliter depastum est.

Crebrae igitur mutationes, verborumque inversiones foedissimae amanuensium imperitia patratae, immissae in textum adnotationes, quae ad res dilucidandas dumtaxat positae in marginibus fuerant, schematum ad artem pertinentium jactura, hae potissimae habentur obscuritatis Vitruvianae rationes. Quare nisi critices lumen ad volumina ipsa penitus emendanda, pristinaequae integritati restituenda accesserit, nunquam veram Classici hujus amplitudinem ac dignitatem aestimatum iri ausim affirmare. Quod si quis pertinaciter opinetur, diligentissima etiam emendatione adhibita, nihilominus Vitruvium propter inusitatas, maxime vero propter neque Graecas omnino neque omnino Latinas, ac proinde difficillimas, quibus passim utitur, voces, eum semper plurimum obscuri-

tatis habiturum, non ego id facile concesserim.

Atque hic juvat incredibilem illam locutionis vicissitudinem attentius considerare, quam Grajae artes jam a deleta Corintho agresti Latio, quo post victoriae currum pertractae sunt, protinus intulerunt, cum iis minime assentiendum censeamus, qui Hetruscos artium magitros contendunt Quiritibus extitisse. Etenim Graeci una cum Romanis opificibus almae Urbis aedificiis erigendis intenti, propriasque artis voces familiari sermone usurpantes, primigeniam eorum integritatem servare non potuerunt. Hinc Graeca hujusmodi verba quamdam veluti Romanae pronunciationis formam induerunt; et quoties processu temporis artis vocabula Graecae originis adhiberi oportebat, forma et ratione vulgari, quam acquisierant, exprimi debebant. Licet enim penes Scriptores arbitrium, ut dicitur, sit facultasque linguarum; alteram tamen veluti naturam a plebis familiari, atque usitata loquendi consuetudine adispicuntur. Quapropter sermonem ac voces emendare potius quam condere Scriptorum est. Quis enim non videat, vocabula scientiarum propria, scriptorum Latinorum operibus inserta, omnia fere Graecorum fontibus esse deprompta, quamvis, ut ajebat Horatius, *parce detorta*?

Verum hujusmodi Poetae monitum, ubi de disciplinis agatur, quas eruditi homines profitentur, tum quidem poterit rite servari. Quod si de artibus illis loquamur, quibus turba et vulgus exercetur, tunc profecto vulgi et multitudinis usum (intra certos terminos tamen) sequi oportebit. Qua de re opportunissimum nobis recentiora idiomata praebent exemplum. Si enim complurium Italarum vocum originem scrutari velimus, Latinam certe, aut Germanam, aut Narbonensem deprehendemus; verba autem singula ex hisce linguis educta, licet maternis radicibus inhaerentia, sono tamen et forma maxime diversa ac discrepantia recognoscentur. Quicumque igitur de quavis arte disserendo, aut scribendo sese ab artis suae hominibus velit intelligi, eadem plane qua utuntur ipsi, utatur lingua necesse est, eo tamen addito cultu elegantiaque verborum, quam linguae ipsius natura expetere videtur.

Hic porro mihi parumper digrediendum putavi, ut eo magis ostenderem, quanti referat Vitruvii illustratorem sedula textus inquisitione agnoscere, utrum vocabulum in ipso occurrens suapte sit natura obscurum, an vero perturbationibus barbara librarii manu patratis. Ubi autem vocabulum nativae simplicitati redditum sit,

commentari illud, accurateque interpretari ad illustratorem maxime pertinet. Quod ut assequatur, locutionem oportet omnibus impedimentis exsolvere, quae non ab Auctore, sed a scholiis ignoranter immissis, sive ab inconditis periodorum membrorumve inversionibus exorta fuisse existimandum est. Hoc autem opus, hic labor est. Haec pars occurrit, in Vitruvio expediendo longe difficillima, quae viros postulat sapientissimos ad eam accurate perficiendam.

Quoniam itaque tanti ponderis ac momenti opus Joannis Poleni, et Simonis Stratico lucubrationes et studia diuturna spectarunt, eorumdemque doctrinae atque eruditionis fama vehementissimum in omnibus desiderium excitavit, ut praeclari eorum labores publicam vitam consequerentur; hinc nullo certe id tempore visum est opportunius perfici posse, quam eo, quum opinionum discordia nihil obstante, juxta quotidianas artium progressiones veterum Classicorum amorem universim dominari intueremur. Quamobrem evulgatione tam desiderati operis jam jam imminente, ei cui Poleni et Stratico lucubrationum cura demandata est, necessarium videtur de iisdem breviter praefari, ut tum artium, tum litterarum studiosi utilitates et commoda

nostrae prae aliis editionis intelligant, et bona maxima prospiciant, quae ex eadem non ad nobilissimum Architectonices studium tantummodo, sed ad litterarum etiam scientiarumque emolumentum ac dignitatem sunt profectura.

Ad corrigendos dilucidandosque Vitruvii libros perspicacissimus Poleni probe intellexerat, primum omnia sibi auctoris manuscripta, omnes pervetustas editiones consulendas esse, omnia opera ad trutinam revocanda, quae superiorum aetatum interpretes confecerant. Labor ingenio cuilibet formidandus patientissimum Poleni animum minime deterruit. Suis jam in Vitruvium exercitationibus ab an. 1739. ad 1741. editis satis ostendit, se indefessa trigintaquinque annorum sollicitudine tam laboriosam investigationem feliciter absolvisse. Vigintiocto manuscripti codices variantes illi lectiones obtulerunt. Quorum alios ipsemet diligenter inspexit, alios vero liberalissimo perillustrium litteratorum, ac praesertim Roberti Mead, Stephani Balutii, Alberti Fabricii, Muratorii, et Maffei adjumento recognovit. Codices autem universos ad sua usque tempora evulgatos, textus in varias linguas conversiones, commentarios atque opuscula singula Vitruvium spectantia suis ipse oculis perscrutatus splendi-

dam, quam cogitaverat, impressionem comparavit.

Hinc prima ac praecipua haec illi cura fuit, ut codicum, atque editionum omnium catalogum criticis observationibus instructum exhiberet, non eo jam consilio, ut ab eruditis totus perlegeretur, sed ut perpetuum ejusmodi laborum suorum monimentum tamquam amplissimum repertorium foret, quo litterati opportune uterentur. Caetera opuscula vero diversis temporibus ad Vitruviani textus explanationem impressa, praefationibus notisque doctissimis diligenter instruxit, eaque permagno operi integra inseri voluit.

Loca Vitruvii difficiliora ea sunt, ubi loquitur de Scamillis imparibus, de ratione volutae capituli Jonici construendae, de vasis theatralibus, quae veteres in totidem cellulis e pariete cavatis locabant, ut echo ab iisdem repercussa leniorem ad auditorum aures vocem suavioremque reportaret. Cum igitur de ipsis hisce rebus et Baldius, et Goldmannus, et Bertanus, Salviatus, Cavalierius, Kircherus singillatim disputassent, aequum fuit, tantorum ingeniorum inquisitiones plurimi facere. Insuper Poleni editio locupletanda erat epitome a Philandro concinnata operis de veterum ponderibus atque mensuris in

Laetii impressionem antea illata, quae cum notiones omnes Graecorum Romanorumque mensuras et pondera respicientes summatim complectatur, velut clavis haberi potest, qua Vitruviani textus ambages aperiantur.

Neque vero Poleni diligentia Geometricis antiquorum cognitionibus abstinuit, propositiones ad textum argumentaque revocando, quae ad exponendas, sive emendandas Vitruvii doctrinas sibi possent auxiliari. Hinc in ejusdem opere locum obtinent Athenaei ac Diodori in cochleam Archimedis disputationes, Davidis Rivalti in rem eandem scholia, Jacobi Ziegleri animadversiones in Berosi hemiciclum, scitissimae demum Joannis Alberti in Picturam, necnon Pomponii Gaurici et Ludovici Demontiosi in Sculpturam considerationes. Quae artes utpote Architecturae sorores, Physicaeque, ac Matheseos principiis ab eximiis hisce viris discussae ad Vitruvianas transitiones expediendas plurimum conferunt adjumenti. Cum itaque Poleni Mathematicas disciplinas penitus nosset, has quoque veterum notiones artibus adhibitas maximopere profuturas agnovit; ac proinde in sua ad Muratorium epistola, oportere, inquit, permultis in locis Mathematicis uti notionibus, sed prout disciplina haec

Vitruvii temporibus vigebat. Attamen ejusdem elucubrationes in textum ab eruditis, artificibusque Architectonicen scite profitentibus omnium maxime praeoptantur.

Lectio, quam editionis suae fundamentum ille delegit, eadem ipsa est quam Philander caeteris jam praetulerat, quamque ipse Poleni, codicibus aliisque impressionibus sedulo perlustratis, castigandam suscepit. Verumtamen ad majorem legentium commoditatem partitionem servavit in capitula et articulos, quam in codice *Bessarione* repertam ingeniose amplificavit, difficultatibus sublatis, quae ex oratione continenti oriebantur, qualem non ignoramus Vitruvium conscripsisse. Textui autem a se expurgato Philandri commentaria adjecit, atque a Barbari, Perraultii, Salmasii, aliorumque scholiis optima quaeque expressit, redundantia atque inutilia rejiciens, eaque corrigens, quae minus recta viderentur. Quod vero ad philologicas adnotationes pertinet, socium adhibuit generum clarissimum, Julium Pontedera, omnigenae eruditionis latinique nitoris laude spectatissimum.

Novimus porro sollertem ordinis curam, animadversionum concinnitatem, critices judicium et sagacitatem, locutionis perspicuitatem atque ele-

gantiam, ingeniosam illustrationum ubertatem in commentatoribus plane requiri. Ubi enim in hujusmodi praesertim operibus criticae philosophicae lux et acumen desiderentur, tam ingentia illa commentariorum volumina, inanis fatuae eruditionis pompa, omnia plane poterunt non modo ullo sine detrimento, sed magno etiam scientiarum omnium lucro ac dignitate comburi. Neque idcirco tamen strenuis interpretibus eruditio et fontes celandi sunt, e quibus notiones rerum et probationum robora deprompserunt. Quin maxima eisdem esse debet cura, ut arreptarum cognitionum promptuaria et locos quam diligentissime proferant, quo appareat, refugere sese pavonis pluma turpiter ornari, ac solummodo cum hominibus consentire, qui nominis claritatem in litterarum republica consecuti sunt.

Omnes prorsus hujusmodi dotes, fatendum est, in Poleni commentariis non ita facile deprehendes, et quod minutae nimium ejusdem observationes interdum videantur, et quod omnium sententias, qui quomodocumque Vitruvium nominarunt, in suas paginas religiose ingesserit. Verumtamen quisquis studiose eum voluerit et patienter sequi, ea fere commoda sese ex illo

sentiet assecuturum, quae ex ubere et sapienti commentario consuerunt obtineri.

Quod si ejusdem notas in Vitruvii schemata, quae amissimus, earumque reparationem inspiciamus, suis quam optime fieri posset temporibus, ipsum fecisse comperiemus. Ordinem itaque Perraultii secutus figuras omnes ad duo genera revocavit; alias nempe ad sola lineamenta, haeque indicandis dimensionibus, proportionibusque in textum collatis inserviunt; aliae adumbratae existunt, tum ut appareat, qua possint ratione ad actum proportiones ipsae traduci, tum ut queat oculorum sensus delectari.

A Perraultio quidem plura schemata ad editionem suam exornandam Poleni est mutuatus, ea relinquens quae mendosa videbantur, hisque alia veluti Ichnographiam, Ortographiam, Scenographiam, monumentis a se ipso perlustratis, attente recognita subrogavit. Praeterea figuras ille consuluit, quae in usu Prospectivae Danielis Barbari habentur, sed eas quae ad theatrum antiquum pertinent, accuratius inspectavit. Plurimas etiam curavit diligenter incidi, ac potissimum ordines columnarum ornatusque spectantes, quae in Philandri, Blondelli, Rusconii, aliorumque paginis sparsim inveniuntur.

Verum operibus caeteris a Poleno excogitatis utilior visa est Lexici Vitruviani amplificatio a Bernardino Baldi jam confecti, post quem quorumdam artis vocabulorum magis propria definitio reperta est; quinimmo complura omnino condita sunt.

Artes peculiari lingua, sibique plane propria semper usae sunt; proutque rationes earumdem creverunt, ipsarum quoque dictionarium adauctum est. Quapropter merito eruditi recentiores, ac primum Alberti, tum Veronensis Philologus vocibus cunctis, quae ad artes pertinent, lexica locupletanda duxerunt. At vocabulorum declarationes quae ab hujusmodi dictionariis exhibentur, artificum desiderio, multoque minus eorum qui artes haud profitentur, satis minime faciunt. Huic sane incommodo Baldi Lexicon Poleni sagacitate castigatum et auctum, quod partem Architectonicam spectat, plenius occurrere potuisset, nisi mors, quae Polenianum opus, Vitruvianum quoque Lexicon immaniter detruncasset.

Hinc una cum ipso commentaria quoque interrupta nobis relicta dolemus, adeo ut priores tantum quinque Architecturae libri ab eo potuerint ad excogitatum exemplar concinnari. Sexaginta circiter tabulae aeneae, et ligneae prope du-

centae ad priores illos libros pertinentes inventae sunt. Ex quo nemo profecto est, qui plane non intelligat, quanti intersit operi, quod magno praestantissimi hominis ingenio labore tanto tantoque tempore steterat, virum aliquem liberalium artium publicaeque utilitatis studiosum extremam denique manum imponere.

Ad tanti ponderis caeptum continuandum perficiendumque homine opus erat, qui exquisita foret doctrinarum copia abunde excultus, ut his veluti ducibus, iisque insuper opitulantibus disciplinis, quibus a Poleni interitu tam miras, tam praeclaras accessiones factas esse conspicimus, per omnes res a Vitruvio commemoratas strenue valeret exspatiari. Quod si e mathematicis puris adjumenti parum posset amplius exspectari, non ita de physica tum generali, cum peculiari dicendum quae experientiae ope veritatis magistrae tunc vigescebat, maximeque in dies roborabatur.

Simon Straticus patriae suae decus, et clarissimum Gymnasii Patavini lumen atque ornamentum, Venetae Reipublicae consilio is habitus est, ad quem unum pretiosa Poleni volumina jure pertinerent, quique unus eadem posset emendationibus, opportunisque additamentis illustrare, quae aetatis illius ratio deposcere videretur. Qua-

re Poleniano Vitruvio publica sibi auctoritate concredito, opus Poleni ingenio excogitatum latius promovendum esse judicavit. Primum siquidem auctoris textum iterum caepit mente diligentissima scrutari ac pervolutare suas illis locis animadversiones adjiciens, qui nova recentiorum doctrinarum accessione magis poterant enitescere, simulque interpretationes in quinque postremos Vitruvii libros eo perficiens ordine, quem a decessore clarissimo traditum acceperat. Notiones suis lucubrationibus opportunas e praedictis Galiani, Newtonii, Ortizii fontibus hausit, eis potissimum usus, quae ad monumentorum explanationem maxime commoda ab iisdem detecta fuerant atque evoluta. Hinc cum horum illustratorum schematibus Poleniana schemata conferens, Ortizioque praesertim ac Newtonio inhaerens complura instauranda suscepit, inter quae condendae civitatis aream, fanum in Antis, forum, basilicam, atque palaestram. Praeterea circa posteriores quinque libros, quibus figuras non vacavit inserere, splendida auctorum, quos memoravimus, exempla statuit inspicienda, non tamen neglecta recentiorum pervestigatione, inter quos eminent Cameronius, Burlinghtonius, Stwarthius, aliiqui complures; adeo ut pulcherrimis variorum exem-

plaribus reliquum operis ab eo fuerit splendide condecoratum. Diuturna Stratici in Vitruvium studia alio spectarunt ac Poleni exercitationes in Architectonicam veterum scientiam, resque diversas ab ipsis in aedificiis erigendis adhibitas.

Mirum sane videtur, tantam veterum fuisse in aedificiis extruendis industriam, ut cum venustate soliditatem praeclare conjungerent, adeoque disciplinas omnes ad hoc praestandum opportunas prorsus edocti viderentur. At enimvero graviores scientias, quamvis quotidie progredi, atque aetate hac efflorescere conspiciamus; illud tamen fateri oportet, non ea circa artes nunc efficacitate valere, qua Graecis Romanisque temporibus accepimus valuisse. Mechanica, Chymica, Hydraulica, caeteraeque Physicae partes hodierna sunt die magis quam saeculis elapsis positivae, nostrumque artes aliqua ex iis, uti observatum est, incrementa cepere. Verum Romam paulisper intueamur. Num architectonica ejusdem hodiernis poterunt monumenta coaequari? Quis Scalae, et S. Caroli theatra cum amphiteatro Flavio et theatro Marcelli, domos aetatis nostrae cum palatio Scauri, regias cum palatio Caesarum, aedes sacras cum Templo Pacis audeat comparare? Quid de viis publicis, de aquaeductibus,

caeterisque lautissimis temporis hodierni operibus, quae amplitudine, firmitate, magnificentia viae Appiae, et Flaminiae, Romaeque aquaeductibus non posse conferri, artificum peritissimi fateantur necesse est?

Si e veterum scriptis nihil omnino liceret ediscere, quaenam laus illorum esset, aut commendatio qui diu noctuque Classicorum paginis haerent penitusque contabescunt? Interpres ille, qui omni utilitatis ratione seposita, eo dumtaxat consilio in Vitruvium elucubraretur, ut nodos ac difficultates expediret, an eximio sibi beneficio civilem societatem obstringeret? An permagna ei gratia ab eruditorum republica esset habenda? Porro studium omne, omnis labor atque interpretandi sollicitudo ad commune bonum solummodo referenda est, quod ex enucleata auctoris alicujus doctrina universae possit hominum familiae exoriri.

Atque hoc plane illud est, quod vir egregius Simon Straticus tot curis tot laboribus exantlandis sibi praestituisse censendus est, cum Vitruvianae ejus exercitationes alio non referantur, quam ad evolvendas, fusiusque explicandas physicas antiquorum notiones atque sententias, quae cum privata, tum publica aedificia erigenda respiciunt.

Scite, ut opinor, ille ac diserte de aedificiorum fundamentis, de machinis, de columnarum ordinibus, de theatris, de Romanorum thermis disputavit. Diversae ejusdem in res hasce ipsas exercitationes totidem sunt dissertationes singulari doctrina, ac praestanti eruditione plenissimae. Quod si de quibusdam physicae partibus disserens, nuperis forte hujus disciplinae cultoribus minus probetur, non certe minorem propterea ei laudem tribuendam arbitramur, cum res physicas ita omnino profiteri cogeretur, quemadmodum temporis illius, ac disciplinarum ratio postulabat.

Etiamsi igitur, confecto ferme triginta annorum studio, supremum aspexerit diem, quin necessarias codicibus suis mutationes, vel additamenta inducere potuerit; tamen non sine gravissimo reipublicae litterarum detrimento doctissima hujusmodi commentaria publicam intueri lucem prohiberentur. Quocirca Vitruvianam ipse editionem haeredum suorum praecipue vero Joannis Baptistae Stratico, egregii equitis ac nepotis lectissimi curae fideique demandavit. Qui tanti viri memoriae devoti voluere, ut antequam opus illud ingentissimum emitteretur, manuscripta apte atque ordinatim redigerentur, mendisque omnibus, quae

in re tam ardua tamque prolixa, neque unquam ab auctore recognita vitari haud poterant, quam accuratissime detergerentur. Id autem diligenter praestitum est editioni praesenti quaedam addendo a recentioribus probatioribusque, ac praesertim a superius commendata Schneideri impressione deprompta.

Quod si, hisce omnibus sedulo peractis, futurum tamen sit, ut latina locutio alicubi minus aurea videatur, benevolos lectores ducimus admonendos, ejusmodi incommodum argumentorum, quae aguntur, naturae, operisque ipsius diuturnitati ac laborum improbitati esse tantummodo adjudicandum. Aquilam enim nunquam oportet oblivisci, quae postquam aereas regiones diu et sublimiter evolando peragravit, delapsa plumis tandem defatigatis, saxo cogitur insidere. Tum illud etiam recordari aequum est, de quo monebat Venusinus, longo quandoque itinere delassatum ipsum quoque Homerum dormitare. Quamdiu igitur suus virtuti stabit honos, quamdiu homines illos eruditissimos, qui aetatem vitamque omnem artibus atque scientiis abdiderunt, praeclare de omni genere hominum meritos esse judicandum est; perillustria sane Poleni et Stratici nomina posterorum litteris atque linguis celebrabuntur,

et quemadmodum Roma Vitruvio, primo Architectonicae disciplinae magistro, jure gloriatur; ita et Venetiarum urbs geminorum ejusdem Illustratorum matrem se perpetuo gloriabitur extitisse.

DISTRIBUTIO OPERIS

Opus constabit quatuor voluminibus, quorum unumquodque in partes dispertietur.

1. Exercitationes Vitruvianae Jo: Poleni jam editae, et ineditae Simonis Stratico.

2. Textus Vitruvianus integritati pristinae restitutus juxta Poleni, Stratico, et praesertim professoris Pontederae criticas observationes, ope codicum manuscriptorum probatae fidei.

3. Notae integrae Philandri, et excerptae a Barbaro, Salmasio, Laetio, Perraultio, Galiano, Ortizio, nec non a recentioribus Vitruvii interpretibus, interjectis amplissimis commentariis Jo: Poleni et Simonis Stratico.

4. Exercitationes Poleni novissimae, seu ejusdem novissima collectio opusculorum quorumdam auctorum, qui Vitruvium illustrarunt.

5. Exercitationes Simonis Stratico ultimae.

6. Lexicon Vitruvianum Baldi cum additamentis Poleni et aliorum, et synonymis italicis et gallicis verborum technicorum.

7. Index generalis rerum et verborum Vitruvii, atque eorum quae in commentariis continentur.

8. Commercium epistolare in Vitruvium Pole-

ni et Stratico cum praeclarissimis viris, inter quos eminent Muratorius, Mapheius, Havercampius, Fabricius, Zenus, Zanottus, Manfredius, Galianus, Bottarius, Temanza, Ortizius etc.

Opus omne tabulis aeneis fere centum et viginti, ac figuris ligneis pene ducentis exornabitur.

EXERCITATIONES

VITRUVIANAE PRIMAE

HOC EST

JOANNIS POLENI

COMMENTARIUS CRITICUS

DE

M. VITRUVII POLLIONIS

ARCHITECTI

X. LIBRORUM EDITIONIBUS

NEC NON DE EORUNDEM EDITORIBUS

ATQUE DE ALIIS QUI VITRUVIUM QUOCUMQUE MODO EXPLICARUNT

AUT ILLUSTRARUNT

Posteaquam in Sex. Julii Frontini de Aquaeductibus Urbis Romae Commentario fidei antiquae restituendo atque explicando tirocinium quodammodo posui, et doctorum hominum edita judicia, nec non amicorum monita excepi libens, mecumque reputavi diligenter per utrosque profecturus; subjit studium tentandi quidpiam majus: cumque ante alia Libri objicerentur M. Vitruvii Pollionis de Architectura, de iis singulari cura et diligentia edendis cogitare coepi. Atque initio visum illud est prae caeteris necessarium, ut sedulo vestigarem, penitusque noscerem Librorum eorundem ab aliis vulgatas editiones, tum latinas, tum eas, quibus de latina in alias linguas conversi habentur, itemque complures manu exaratos Codices, ut et in eos Libros annotationes, observationes, verbo, commentaria quaecumque, quibus viri excellentes ingenio doctrinaque, conati sunt pro virili parte Vitruvianum opus emendare, explicare, atque illustrare.

Facile enim intelligebam futurum, ut diligentia haec mihi afferret nonnihil commodi: nam aut indicaturam, messem ita jam factam, ut spicilegii vix ullius spes relinqueretur, eoque labor novus suscipiendus non esset; aut ostensuram superesse adhuc fruges, in quibus conquirendis colligendisque operae esset elaborare. Cernebam quoque inquirenti mihi, interessetne operam ponere in adornanda nova Librorum Vitruvii editione, auctum iri facultatem rei laudabilis praestandae: namque fore, ut ad manus essent adjumenta ad rem hanc omnia tum ex variis Librorum Vitruvii exemplaribus, vel aeneis typis vel manu descriptis, tum ex laboribus illorum, qui ante me fuissent in eodem illo Vitruvii opere commentariis ornando versati.

Huc itaque animo intento, rem totam perscrutari accurate, et studiose examinare constitui; haud nescius quemadmodum homines quidam, ceteroquin docti, in graves inciderint reprehensiones, quod meris fidentes Librorum titulis, nubem (ut ajunt) pro Junone viderentur amplexati. Neque vero, quo Criticorum omnium declinentur offensiones, satis est Libros integros perlegisse; quando viri non desunt emunctae naris, qui usque eo diligentiam spectent, ut non ipsa modo opera, sed nuncupatorias etiam epistolas, atque praefationes attente evolvendas esse decernant.

Praeterea e re mea futurum existimavi, de iis quos inspecturus eram Auctoribus aliqua vestigare, quae ad eorum notitiam deducerent; nam praeterquamquod videbam, his temporibus inter eruditos receptum id, usitatumque esse; spes etiam ostendebatur fore, ut loca multa facilius assequerer, rectiusque, ubi Scriptor quis, qualisque fuerit, et qua floruerit aetate, intellexissem.

Has ob caussas ad omnia perquirenda et expendenda conversus, legi quae-

cumque potui, atque inde excerpsi, quae meum in usum ad cognoscenda et Opera, et Operum Auctores, animadversione digna visa sunt; eademque interim in mea referebam Adversaria. At, cum tandem perquisitiones utiliores perfecissem; jamque in eo essem, ut excerpta relata in varios Adversariorum locos, distincta aliqua ratione distribuerem, atque digererem; plane comperi, mihi quasi aliud agenti, neque de opere ullo concinnando cogitanti, justi tamen Operis materiam extitisse.

Ortum inde mihi primo consilium, non modo redigendi omnia in ordinem temporibus apte accommodatum, verum etiam eadem, redacta ubi ita essent, emittendi: unde, inter alia, statim appareret, qualis pateat rerum campus volenti, quae in Vitruvianis Libris lucem etiam nunc desiderant, illustrare. Qua tamen in re erant, quae animum traherent in diversa; metumque interdum injicerent, ne hoc idem consilium valde lubricum, praeceepsque foret.

Animadvertebam, tempus non quidem stilo, sed inquisitioni rerum noscendarum, et legendis Auctoribus plurimis dumtaxat datum esse.

Retardabant autem magis res ipsae, quarum plurimae leves nimium tenuesque videri possent, quippe ex minuta quadam diligentia profectae, unde jure haberetur labor noster multus quidem spissusque, at idem inglorius.

Accedebat incommodum aliud; quod necesse erat, Lectorem tertio quoque versu testimoniorum notas litteris mandatas offendere. Inde autem subibat vereri, ne in rudi illo veluti commentario, mei dumtaxat usus, atque memoriae gratia conscripto, nimis multae inessent annotationes, quas nostri vulgo *citationes* vocitant; eo adjectae consilio, ut loca ipsa demonstrarentur Auctorum, quibus ad obtinendum propositum eram usus.

Propter haec atque alia, prope fuisse fateor, ut consilium utique abjicerem. Veruntamen ita comparati omnes natura cum simus, ut nobis lubenter fingamus rationes ad infirmanda argumenta adversantia sententiis iis, quas praecepimus, et defendere optamus; ego quoque ab amore quodam insumptae operae ad cogitata prima exequenda proclivior, visus mihi sum videre caussas, cur proposito non abstinerem. Nam, quantum ad stilum adhibitum in Commentario hoc exarando, sollicitudinem prope omnem adimebant res ipsae; quae multiplices, dissimiles, variae, ac veluti ex plurimis dissitisque fontibus derivatae, orationis aptum nexum cultumque requirere haud videantur, ut huc etiam referri posse arbitrarer tritum illud Manilii carmen, Lib. III. v. 39.

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Addebat animos judicium hominum doctorum, qui scripta haec legerant, meas esse aliquid nugas putantium. Et vero, ut non proferantur reconditae res, quae autem afferuntur, nihil fortasse adjuturae sint illos, qui in Eruditionis adyta intima jam penetrarunt; negaverit nemo tamen, utiles aliis fore, qui ad hoc sacrorum genus primum accedunt, ut initientur. Horum vero multitudo maxima cum sit; iniquus profecto fuerit existimator, cui studium et cura eos adjuvandi frustra suscipi videatur. Quid quod inficiari nemo potest, Opera quaedam, quibus tituli sunt, Dictionaria aut Historica, aut Critica, Polyhistores Litterarii, similesque, plurima continere, quae nostra haec similitudine, et cognatione magna contingant; neque ea tamen idcirco minore in pretio haberi ab doctis, et intelligentibus? Itaque tametsi Operum illorum Auctoribus, propter opinionem sapientiae, concesserim ego nihil invitus; tamen, cum in genere haud dispari colendo verser, cumque multa undique collige-

rim magna cum cura, atque aptaverim inter se, quibus utilium rerum, Personarumque illustrium notitiae bono in lumine collocentur: cur desperem, Commentarium hunc, qui in eadem sit caussa, non in eadem fore fortuna?

Huc adjecerim, duo esse veluti summa (ut me legisse memini) genera eorum, qui Auctores adhibent, nominantque locis suis, plurimos. Alii namque primorum veterum Scriptorum Libros haudquaquam respicientes, contenti iis, quae in recentiorum voluminibus scripta aut descripta occurrunt, nullo delectu, criterio nullo, nulla integra habita mentis Auctorum ratione, nullo ordine, quidquid utcumque pertineat ad materiam, quam sibi proposuerunt, compilant congeruntque. Contra alii sibi ipsis minime fidentes, perquirentesque genuinos fontes, hauriunt dumtaxat puriora, veritatis persequuntur quascumque notas, Auctorum germana sensa sententiasque integras perscrutantur, nexum quaerunt varias inter auctoritates, contrarias vero momentis pensitant suis, ut gravioribus utantur; demum Librorum titulis, paginarum numeris, notitiisque aliis ad allata Auctorum loca et testimonia pertinentibus, ornant scripta sua; itaque diligentibus *citationibus* minime parcunt, ne rebus lux certa quaedam ac propria usquam desit. Horum autem ego, non illorum, regulas et rationem secutus, idemque mihi operae ac laboris mei conscius, non ultra demum dubitavi, quin Commentarium Criticum, quamvis non destinato consilio conscriptum, sed casu veluti quodam quasi inter manus enatum, divulgarem.

Praesertim confirmantibus animum exemplis virorum praestantissimorum, interque hos Abrahami Nicolai Amelotii, qui C. Cornelii Taciti Annalium Libris, a se in Gallicam linguam conversis, criticam exercitationem praefixerit de variis recentioribus Auctoribus, qui Taciti Opera vel in linguas converterunt suas, vel Commentariis ornarunt: tum viri eruditissimi Samuelis Buckley, cujus exstant Epistolae duae (Libros duos prope dixeris) et Anglice et Gallice, ad praeclarissimum doctissimumque Virum Richardum Meadium; quibus pro nova comparanda Historiarum Jacobi Augusti Thuani Editione, quidquid pertineret ad priores Historiae ejusdem Editiones, atque ad labores ab illustribus viris positos in illis adornandis, fuse diligenterque enarratum continetur.

Quod si in vitis nonnullorum ex illustribus viris, qui de Vitruvianis Libris meriti egregie sunt, verbis nimis multis me usum esse, quis censeat; is ita habeat: cum de illis perpauca, neque satis cohaerentia apud alios Scriptores reperissem; futuram putavi rem utilem posteritati, si vitas, quae adhuc desiderarentur, paullo accuratius exequerer.

Sed, missis aliis, ne longius faciam, aggrediar jam ad res ipsas, in quarum expositione nexus praecipui erunt simplices annorum notae, pro ratione temporum, tamquam tituli constitutae. Fuerit autem ab his, quae praefati hactenus sumus, transitus ad res subjecta haec nota anni a Reparata Salute

MCCCCLXXXVI.

Princeps Librorum Vitruvii Editio, cujus frons nullo ornatur titulo ita incipit:

IO: SVLPITIVS LECTORI SALVTEM.

Cum divinum Opus Vitruvii etc.

Post finem vero ultimi Libri Vitruvii leguntur hi versus:

Lector habes tandem veneranda volumina docti
Vitruvii: quorum copia rara fuit.
Haec lege: nam disces: nova: magna: recondita: pulchra:
Et quae sint in re saepe futura tua.
Emendata vides: sed peccat littera siqua
Corrige: nemo satis lynceus esse potest.

Vitruvii Editionem subsequitur Editio Frontini sic inscripta:

SEXTI IVLII FRONTINI VIRI CONSVLARIS: DE AQVIS QVAE IN VRBEM INFLVVNT LIBELLVS MIRABILIS.

Post finem Libelli de Aquaeductibus scriptum est:

Libellum hunc de aquaeductibus, cum esset mendosissimus, Pomponius et Sulpitius tanto studio sic emendarunt: ut perpaucorum in eo locorum correctio desideretur. Perquam rara sunt, quae librarius corrupit aut praetermisit.

. . . . *Vale candide lector: et siquis ingratus esse voluerit, librum suum depromat et cum hoc cigno noctuam conferat.*

Huic Editioni nulla adjecta est nota temporis, nulla loci, nulla nominis Typographi.

Joanni Sulpitio cognomentum Verulani (1) iccirco fuisse adjectum, quod ex Verulo traxisset originem, credibile omnino fit. Verulum autem (quod ab (2) Julio Frontino, et ab (3) Athanasio Kirchero *Verulae* dicitur) Italice *Veroli*, est (4) *urbs Latii in Hernicis, Episcopalis*, non procul a Cosa Fluvio, *media fere inter Anagniam ad occasum, et Soram ad ortum.* Et hujus Urbis Incolae *Verulani.* Apud (5) Livium legere est: *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem suae, leges redditae.* Itemque etiam a (6) Plinio *Verulani* nominantur.

Litteras humaniores adamavisse Sulpitium, ac floruisse vergente ad finem seculo XV. colligi facile potest ex editis ab eo operibus, de quibus Gesnerus habet haec: (7) *Joannes Sulpitius Verulanus, scripsit Commentarios in Lucani Pharsaliam, impressos Venetiis* 1505. (Lucanus cum Commentariis Sulpitii (8) editus jam fuerat Venetiis anno 1493.) *Fl. Vegetii, Æliani, et Frontini de Re Militari Opuscula emendata, in publicum edi juncta curavit. Extant etiam carmina ejus de moribus, impressa Coloniae apud Guymicum: et Praeludia grammatica, impressa Parisiis.* Sulpitius hic noster haudquaquam (9) distinguendus est ab eo, qui sedente Innocentio VIII. in Romana docebat Academia.

Sed nullas in Vitruvii Libros annotationes edidit Sulpitius: erratque P. Clau-

(1) Dictionaire Historique et Critique par M. Bayle. Ad vocem *Sulpitius.*

(2) Julius Frontinus de Coloniis. Inter Auctores rei Agrariae editos Amstelodami. 1674. pag. 141.

(3) Athanasii Kircheri Latium. Amstelodami. 1671. pag. 125.

(4) Lexicum Geographicum Philippi Ferrari, editum ab Antonio Baudrand. ad vocem *Verulum.*

(5) T. Livius. Lib. IX. Cap. 43.

(6) C. Plinii Natur. Histor. Lib. III. Cap. 5.

(7) Elenchus Scriptorum omnium veterum scilicet ac recentiorum etc. A Conrado Gesnero editus etc. Basileae. 1551. pag. 627.

(8) F. Pellegrino Ant. Orlandi. Origine e Progressi della Stampa. In Bologna. 1722. pag. 52.

(9) Bayle loc. cit.

dius Franciscus Menestrier, qui Sulpitii locum quemdam citans, (1) scribit, eum locum desumtum esse ex *Sulpitii Epistola nuncupatoria suarum annotationum in Vitruvium.* Quem errorem merito reprehendit Dominus *du Francastel* Mazarinae Bibliothecae Praefectus in Epistola ad Petrum Bayle data III. Id. Decemb. 1699. in qua (2) narrat, neque in Praefationibus, neque in Epistolis nuncupatoriis, neque in Prolegomenis aliis praefixis Vitruvii Editionibus in Mazarina extantibus Bibliotheca, se illiusmodi annotationum mentionem ullam invenisse; nullam quoque se reperire potuisse in septem vel octo Operum, quae viderat, ejusdem Joan. Sulpitii Praefationibus: in his enim, data opera, sed inutiliter annotationum illarum indicium aliquod perquisivisse. Sed quid plura? Sulpitii Editio, ex qua locum desumserat Menestrier, annotationibus omnino caret.

Jam ad ipsum Sulpitium redeamus. Is in (3) Epistola ad Raphaelem Riarium Cardinalem, ita scribit: *Tu enim primus Tragoediae, quam nos juventutem excitaudi gratia et agere et cantare primi hoc aevo docuimus (nam ejus actionem jam multis seculis Roma non viderat) in medio foro pulpitum ad quinque pedum altitudinem erectum pulcherrime exornasti*: unde liquere facile potest, Sulpitium harmoniae in Tragoediarum actionibus restitutorem fuisse.

Primus itidem Vitruvii Libros de Architectura edi curavit; ut paullo infra demonstrabimus. Caeterum quo tempore, quove loco mortem objerit, nusquam litteris mandatum reperimus.

Memoratam vero Editionem rarissimam esse, haud dubie comperiet, qui vel eam quaerat, vel ejusdem notitiam apud Auctores inquirat: certe jam citatus (4) *du Francastel*, postquam narravit, se legisse Praefationes, Epistolas nuncupatorias, et Prolegomena omnium Vitruvii Editionum in Mazarina extantium Bibliotheca, subdit, se vehementer miratum fuisse, mentionem in illis deprehendi nullam Jo. Sulpitii, nullam Editionis, quae hujus cura prodierat. Itaque, cum adeo rara et parum nota sit haec Editio, lubet de ipsa agere paullo fusius.

Ac principio animadvertemus, Sulpitium ipsum satis ostendisse, Editionem hanc primam esse; scripsit enim: (5) *Cum divinum Opus Vitruvii: non modo studiosis: sed reliquis hominibus: si in exemplaria innumera diffunderetur: multum conferre posse animadverterem: cessantibus id agere aliis: ut puto in melioribus occupatis: quod diu multumque ad publicum usum desideravi: ipse tandem effeci. Collatis enim multis id genus libris: et in primis uno nostri Delii manu: satis accurate perscripto* (atque hinc scire licet, Sulpitium plures manu scriptos Codices vidisse et contulisse) *eum mihi laborem assumpsi: ut . . . . . redderem unum imprimendorum archetypum adeo emendatum: ut parvus labor cuivis alteri ejusdem rei studioso relinqueretur . . . . . . primus hoc in stadio curro.* Et alibi etiam (6): *Quicquid curae: studii: vigiliarum et operae: in emendando et vulgando Victruvio posui.* Ex quibus omnibus facile liquet, vel ab eo ipso Sulpitio, principem esse Editionem hanc, declarari.

(1) Claude François Menestrier. Des representations en Musique anciennes et modernes. Paris. 1681. pag. 155. 156.
(2) Bayle loc. cit.
(3) Epistola haec ad Card. Riarium praefixa est Vitruvii Editioni, quae prodiit cura Sulpitii.
(4) Bayle loc. cit.
(5) In Epistola Sulpitii ad Lectorem, praefixa huic suae Editioni.
(6) In citata Epistola ad Card. Riarium.

Ut vero investigemus Editionis hujusce locum, praestat animadvertere, credibile omnino esse eidem praefuisse ipsum Jo. Sulpitium, et Pomponium Laetum: ille enim de se promittit haec (1): non committam; *quin complura ex iis quae* librarius *perverterit . . . . in postrema paginà annotanda non congeram. Si qua vero in quibusdam graecis quae obscura sane depravataque sunt: interim percunctando meliora potero invenire: ibidem silentio non praeteribo.* Et alibi (2): *Libellum hunc de Aquaeductibus cum esset mendosissimus: Pomponius et Sulpitius tanto studio sic emendarunt: ut perpaucorum in eo locorum correctio desideretur.*

At cum propositi Libri aeneis typis describebantur, Sulpitius, ut facile liquet ex ejus (3) Epistola ad Riarium Cardinalem, Romae erat: Romae itidem Pomponius: quamvis enim (4) Pomponius ex iis fuerit, qui in discrimen maximum inciderunt, propterea quod in Paullum II. Pont. Max. conjurasse putarentur; atque ideo peregre profectus se Venetias contulerit, et inde sub custodia Romam fuerit deportatus (5); *demum* tamen libertati restitutus, *Xisto* IIII. *Innocentioque* VIII. *faventibus, in Gymnasio docuit incredibili nominis auctoritate auditorumque frequentia; adeo ut ante auroram profitentem Romana Juventus a media statim nocte praeoccupandis subselliis praeveniret.*

Itaque cum ii, quibus erat curae, ut Editio haec quam emendata prodiret, Romae essent; et cum in Civitatibus Romae proximis nullae tunc temporis existerent Typographiae (ut ex (6) Historia Artis Typographicae satis certe colligi potest) reliquum est, ut constituatur; eam, de qua agimus, principem Editionem esse Romanam.

Quod vero attinet ad tempus, quo prodiit Editio haec; ex Sulpitii (7) Epistola ad Riarium Cardinalem omnino liquet, eam in publicum fuisse emissam, sedente Innocentio VIII. cujus Pontificatus initium ad annum 1484. exitus ad annum 1492. referuntur. Intra illud igitur intervallum prodiisse Editionem hanc constituerunt (8) Petrus Bayle, et (9) Michael Maittaire, cui (10) ego quoque alias sum adstipulatus.

Nec quidem nunc sententiam muto; sed lubet ipsum Editionis annum diligentius inquirere. Quod ut exequar, praeponam haec Sulpitii verba (11); *Nunc vero* (ait ille) *haec occasio praetermittenda non est . . . . Innocentius vero* (VIII.) *ad illum* (Sixtum IIII.) *et Paulum* (II.) *superandum erectus: omnia praeclara et popularia cogitat. Itaque imposito bellis fine: Praetorio suburbano peracto:* etc. Hinc ergo videtur, Editioni huic operam datam fuisse exitu belli: belli etenim finem, tamquam recentem, Sulpitius commemorat.

Semel autem, sedente Innocentio VIII., bellum a Romanis gestum est;

(1) In citata Epistola Sulpitii ad Lectorem.

(2) Ad calcem Libelli Sexti Julii Frontini de Aquis quae in Urbem influunt, qui Libellus editus est una cum Vitruvii Libris, estque utriusque Auctoris Vitruvii ac Frontini, Editio una.

(3) Citata Epistola ad Card. Riarium.

(4) Memoires pour servir à l'Histoire des Hommes Illustres dans la République des Lettres. Tom. VII. A Paris. 1729. pag. 28. et seqq. Et Giornale de' Letterati d' Italia. Tom. XXII. In Venezia. 1715. pag. 368. et seqq.

(5) Elogia Doctorum Virorum. Authore Paulo Jovio. Basileae. 1571. pag. 94.

(6) Vide praesertim Librum jam citatum, cui titulus: Origine e Progressi della Stampa. p. 249.

(7) In citata Epistola ad Card. Riarium.

(8) Bayle loc. cit.

(9) Michaelis Maittaire Annales Typographici ab Artis inventae origine ad Ann. MD. Hagae Com. 1719. pag. 581.

(10) In Prolegomenis ad Sex. Julii Frontini de Aquaeductibus Commentarium. Patavii. 1722. pag. 21.

(11) In citata Epistola ad Card. Riarium.

idque cum Ferdinando Neapolitanorum Rege, quo tempore etiam Ursini et Columnenses, Romani Proceres, intestinis bellis Urbem infestarunt; ut ex (1) Scriptoribus Vitae Pontificis ejusdem plane liquet. Sed bellum hoc extinctum fuit, et (2) *pax composita anno* 1486. *die* 12. *Augusti*. Itaque ad hunc annum 1486. propositam Editionem pertinere, credibile est.

Hisce de loco atque anno Editionis hujusce in medium adductis, gradum ad alia faciemus. Ac primum observabimus, typos aeneos, quibus formata fuit princeps Editio haec, satis elegantes fuisse, ex ipsa Editione apparere. Orthographia non tam perfecta quam Aldina est; neque tamen multis in locis culpanda. Litterarum neque magnae contractiones, neque obscurae. Errores, qui typographici appellari consueverunt, rari occurrunt. Interpunctio autem, vel uno, vel geminis punctis tota ubique perficitur; in qua tamen desiderari quidpiam posse videtur.

Illud itidem haud bene factum, quod graeca verba latinis litteris formata sunt. Sed credibile mihi fit, Typographum, quo Sulpitius usus fuit, graecis typis (ut saepe contingebat temporibus illis) caruisse. Et quamvis in nonnullis etiam manu scriptis Codicibus ejusmodi scripturam observaverim, nihilo tamen minus hoc Editionis mendum vitio potius artis typographicae, quam Sulpitii, tribuendum puto. Illud autem notandum est, quod ubi plura verba graeca legi, et ubi graeci versus in capite tertio Libri octavi esse debuissent, vacua spatia relicta sunt; ut (quemadmodum illorum temporum mos ferebat) verba graeca vacuis illis in spatiis possent manu exarari.

Pari de caussa non uno in loco, cum Vitruvii verba ad figuram aliquam referrentur, vacuum spatium, in quo necessaria figura manu delinearetur, relictum est. In hac etenim Editione Figura dumtaxat una reperitur, quae in postremo Libri Primi Capite est, ex circuli ambitu, quatuor diametris alioque circuli arcu, sine ullis litteris, formata.

Est autem inter Editionem hanc, et manu scriptos Codices consensus multo major, quam inter Codices eosdem, et Vitruvii Editiones duas, quae, curante Jucundo, prodiere; prima Venetiis anno 1511., altera Florentiae anno 1513. Hanc vero alteram lubens nomino, quoniam a multis tamquam praecipuum exemplar habita est. Sed ex Tabella A (complet haec sequentem paginam) quam construxi excerpendo pauca tantummodo quaedam loca sparsim et intercise, cum plurima excerpi potuissent, de differentia inter propositam principem Editionem (mire cum Codicibus consentientem) et praedictam Editionem anni 1513. abunde constare profecto poterit. Porro ferme Editionis principis atque Codicum lectiones, ceu praestantiores, existimandas esse, quilibet (ut opinor) facile judicabit: sed de hac re iterum, cum de Editionibus illis an. 1511. et 1513. dicetur.

Illud tamen adjiciendum hic est, quod in principis Editionis Libri Tabella

(1) Alph. Ciaconii Vitae Pontificum ab August. Oldoino recognitae. Tomus tertius. Romae. 1677. In Vita Innocentii VIII. pag. 89. et seqq. Et Onuphrius Panvinius in Vita Innocentii VIII. adjuncta ad Pontificum Vitas conscriptas a Baptista Sacchio (cognomento Platina) Coloniae. 1574. pag. 324. et seqq.

(2) Idem Ciaconius pag. 94.

A Tabella exhibens Specimen differentiae inter nonnullas Lectiones principis Editionis, consentientis cum MSS. Codicibus Vitruvii, et Editionis quae prodiit cura Jocundi anno 1513.

Loca principis Editionis Vitruvii, cum MSS. Codicibus consentientia.	*Loca Editionis, quæ prodiit cura Jocundi 1513.*
Symmetros est eurithyme qualitas, sic est in operum perfectionibus.	Pag. 7 b. v. 10. Symmetros est, sic est in operum perfectionibus.
Communium locorum	Pag. 9 v. 4. omnium locorum.
Itaque etiam atque etiam veterem	Pag. 10 b. v. 16. Itaque etiam atque etiam veterum.
Amplo spatio ita uti cohortes possint.	Pag. 13 v. 20. amplo spatio constituendum est, ita uti cohortes possint.
Naturæ rationibus si exclusi fuerint.	Pag. 14 b. v. 3. naturae rationibus. Venti enim si exclusi fuerint.
Passus trecenties et decies quinquaginta millia	Pag. 17 b. v. 6. passus semel et tricies millies mille, et quingenties mille.
Est tricies nongenta triginta septem millia, et passus quingenti.	Pag. 17 b. v. 8. est termillies mille et noningenties trigesies septies mille et passus quingenti.
Paleaeque in his non cohaerescunt.	Pag. 25 b. v. 6. paleaeque quae in his ponuntur non cohaerescunt.
Longum sesquipedem latum pede. ceteris.	Pag. 26 v. 2. longum pede, latum semipede, ceteris.
Arenosa non minus materia: et omnino dissimili.	Pag. 28 b. v. 17. arenosa, nec minus aliis diversa, et omnino dissimili.
Montes: sed genere materiæ ignis vis.	Pag. 28. b. v. 30. montes, sed dispositæ materiæ qualitatem habentes, ignis vis.
Materia cæmentorumque extructa raritate.	Pag. 30 b. v. 28. materia per cementorum raritatem fuerit exucta
Et intima fusterna sappinea vocatur.	Pag. 37 v. 4. et sappinea vocatur.
Deuique.	Pag. 52 b. v. 29. donicum.
Deinde columnarum non ad libellam.	Pag. 54 v. 1. dein'que in summis columnarum scapis non ad libellam.
Jonicæ novem constituerunt.	Pag. 59 v. 4. jonicæ octo semis constituerunt.
Id accedit in mediano habens cima trium doricum in imo.	Pag 66 v. 8. Accedet id in mediano contrafastigium trium trigliphorum, etc.
Nulla primam undam interpellaverit.	Pag. 81 v. 10. nulla primam interpellaverit.
Deinde.	Pag. 93 b. v. 24. donicum.
Aut oleagineis configatur.	Pag. 95 v. 2. aut oleagineis, aut robusteis configatur.
Diphilos. Demades, Charidas.	Pag. 114 b. v. 25. diphylos, charidas
Angulos habeant æquales. Cum enim.	Pag. 116 b. v. 10. angulos habeant æquales, nullibique a fricatura extantes. Cum enim

Septimi Capitibus VI. VII. VIII. VIIII. plures periodi non positae sint ordine eodem, ac in Jocundi Editionibus, et in aliis, quae post Jocundi tempora prodiere; unde variae etiam fiunt Capitum distributiones, variique (ut ita dicam) saltus. Sed hic sufficiet id indicavisse.

Ceterum Editionem hanc, de qua agimus, principem, ex Codicibus manu exaratis proxime desumtam, atque exhibitam fide antiqua, eo loco habendam reor, ut auctoritatis eidem tribui plurimum debeat.

(1) * MCCCCLXXXVI.

In Bibliotheca Anonymiana (2) legitur cujusdam Editionis Vitruvii Titulus; quem subjeci, quamvis satis longum: fortassis enim (pro re nostra) fiet operae pretium.

L. Vitruvius Pollio de Architectura; de priscorum hominum vita, et de initiis humanitatis atque tectorum et incrementis eorum: de principiis rerum secundum Philosophorum opiniones; de lateribus; de Arena; de calce; de pulvere Puteolano; Fons Salmacis; de abjete supernate et infernate cum Apenini descriptione; de sacrarum Ædium dispositione et Symmetriis, et corporis humani mensura; de Publicorum Locorum dispositione; de privatorum Ædificiorum utilitatibus; de Graecorum Ædificiis; de marmore et quomodo ex eo fit Argentum vivum, et de auro argentoque vestium veterum recuperando; de Minii temperatura; de Chrysocolla et Atramento; de cerulei coloris temperationibus; de cerussa et sandaraca; de ostro; de Aquae inventione; de Aqua Hymbrium; de aquis calidis et earum virtutibus quas trahunt a diversis metallis; de Aquarum experimentis; de Perductionibus Aquarum et tribus ductuum generibus, de gnomonicis rebus et rationibus Horologiorum; de scriptorum veneratione; Platonis inventum de agro metiendo; quomodo portio Argenti auro mixta in integro opere deprehendi discernique possit; de gnomonicis rationibus ex radiis Solis per umbram inventis et mundo atque planetis; de Solis cursu per XII. signa; de sideribus ad dextram Zodiaci; de sideribus ad laevam Zodiaci; de Horologiorum ratione usu et inventione; de machinis, de rotis et tympanis ad molendum farinam; de cocleae ratione; de Ethesibina machina, de hydraulicis; qua ratione rheda vel navi vecti peractum iter demetiamur; de Scorpionum balistarumque rationibus; de oppugnatoriis rebus quemadmodum machinationibus et duces et vectores et civitates defensae esse possint; et primum de Arietis inventione ejusque machina; de testudine ad congestionem fossarum paranda; de aliis generibus Testudinum.

Ex *Indice* Lemmatum, appositorum sectionibus Librorum Vitruvii, qui exstat in principio Editionis a Sulpitio exhibitae, corrasa sunt ea omnia hactenus descripta (eo tamen *Indice* nonnulla etiam alia Lemmata continentur) ver-

(1) Eo stellae signo denotantur Editiones, et Opera aut perperam (aliquando etiam falso) a nonnullis proposita, aut dubia, aut deperdita, aut a nobis non visa. Propter quam autem ex hisce (vel harum similibus) caussis signum exstet, ubique satis apparet ex iis, quae, dum agitur de ipsa re, animadvertuntur.

(2) Bibliotheca Anonymiana, publice pluris licitantibus distrahenda per Adrianum Moetiens. Hagae Comitum. 1728. Pars Prima. pag. 71. Num. 879.

bis iisdem, litterisque iisdem expressa. Duntaxat in proposito Titulo addità sunt pauca illa verba, *de rotis et tympanis ad molendum farinam*, quae tamen septimo Capiti Libri Decimi praeposita leguntur in eadem Sulpitii Editione.

Quamobrem certa ratione opinor, Editionem hanc, quam Anonymiana exhibet Bibliotheca, fuisse illam Sulpitii (non aliam ab Sulpitiana diversam) tam multa vero Bibliopolam ex ea descripsisse, ut Librum suum efficeret vendibiliorem. Neque enim parcebat ille (ut ita dicam) lenociniis; cum exhibito titulo subjecerit haec: *Editio omnium prima, exemplar Nitidissimum, cujus prima pagina Auro et Argento Eleganter picta est.*

* MCCCCLXXXVI.

Hoc loco dicendum profecto est de Opere Hieronymi Advocati, qui Jo: Sulpitio aequalis fuisse videtur (1). Scripsit Dominus *du Francastel*, se Epistolam editam Venetiis 1493. detexisse, ab Joanne Britannico Brixiano (is e vita (2) migravit anno 1510.) scriptam *Hieronymo Advocato Ambrosii Jurisconsultiss. F.* qua Epistola de hujusce Advocati in Vitruvium meritis mentio fit, ejusdemque Epistolae ille attulit periodum. Ego vero, ubi haec legi, maxime optavi, Epistolam illam videre: eam tamen diu frustra quaesivi.

At demum Vir clarissimus eruditissimusque Paulus Galeardus Canonicus Brixianus me admonuit, reperiri illam Britannici periodum in ejusdem Epistola, praefixa Lucani Pharsaliae ab eodem editae. Hunc autem Librum inveni, quem animadverti ornatum etiam esse *Omniboni Leoniceni Commentariis in Annaei Lucani Pharsaliam*, ab Joanne Taberio emendatis. Ad calcem vero Libri leguntur haec: *Impressum Brixiae per Jacobum Britannicum Brixianum* 1486. *VI. Nonas Majas.* Sed Venetiis etiam, post annos septem alia prodiit Editio, cui titulus est hic (3): *Lucani Pharsalia. Cum Comment. Sulpitii, et Omniboni Leoniceni. Venetiis.* 1493. *Per Simonem Bevilaquam Papiensem. Ultim. Januar.*: unde datum est coniicere, in hac quoque Veneta Editione exstitisse illam Britannici epistolam; quamobrem epistolam eandem Dominus *du Francastel* editam Venetiis 1493. fuisse, dixerit.

Ex ea vero Epistola praeterea didici, Hieronymum illum Advocatum eruditione excelluisse; tum etiam conjeci, eum fuisse Brixianum; et facile fuit ex nobili Gente, quae *Avogadro* Italice dicitur; unde in Capreoli *Chronica* legitur (4), *Achilles cognomento Advocatus.* Qua etiam in *Chronica* quorundam aliorum ex Gente hac mentio fit honorifica; et nominantur inter ceteros (5) *Petrus et Ambrosius Jureconsultus ambo ex Advocatorum Familia*: Ambrosium vero (habita temporum ratione) illum eundem Hieronymi nostri patrem fuisse, plane reor. Sed totius illustrandae rei gratia, praestabit integrum afferre Britannici locum, ex eadem epistola fideliter descriptum, qui est hujusmodi.

(1) Dictionaire Historique et Critique: Par M. Bayle. Ad vocem, Sulpitius.

(2) Libreria Bresciana Prima e Seconda Parte nuovamente aperta dal M. R. P. Maestro Leonardo Cozzando Servita Bresciano. In Brescia. 1694. pag. 106.

(3) Vide etiam P. Orlandum. Origine e Progressi della Stampa. pag. 52.

(4) Heliae Capreoli Chronica de Rebus Brixianorum. Brixiae sine anno pag. 48.

(5) Citata Chronica. pag. 66.

Es enim tu (Hieronyme Advocate) *is, qui inter ceteros excellentis ingenii viros, quorum haud paucus in Urbe nostra est proventus, virtutem colis, magnifacis, amplecteris; nihil enim tibi dulcius est, nihil suavius, nihil denique jucundius, quam in his nostris studiis versari, quorum (quod mihi aliorum pace dixisse liceat) jam primam arcem possidere videris. Jam omnes, qui cum litteris commercium habent, ingentes gratias tibi agant necesse est. Fecisti enim tua industria, studio, et labore, ut Vitruvius de Architectura, qui jam tot saeculis in lucem caput suum proferre non audebat, quia ex omni parte mancum, lacerum, mutilatum se sentiebat; nunc politus, purus, integer, huc et illuc gestiat meare; omnibus carus occurrat, omnibus gratus excipiatur.* Paullo autem infra Britannicus, eundem alloquens, addit: *inter cetera et corporis et fortunae bona, quae illustria et amplissima habes.*

At qualis fuerit hujusce Advocati labor ille perutilis Vitruvii Libris, quis possit divinare? Neque enim nunc (ut suspicatus olim fueram) mihi licet suspicari, mendum aliquod subesse in nota, ab *Francastel* allata, anni 1493. et Advocatum praefuisse vel Florentine Editioni anni 1496. vel Venetae anni 1497. Itaque, suspicandum ne erit, eum aliquid opis Sulpitio attulisse? An vero potius credemus, Advocati opus, quamvis aeneis typis non impressum, a pluribus tamen descriptum, omnibus bene exceptum dici potuisse? Certe invenire nihil quicquam potui ab Hieronymo Advocato editum, neque in Michaelis Maittaire *Typographicis Annalibus*; neque in Pellegrini Antonii Orlandi *Originibus Typographiae*; eum tamen hi opera typis aeneis edita usque ad finem decimiquinti seculi (ac Maittaire etiam ulterius) sint diligentissime persecuti; neque in (1) Leonardi Cozzandi Bibliotheca; qui, quamvis plures, quam quingentos Brixianos Scriptores enumeret, quorum opera typis vulgata fuere, Hieronymi tamen Advocati ne nomen quidem uspiam recenset.

* MCCCCLXXXV.

Celsus de Rosinis in suis *Elogiis*, laudibus effert plurimis (2) *Sylvanum Maurocenum, ex vetusta Nobilitate Venetorum Optimatum eductum*, et inter *Regulares Canonicos Lateranenses* adscitum; *qui quartum gesto gravi inter eos magistratu, Rector eorumdem Generalis renunciatus fuit anno sexto ante sesquimillesimum.* Fidenter autem Celsus idem asseverat, Sylvanum (3), *Praesidem Ædibus Portuensis Deiparae, ...* (4) *aggressum fuisse novae Canoniae amplissimam vereque magnificam structuram agere*; at noluisse committere se fidei vel artificum, vel *exteri cujusdam Architecti.* Quamobrem Sylvanus *Vitruvio primum* (ut idem Celsus narrare pergit) *se dedit: ac deinceps, ut facilius se explicaret, ... ad eundem Vitruvium ex Latino Italicum reddendum mentem manumque applicuit, impetu constantiaque imperceptibili*: quippe qui *amplum Auctoris illius opus, et alicubi vix assequibile reddebat scripto in paginas vulgaris idiomatis, et calcographo ad im-*

(1) Libreria Bresciana.

(2) Lycei Lateranensis illustrium Scriptorum Sacri Apostolici Ordinis Clericorum Canonicorum Regularium Salvatoris Lateranensis Elogia. Celso de Rosinis Caesenate ejusdem Instituti Doct. Theol. et Abbate, Auctore. Tomus Secundus. Caesenae. 1649. pag. 290.

(3) Idem. pag. 291.

(4) Idem. pag. 292.

pressoriam transmittebat. Vorax saeculum, et imperita barbarie ut plurimum adhuc laborans, quingenta Operis absumpsit volumina, distraxitque in Provincias et Civitates bimestri spatio. Et plura alia postquam subdidit Celsus, Elogium Sylvani concludit verbis hisce, quae subjeci (1): *scripsit ergo Commentarium Italice in Marci Vitruvii Architecturam Libros decem. Venetiis. Anno* 1495. *Apud Antonium Tribium. Lib. X.*

Qui nonnisi haec attenderit, sibi facile persuadebit, tum Librum illum Sylvani Mauroceni typis aeneis descriptum fuisse; tum etiam ejusdem aliquod exemplum posse haud magna difficultate reperiri. Sed contra parit hercle dubitationem altum aliorum omnium Scriptorum de eodem Libro silentium. Ac observandum profecto est (2), Thomam Tomai de Sylvano Mauroceno scribentem (atque etiam ejus aedificia quaedam commemorantem) ne unum quidem verbum de Architectura Vitruvii, ab Sylvano ex Latina in Italicam Linguam conversa, addidisse. Itidem in iis Indicibus (saltem in iis a me visis) qui Librorum titulos continent, et *Librorum Catalogi* appellari consueverunt, frustra vestigatur, Libri illius a Celso propositi titulus; frustra in Typographiae historiis (quas versavi) nomen Impressoris illius *Antonii Tribii* quaesivi.

Praeterea vero in pluribus *Canonicorum Regularium Canoniis* Liber ille (ut meae satisfieret curiositati) fuit perquisitus; ac inter ceteras, in ea Caesenate, in qua commorabatur, cum Elogia sua scriberet, Celsus Rosinus. In Portuensi etiam, atque in aliis, ac praesertim in iis, quibus praefuit Sylvanus, Librum illum quaeri diligenter curavit *Reverendissimus Canonicorum Regularium Lateranensium Procurator Generalis*, Abbas D. Caspar Ardizzoni Calvi, sed inutiliter; quaevis perdita opera est: non modo enim nusquam Liber, verum neque ullum Libri indicium est repertum. Immo Vir eximius, et Litterariae Italicae Historiae, si quis alius, longe peritissimus Apostolus Zenus, qui jamdiu Celsi Rosini loca, a me allata, accurate observaverat, mihi adseveravit, sibi esse plane persuasum, Rosinum vel falso aliquo scripto, vel modo aliquo alio, fuisse deceptum; ac nullo in loco propositi Libri illius Editionem exstare. Hactenus quidem ego, ut veritatem assequerer, nec tentare plura, nec plura scire potui.

MCCCCLXXXVI.

HOC IN VOLVMINE HAEC OPERA CONTINENTVR.
L. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM.
SEXTI IVLII FRONTINI DE ACQVAEDVCTIBVS LIBER VNVS.
ANGELI POLITIANI OPVSCVLVM: QVOD PANEPISTEMON INSCRIBITVR.
ANGELI POLITIANI IN PRIORA ANALYTICA PRAELECTIO.
CVI TITVLVS EST LAMIA.

Non ad calcem Voluminis, sed ad calcem Libri decimi Vitruvii, leguntur haec, quae subjeci.

FLORENTIAE IMPRESSVM ANNO A NATALI CHRISTIANO M. CCCC. LXXXXVI. fol.

(1) Idem. pag. 293.
(2) Historia di Ravenna di M. Tomaso Tomai, divisa in quattro parti. In Ravenna. 1580. Parte Prima. pag. 34.

Quis ille fuerit, cujus cura haec prodierit Editio, neque reperiri uspiam potuit, neque in ipsa Editione, uspiam apparet. Nullae enim adsunt Praefationes, nullum nominis Editoris exstat indicium. Neque ulla affertur caussa, cur unum veluti Corpus Editor effecerit ex Operibus illis Angeli Politiani, et ex Vitruvii Libris. Quod enim spectat ad Frontini Librum; analogia aliqua inter hunc et Vitruvii Libros facile potest adsignari.

Nullum praeterea in hac Editione legitur Typographi nomen. At animadverto, a (1) P. Orlando narrari, ex Officina Leonardi de Arigis prodiisse Florentiae, anno 1499. Opera Politiani: quamobrem conjici quodammodo potest, ex eadem Officina etiam Vitruvium cum Politiano prius prodiisse.

Ad calcem Libri Sex. Julii Frontini, qui in hac Editione est, leguntur verba haec: *Libellum hunc de aquaeductibus cum esset mendosissimus: Pomponius et Sulpitius tanto studio sic emendarunt*, etc.: verba quidem exstantia etiam ad calcem ejusdem Libri in (2) superius memorata Editione, quae prodiit cura Sulpitii. Igitur Florentini Editores Librorum Vitruvii, probe noverant Sulpitianam Editionem: ex qua descripserunt etiam verba illa facile non describenda.

Orthographia in Editione hac paullo emendatior est, quam in principe Editione, paucioresque et litterarum contractiones, et typographici errores offenduntur. Interpunctio in hac quoque solis punctis aut simplicibus, aut geminis, sed nonnullis in locis aptior. Verba graeca itidem latinis litteris exhibita; et pro graecis versibus vacua spatia relicta, saltusque in Libro septimo hujusce Editionis iidem, atque in principe Editione, reperiuntur.

Figurae in hac Editione sunt duae ad Libri I. cap. 10. quibus adscripta leguntur Ventorum nomina: tresque aliae ad Libri VIIII. cap. 1. et 2. quibus nonnulla quadrata exhibentur.

Quod vero attinet ad consensum hujusce cum principe Editione; in nonnullis verbis exiguas quasdam mutationes observavimus, quae sensum plerumque clariorem reddere visae sunt: at (dolendum) minime constat, qua ratione in textum variantia illa verba fuerint inducta; num ex aliquo Codice manu scripto, num ex Editoris ingenio prodierint.

Ceterum nonnulli hanc Editionem principem esse crediderunt, et inter hosce Cl. Jo. Nicolaus Funcius; qui Editionem hanc (3), ait, *inscriptam* esse *hoc modo: L. Vitruvius Pollio de Architectura; de priscorum hominum vita; et de initiis humanitatis, atque tectorum, et incrementis eorum; de principiis rerum secundum Philosophorum opiniones; de arena; de calce* etc. Funcius autem in errorem haud dubie adductus fuit ex aliquo Librorum Indice male consarcinato, quibusdam Capitum Lemmatis in titulum intrusis; ut vidimus paullo (4) supra *Anonymianae Bibliothecae* auctorem fecisse.

(1) Origine e Progresso della Stampa. pag. 135.
(2) Ad annum 1486.
(3) Tractatus de Virili Ætate Linguae Latinae. Pars Altera. Marburgi Cattorum. 1730. pag. 302.
(4) Ad Annum 1486.

* MCCCCLXXXXVI.

Cel. Maittaire ad (1) annum 1496. postquam recensuit *Vitruvium* editum Florentiae anno 1496. una cum *Angeli Politiani Panepistemon* etc. addit in Annotationibus suis haec: *Horum Editio Veneta in folio* 1496. *affertur in Supplem. Fabric. Bibl. Latin. p.* 20. *et Bibl. Menars. p.* 37. Hactenus ille. Sed pro certo habeo, errore aliquo typographico in memoratis Auctoribus annum 1496. pro 1497. exstitisse, neque ante annum 1497. prodiisse ullam Venetam Editionem. Adde, in (2) Editione, qua utor, *Bibl. Latin. Fabric.* legi annum 1497.

MCCCCLXXXXVII.

Hoc in Volumine haec Opera continentur.

CLEONIDAE HARMONICVM INTRODVCTORIVM INTERPRETE GEORGIO VALLA PLACENTINO.

L. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM.

SEXTI IULII FRONTINI DE AQVAEDVCTIBVS LIBER VNVS.

ANGELI POLITIANI OPVSCVLVM: QVOD PANEPISTEMON INSCRIBITVR.

ANGELI POLITIANI IN PRIORA ANALYTICA PRAELECTIO. CVI TITVLVS EST LAMIA.

Non ad calcem Voluminis, sed ad calcem Libri decimi Vitruvii, leguntur quae subjeci.

IMPRESSVM VENETIIS PER SIMONEM PAPIENSEM DICTVM BIVILAQVAM. ANNO AB INCARNATIONE M. CCCC. LXXXXVII. DIE TERTIO AVGVSTI. fol.

In hac Editione Praefationes nullae sunt, nullum Editoris nomen, nullum nominis ejusdem indicium.

Opera duo illa Politiani, quae (praeter Vitruvii, et Frontini Libros) tum in Editione Florentina, tum etiam in hac Veneta leguntur, satis commonstrant, Venetis Editoribus Florentinam Editionem haudquaquam fuisse ignotam.

Cleonidae Harmonicum Introductorium fortassis additum est, quoniam in Vitruvii Opere quaedam spectantia ad Musicam reperiuntur (3), Meibomius Euclidi adjudicavit.

In hac Editione Liber Primus in capita secatur pauciora, quam in prioribus Editionibus. Contractiones litterarum, Interpunctio, tota denique Scripturae ratio, in Editione hac eadem ferme, ac in Florentina Editione reperiuntur. Errores typographici plures potius, quam pauciores. Verba graeca latinis litteris nonnulla, nonnulla vero litteris graecis in Editione hac impressa fuere. Ubi autem in Libro octavo graeci versus esse deberent, vacua spatia relicta sunt. Transpositiones Periodorum, sive saltus in septimo Libro, modo se habent eodem, quo in prioribus Editionibus.

Perpaucis Figuris haec quoque Editio ornata est; nimirum illis Florentinae

(1) Mich. Maittaire Annales Typographici. Editio nova auctior. Tomi Primi Pars Posterior. Amstelodami. 1733. pag. 610.

(2) Jo. Alberti Fabricii Bibliotheca Latina. Tomus Primus. Venetiis. 1728. pag. 340.

(3) Antiquae Musicae Auctores septem. Amstelodami 1652. Tomi 2. Tomo Primo. In Praefatione ad Euclidis Introductionem Harmonicam.

Editionis, duabusque tantum aliis insuper adjectis; altera ad Cap. 1. Libri Primi, cui musica quaedam verba adscripta; altera ad Cap. 1. Libri Noni, quadratum reticulatum exhibente.

Ceterum aliquibus in locis tenues quaedam verborum mutationes possunt observari, quibus nonnullae tentatae fuerunt emendationes; sed, id num factum fuerit alicujus Codicis subsidio, vel conjectura, nuspiam ea in Editione narratur.

MDXI.

M. VITRVVIVS PER IOCVNDVM SOLITO CASTIGATIOR FACTVS, CVM FIGVRIS ET TABVLA, VT IAM LEGI ET INTELLIGI POSSIT.

IMPRESSVM VENETIIS AC MAGIS QVAM VNQVAM ALIQVO ALIO TEMPORE EMENDATVM: SVMPTV MIRAQVE DILIGENTIA IOANNIS DE TRIDINO ALIAS TACVINO. ANNO DOMINI M. D. XI. DIE XXII. MAII. REGNANTE INCLITO DVCE LEONARDO LAVREDANO. fol.

P. Jacobus (1) Echard Jocundi vitam ita exorditur: *F. Joannes Jucundus vel Jocundus* (sed Jocundum ferme ubique se ipse appellat) *Veronae medio circiter Seculo XV. decurrente natus est.* Et quidem paullo ante sacculi medium potius, quam medio jam converso, eum in vitam venisse, credibile mihi fit; cum anno 1513. Juliano *Medices* scribentem conclusisse inveniam verbis hisce (2): *bene valeas, veteli tui Jocundi memor*: eidemque in alia (3) Epistola, anno eodem, scripsisse: *aetate quidem ea sum, ut de me non multa tibi possim promittere: sed natura ipsa fortasse, ut plerumque assolet, extremo hoc tempore, subitum aliquod ingenii mei lumen effundet.*

Jocundum prodiisse ex familia *Monsignori*, ac Francisci Monsignori celebris Pictoris Veronensis fratrem fuisse, P. (4) Peregrinus Antonius Orlandi affirmat: sed falsum id esse F. (5) Bartholomaeus a Puteo, Eques Hierosolymitanus arguit ex (6) Georgii Vasarii testimonio, qui scribit: Francisci Monsignori tres fuisse fratres: majorem natu, nomine *Monsignore*, degisse in aula Marchionis Mantuae, vixisse annos octoginta, ac superstites filios reliquisse: Hieronymum alterum *Franciscanorum* sodalitati nomen dedisse, et Cherubinum deinde fuisse appellatum: tertium vero inter *Dominicanos* adscitum assumsisse Hieronymi nomen; humilitatisque amore, inter sodales Sacerdotibus servientes perstitisse: nullus igitur Jocundus Francisci frater reperitur. Nobilem tamen eum fuisse, asseverat Julius Caesar Scaliger, a quo ita nominatur (7): *Joannes Jocundus civis noster, nobili genere prognatus*: sed quae fides Scaligero in hujusmodi assertis haberi queat, paullo infra dispiciemus.

(1) Scriptores Ordinis Praedicatorum etc. Opus inchoavit R. P. F. Jacobus Quetif S. T. P., absolvit R. P. F. Jacobus Echard. Lutetiae Parisiorum 1719. Tomus Secundus. pag. 36.

(2) In Epistola, quae praefigitur Editioni Vitruvii, quae prodiit Florentiae. 1513.

(3) In Epistola, quae praefigitur Editioni Caesaris, quae prodiit Venetiis ex Ædibus Aldii, 1513.

(4) Abecedario Pittorico del P. Orlandi. In Bologna. 1729. pag. 158. et 172.

(5) Vite de' Pittori Veronesi del Commend. F. Bartol. Co. dal Pozzo. In Verona. 1718. pag. 13. et 21.

(6) Vite de' Pittori ec. Primo Volume della Terza Parte. In Fiorenza. 1568. pag. 262.

(7) Julii Caesaris Scaligeri Exotericarum Exercitationum Lib. XV. Francofurti. 1576. Exercit. 329. pag. 1055.

Jocundum *Ordinem Praedicatorum amplexatum, professumque, certissimum; qua tamen aetate, loco, annove nobis incompertum*; scribit jam citatus P. Echard. Quod certissimum esse ut evincat, subdit: *Onuphrius Panvinius et ipse Veronensis, eidem suppar, anno scilicet* 1568. *die* 8. *April.* (diem 15. Martii habet Cel. Mar. (1) Scipio Maffejus) *mortuus*, de Viris Illustribus Veronensibus habet; *F. Joannes Jocundus Veronensis Ordinis Praedicatorum Vir disertissimus*: at suppar utcumque Onuphrius dici queat, credibile tamen est, cum natum esse Jocundo jam e vivis erepto, cum (2) anno 1530. lucem viderit Onuphrius, Jocundus vero anno 1513. se vetulum appellaverit. Deinde addit P. Echard testimonium Georgii Vasarii, qui Jocundum *Dominicanum* (3) dixit: et qui *natus anno* 1512. *acta Jocundi* (ut Echard asserit) *ab iis qui convixerant diligentius inquisivit*: sed Vasarium in tanta farragine rerum, quas conscripsit, haud raro erravisse, dubium mihi, plura ejus legenti, haudquaquam fuit. Demum Echard animadvertit Lucam (4) *Wadingum*, qui de Viris doctis Ordinis Minorum scripsit, Jocundum *suis non asseruisse*: sed neque inquisivit num suis esset asserendus; ejusque notitia facile caruit.

Contra tamen facit locus, quo optime usus est laudatus Mar. Scipio Maffejus (5), ut *Franciscanis* Jocundum nostrum attribueret. Referam itaque locum eundem desumtum ex *Euclidis Elementis* editis a F. Luca Paciolo, qui post praefationem, quam habuerat, in quintum Euclidis Librum, subdit haec (6): *Omnes hi sunt qui interfuere. In Divi Bartholomaei aede cum ego Lucas Paciolus Burgensis Sancti Sepulchri ex Minoritana Francisci Familia Quintum Euclidis profiteri solemniter coepi, praefatione hac prius habita* 1508. *Augusti die* 11. *Et in primis: Clarissimus Vir Joannes Lascares ad Senatum Venetum Christianissimi Francorum Regis Orator*: plures deinde alii Viri nobilitate vel doctrina illustres nominantur; et prae ceteris, nonnulli, qui ab eo dicuntur *prelibati ejusdem Minoritanae Familiae*; inter hosce vero legitur *Frater Jocundus Veronensis Antiquarius*: quamobrem satis liquet, fuisse tunc Jocundum ex *Minoritana S. Francisci Familia.*

Ad hunc autem locum esset referendum Julii Caesaris Scaligeri testimonium, qui in Jocundi disciplina se fuisse, palam profitetur ita scribens (7): *Illud etiamnum in memoria habeo. Me puero apud maternos avos agente Lodroni ad Salodianos . . . . . docebat Joannes Jocundus praeceptor noster.* Et obiter hic observabo, Jul. Caesarem Scaligerum (8) natum esse anno 1484; atque ideo probabile omnino videri, cum, nonnisi post 1492., tanti praeceptoris Auditorem esse potuisse: quamobrem, si certa fides Scaligeris, ubicumque hi Jocundum nominant, esset habenda (quod fieri minime posse laudatus (9) Maffejus jam plane recteque ostendit) datum quidem esset ex Scaligerorum scriptis, pro re nostra, haud exiguum lumen mutuari: atque hic as-

(1) Verona illustrata del March. Scip. Maffei. In Verona. 1732. Parte Seconda. col. 183.

(2) Mar. Scip. Maffei. ibid.

(3) In citato Volumine pag. 245.

(4) Scriptores Ordinis Minorum P. Lucae Waddingi. Romae 1654.

(5) Verona Illustrata del Marchese Scipion Maffei. Giunte per la seconda Parte che tratta degli Scrittori.

(6) Euclidis Megarensis . . . Opera. Venetiis. 1509. pag. 31.

(7) In Lib. cit. Exercit. 104. n. 23. pag. 399.

(8) Lindenius Renovatus, sive Johannis Antonidae van der Linden de Scriptis Medicis. Norimbergae. 1686. pag. 721.

(9) Verona Illustrata. Parte Seconda. p. 158. et 159.

serere facile oporteret, circa finem saeculi XV. Jocundum fuisse *Lodroni ad Salodianos.* Ab Scaligero autem (neque enim id reticendum hoc loco est) egregie laudatus fuit Jocundus, quod (1) *vir esset in philosophia Peripatetica non ignobilis, Scoticae Sectae summus Theologus, in Mathematicis nulli secundus, in Optice atque Architectura omnium facile princeps.* At eum Scaligero bene notum (utcumque sit de reliquis rebus) Jocundum fuisse, credibile omnino sit; qui fieri potuisset, ut *Scoticae Sectae summus Theologus* haberetur, quando *Dominicanae* familiae, non *Franciscanae* fuisset addictus? Ac Joseph Scaliger Julii F. in Epistola, data Lugd. Bat., diserte scribit (2): *Puer* (Jul. Caesar) *in agris avitis eductus una cum Tito fratre prima litterarum et Grammaticae elementa didicit, praeceptore Johanne Jocundo Veronensi, cliente familiae nostrae, homine doctissimo et probissimo, qui postea ad Monachos Franciscanos transiit.*

At (missa quaestione illa, num fuerit Scaliger in Jocundi disciplina) non tamen satis intelligo, cur modo memoratus Joseph scripserit verba haec, *postea transiit*; quasi Franciscanis nomen Jocundus dedisset posteaquam fuisset Julii praeceptor; cum vel ante illud tempus se Fratrem appellaret: Collectaneis etenim suis Antiquarum Inscriptionum praemisit (3) Epistolam sic inscriptam: *Frater Johannes Jocundus Veronensis Laurentio Medices*; quorum Collectaneorum, non sine illustri laudum Operis illius Jocundi praefatione, meminere duo Viri Summi (4) Angelus Politianus, et (5) Marchio Scipio Maffejus: at Laurentius Medices objit (6) anno 1492. ergo ante hunc annum (atque adeo ante annum octavum aetatis Julii) se Fratrem appellabat Jocundus. Num vero post haec, libere (ne, leviter, dicam) conjectando, licebit mihi suspicari, eum Dominicanae Familiae primum fuisse addictum; deinde vero (aliqua de caussa, aliquo modo, quorum notitia ad tempora nostra non pervenerit) secessisse ab ea, postea ad Franciscanos transiisse?

Ast hic neque illud sane praetermittendum est, quod (7) Gulielmus Budaeus eum solo *Sacerdotis* vocabulo nuncupaverit: dum ait: *Verum haec Epistola* Plinii, *et aliae non paucae in Codicibus impressis non leguntur: nos integrum ferme Plinium habemus, primum apud Parisios repertum opera Jucundi Sacerdotis hominis antiquarii, Architectique famigerati.* Et alibi etiam scribit (8): *Nobis vero in ea* (Vitruvii) *lectione contigit praeceptorem eximium nancisci Jucundum sacerdotem, architectum tunc regium, hominem antiquitatis peritissimum, qui graphide quoque, non modo verbis, intelligendas res praebebat.* Ad quae Budaei loca P. Jacobus Echard subdit haec (9): *ex titulo Fratris, quem suo nomini aliquando praemisit* Jocundus, *evidens est, se votis religionis astrictum agnovisse . . . . In Gallia credibile est, secutum fuisse morem eorum Fratrum, qui extra claustra degentes, permittentibus Superioribus, vestem Monasticam deponebant, et ritu saecularium Sacerdotum se induebant.* Num vero hic quoque eadem illa libertate conje-

(1) In Lib. cit. Exercit. 329. pag. 1055.

(2) Josephi Scaligeri Jul. Caesar. F. Epistola de Vetustate, et Splendore Gentis Scaligerae, et Jul. Caesar. Scaligeri Vita. Lugduni-Batavorum. 1594. pag. 31.

(3) In Parte citata pag. 136.

(4) Angeli Politiani Opera Basileae. 1553. Miscellaneorum Cap. 77. pag. 287.

(5) In Parte citata pag. 136.

(6) Historia d' Italia di Francesco Guicciardini. Libro Primo. in principio.

(7) Annotationes priores et posteriores Gulielmi Budaei .. in Pandectas. Lutetiae. 1556. pag. 39. F.

(8) Citatae Budaei Annotationes pag. 120. D.

(9) In Tomo citato. pag. 37.

etandi, qua superius usi sumus, iterum utemur? omnesque difficultates explicare tentabimus, ponentes, Jocundum prius dedisse Dominicanae Familiae nomen; tum hac relicta, saecularem (ut appellant) Sacerdotem fuisse, postea ad Franciscanos transiisse? Porro ita nullus controversiis vel dubitationibus locus relinqueretur.

Post haec ab Jocundi vitae statu ad doctrinam ejus progrediamur. Fuit Jocundus linguae graecae peritus: et, praeter Vitruvii, Frontini, Caesaris et Epistolarum Plinii Editiones (1), et Julium Obsequentem debemus; in Epistola enim, quam Plinii Junioris Editioni praemisit Aldus, leguntur haec: *Librum de Prodigiis, quem mihi Jucundus meus jucundissimus dono dedit*: praetereaque Julii Victoris Epitome, et M. Catonis de Re Rustica Libri, ejus cura prodiere.

Inclaruit in Germania (2), Scaligero teste, qui haec scripta reliquit: *Memini praeceptorem meum Joannem Jocundum . . . apud Maximilianum Caesarem multa praeclara profitentem. Ibi, inter cetera. Quot pondo proportionem haberet pugnus hominis ferientis cum se ipso non feriente comparatus. Sed et haec et alia tunc ille demonstrabat: quae postea Fortunae saevitia interiere.*

In Gallia quoque magni habitus est. Cum autem Plinii (3) *Editio Bononiensis a Jo. Jocundo ad manu scriptum Parisiense emendata, et a Beroaldo recensita* prodierit anno 1498. liquet ante hunc annum iter in Gallias instituisse. Ibi (rerum potiente Ludovico XII.) (4) *duplicem Sequanae imposuit pontem: quorum primo, nostrae Dominae dicto, X. Julii* 1507. *Praefectus Urbis ultimum sexti fornicis lapidem solemni pompa posuit* (ex (5) *Claudio Malingre*). *Alterum vero pontem, Parvum dictum, circa eadem tempora absolvit.* Unde Jacobus Sannazarius in laudem illorum Operum.

(6) *Jucundus geminos fecit Tibi, Sequana, pontes:*
Jure tuum potes hunc dicere Pontificem.

Hexametrum superiorem versum, paucis mutatis, argute transtulit Julius Caesar Scaliger in rem suam; qui in *Teretismatis* Jocundum laudavit his versibus, quos subjeci:

(7) *Pauca tibi narrare volo, quae dicere quondam*
Mi solitus Jocundus homo integer, acer, amussis,
Fermentato judicio, ingenioque subacto:
Quem velles vidisse adeo, atque audisse loquentem:
Euclides et Vitruvius cui cedere possunt.
Nam geminos posuit pinguis Tibi Sequana pontes:
Implevitque alias immensis molibus urbes.

Jocundum etiam celebravit idem Scaliger (8) Epigrammate, quod est inter carmina, quibus titulum fecit, *Heroes*.

Facile tamen absolvendis Pontibus illis, de quibus modo diximus, non praefuit Jocundus, nam Venetiis fuit anno 1508. (ut paullo supra vidimus) cum

(1) Verona Illustrata del Mar. Maffei. Nella citata Parte Seconda. pag. 137. et 138.
(2) In Lib. cit. Exercit. pag. 1061.
(3) Joannis Alberti Fabricii Bibliotheca Latina. Venetiis 1728. Tom. prim. pag. 610.
(4) P. Jacobus Echard. In Tomo citato p. 37.
(5) Claude Malingre. Les Antiquitez de la Ville de Paris. Paris. 1640. pag. 140.
(6) Epigrammaton Lib. I. n. 50.
(7) Julii Caesaris Scaligeri Poemata omnia. In Bibliopolio Commeliniano. 1600. Pars Prima pag. 85.
(8) In Poematis iisdem. pag. 296.

ibidem fuisset etiam ante, nimirum anno 1506. In tabulariis enim Veneti Magistratus, penes quem cura aquarum est, quatuor asservantur Dissertationes, anno 1506. ab Jocundo Magistratui eidem oblatae, in quibus de Medoaci fluminis derivatione tractatur. Veneti namque, suis ut aestuariis prospicerent, opus plane regium (jam ab (1) anno 1488.) orsi erant, excavato ingenti alveo, ad Daulum pagum duci coepto, quo Medoaci aquae Fossam Clodiam versus derivarentur. Sed, cum ejusmodi derivatio in Fossae Clodiae portum nimiam arenae copiam inferret, remedium incommodo huic tunc temporis quaerebatur: quamobrem Jocundus Dissertationibus illis sententiam suam de novi alvei ostio mutando protulit prius, tum etiam defendit: fuere autem tractu temporis ad Bronduli portum aquae illae perductae.

Anno quoque 1511. Jocundum Venetiis fuisse credibile quidem est; cum suae Vitruvii Editioni eum praefuisse ipsa quidem rei suadeat ratio. Tum etiam ibidem degisse anno 1513. ex Vasario colligi potest; quo anno 1513. (2) IIII. Id. Januarii magna pars Fori, quod Rivoaltum appellatur, conflagravit. Quamobrem Patribus de Ædificiorum reparatione sollicitis (3) magnificam novi Fori a se delineatam formam obtulit Jocundus. Sed, ob illis praelatam formam aliam ab artifice quodam (cui nomen erat *Zamphragnino*) exhibitam, Jocundum, offensione veluti percitum, Venetiis abjisse, scribit idem Vasarius. Qua tamen de re nihil certi affirmare ausim; quando, non anno illo, sed demum (4) anno 1520. Rivoalti Forum instauratum est.

At pro certo ponam, Bramante Urbinate (5) vita functo, anno 1514. (6) Jocundum Romae, una cum Raphaele Sanzio Urbinate, et cum Juliano Sangallensi, praefectum fuisse extructioni Templi Divi Petri: quo in munere ((7) teste Julio Caesare Scaligero) egregiam operam idem praestitit Jocundus: *qui solus Bramantis Architecti defuncti reliquiarum, typorum, atque consiliorum modos rationemque intellexit.*

Ex hisce vero omnibus liquere facile potest, nonnisi grandaevum ex vita Jocundum emigravisse: at quemadmodum (8) Vasarius scripsit, ita etiam (quamvis ne id facerem libros multos versaverim) nunc scribere necesse est, tempus verum, quo Jocundus mortem obiit, et locum, tumulumque ignorari.

Primus fuit Jocundus, qui ab Vitruvii Editionis principis textu plurimum recesserit: nihilo tamen minus Vitruvii Editiones, quae cura Jocundi prodiere, ita ab eruditis fuerunt arreptae, ut princeps Editio deinde posthabita, atque praeterita fuerit. Qua autem ratione se gesserit Jocundus, ut Vitruvii Libros emendaret, ipse patefacit (9): *quando*, ait *(ut intelligerem) non sine multo sudore et lassitudine: ejus verba et sensum: cum ruinarum veterumque aedificiorum reliquiis me contulisse notum sit: non semel modo: sed saepe et numerose. At hoc etiam (tanta mihi fuit ejus rei cura) parum visum fuisset: si ipsius auctoris integram habuissemus lectionem: quam quia pene*

(1) Historiarum Venetarum Andreae Mauroceni Liber decimus sextus, in fine.

(2) Historia Veneziana di Paolo Paruta. Prima Parte. In Venezia. 1718. pag. 121.

(3) Vite de' Pittori etc. di Giorgio Vasari. Primo Volume della Terza Parte. In Fiorenza. 1568. pag. 248.

(4) Venezia descritta da Franeeseo Sansovino. In Venezia. 1663. pag. 363.

(5) Giorgio Vasari. Nella sopraseritta Terza Parte. pag. 29.

(6) Idem Vasari. Nella Terza Parte. p. 246.

(7) Julii Caesaris Scaligeri Exotericarum Exercitationum Lib. XV. Exercit. 331. p. 1061.

(8) Nella soprascritta Terza Parte. pag. 249.

(9) In Epistola ad Julium II. Pont. Max., qua eidem Pont. Editionem hanc (anni 1511.) nuncupat.

totam corruptam offendi . . . . dum singula perquirere coepi: ad antiqua exemplaria tamquam ad ansam dignoscendae rei me contuli: nec ad pauca quidem: nec una tantum regione vel urbe reperta: sed multis. Sicque duplici studio intentus, veterum scilicet ruinarum monumentis: et situ vetustatis redolentibus libris: satis patentem mihi feci intelligendi semitam: et ex diversa lectione effectum est: ut ex uno vel altero codice quam multa correcta loca invenerim: vel ad corrigendum iter ostenderint: et ubi haec non juverunt: sic omnino uti erant reliqui.

Codicum igitur auctoritate usus, nonnulla loca emendata fortasse dedit: sed plurima quidem eum emendavisse ex ingenio, minime dubitari posse existimo; quandoquidem in Jocundi Editione plurima Vitruvii loca sunt, quae differre a respondentibus locis non modo principis Editionis, verum etiam Codicum, facile comperiuntur: cum tamen iisdem in locis princeps Editio cum Codicibus (quos nec paucos, nec una in regione, vel urbe repertos consului) plane conveniat. Istiusmodi vero exempla (sive specimen perexiguum) videre est in adposita Tabella B. Et, quamvis ea in Tabella videatur una comparere Jocundi Editio, quae prodiit anno 1513. perinde tamen est, ac si proposita quoque esset Editio anni 1511. illa enim cum hac omnino eis in locis (ut ferme ubique) consentit. Sunt autem pauca illa loca (ut alias etiam monuimus) sparsim et intercise excerpta; cum plurima quidem excerpi potuissent.

Si quis vero dicat, visum forte a Jocundo Codicem, mihi neque cognitum, neque perspectum, quo Variantes illae Jocundi Lectiones continerentur; respondebo, haudquaquam probabile fieri, tot in locis, tum eos, qui scripsere Codices usurpatos a Sulpitio, tum eos, qui scripsere Codices a me visos, adeo multas fecisse mutationes ratione eadem, iisdemque verbis expressas. Minus etiam credam, ex perfectiore uno exemplari profluxisse olim Codices visos a Jocundo; omnes vero, a Sulpitio atque a me adhibitos, a vitioso altero fuisse descriptos: hypotheses enim hujuscemodi fingi possunt, probabiles fieri non possunt.

Praeterquamquod ipse Jocundus, se emendationibus ex ingenio usum esse, satis aperte indicat verbis illis: *sicque duplici studio intentus: veterum scilicet ruinarum monumentis*: ex hisce enim verbis proclive est intelligere, eum ex ruinarum monumentis mensuras, proportiones, et alia desumpsisse, ut Vitruvium emendaret. Et rem eandem declarat; cum paullo infra subdit: *ut ex uno vel altero Codice quam multa correcta loca invenerim: vel* Tabella

B Tabella exhibens Specimen differentiae inter nonnullas Lectiones Editionis Vitruvii cura Jocundi 1513. et Editionis Vitruvii cura Philandri 1552.

Loca Editionis, quæ prodiit cura Jocundi. 1513.	*Loca Editionis, quæ prodiit cura Philandri.* 1552.
Pag. 4 v. 12. per quæ tenduntur suculis et vectibus.	Pag. 4 v. 2. per quæ tenduntur ergatis aut suculis et vectibus.
Pag. 10 v. 5. Nam quia ex principiis.	Pag. 18 v. 13. Namque ex principiis.
Pag. 28 b. v. 30. montes sed dispositæ materiæ qualitatem habentes, ignis vis.	Pag. 52 v. 21. montes, sed lapideo genere materiæ qualitatem habentes iguis vis.
Pag. 30 b. v. 8. materia per cæmentorum raritatem fuerit exucta.	Pag. 57 v. 18. materia cæmentorumque exucta raritate.
Pag. 49 v. 10. inter columnas, proportionibus.	Pag. 89 v. 7. inter columnas, ita proportionibus.
Pag. 54 v. 1. denique in summis columnarum scapis.	Pag. 112 v. 31. deinde in summis columnarum scapis.
Pag. 66 v. 7. In angularibus hoc amplius, dimidiatum quantum est spatium.	Pag. 139 v. 9. In angularibus non amplius quam quantum est spatium.
Pag. 109 v. 22. postero mittebant pullos.	Pag. 245 ver. 24. postremo mittebant pullos.
Pag. 123 b. v. 21. agris ephesiorum clivianis.	Pag. 287 v. 2. agris ephesiorum cilbianis.
Pag. 124 b. v. 1. efficiuntur ut adveniat.	Pag. 290 v. 3. efficitur ut adveniat.
Pag. 129 b. v. 1. Fodiatur quoquoversus locus latus ne minus pedes quinque.	Pag. 307 v. 35. Fodiatur quoquoversus locus latus pedes tres, altus ne minus pedes quinque.
Pag. 180 b. v. 7. pars, quæ est proxima quæ conjuncta est mensæ.	Pag. 434 v. 3. pars, quæ est proxima brachiis, quæ conjuncta est mensæ.

ad corrigendum (et haec verba diligentissime notari velim) *iter ostenderint.* Quid autem clarius aut manifestius, quam, si Jocundus correxit ubi ad corrigendum *iter* ostendebatur; eum nequaquam in Codicibus invenisse emendationes ipsas, sed ex qualicumque ostensione *itineris* progressum esse: nimirum ex conjectura', atque ingenio emendavisse?

Verum aliunde etiam colligi haud dubie potest, ad mutationes Jocundum fuisse proclivem. In ea, quam dedit Commentariorum Caesaris (1) Editione (praeter descriptionem Massiliae, et machinarum quarundam a Caesare adhibitarum) explicationem figuramque exhibuit sublicii Pontis, *quem bis fecit Caesar supra Renum.* Sed descriptionem hanc appositumque schema reprehenderunt (2) Hieronymus Magius, et (3) Joannes Buteo: atque hic notavit, Jocundum eis Caesaris verbis: *Haec utraque insuper bipedalibus trabibus immissis*, vim fecisse; cum ea sic emendare tentaverit: *Haec utraque insuper bipedales trabes immissae* (4). Budaeus quoque mutationem quamdam, de qua

(1) Julii Caesaris Commentarii. Venetiis. In Ædibus Aldi et Andreae Soceri. 1513.
(2) Variarum Lectionum seu Miscellaneorum Libro IIII. Cap. 20.
(3) Jo. Buteonis Opera Geometrica. Lugduni. 1554. pag. 32. et 33.
(4) Guilielmi Budaei de Asse et partibus ejus Libri V. Parisiis. 1542. pag. 109. G. II.

sermo inciderat, a Jocundo in Vitruvii textum inductam improbat. *Rursus*, scribit Budaeus, *idem* (1) *Plinius Lib. eodem: Universum autem hunc circuitum Erathostenes . . . . ducentorum quinquagintaduorum millium prodidit, quae mensura Romana computatione efficit trecenties quindecies centena millia passuum. Haec verba cum sic legerentur apud Vitruvium Lib. primo, nuper Jocundus architectus vir religioni initiatus, omnis antiquitatis peritissimus, tamen more hodierno referenda censuit, in iis exemplaribus Vitruvii, quae egregie alioquin et solerter emendata imprimenda curavit. Sic enim in his legitur: Quae ducenta quinquagintaduo millia stadiorum fiunt passus semel et tricies millies mille et quingenties mille. Hujus autem octava pars, quam ventus tenere videtur, est ter millies mille et noningenties tricies septies mille, et passus quingenti; qui modus loquendi antiquitatem non resipit.*

Quae diligenter animadvertenda putavi; nam quando Jocundi ipsius et excellentium Virorum, vel ejus aequalium vel ferme aequalium, testimoniis constat, eum mutationibus ex ingenio indulsisse, easdemque induxisse in Vitruvii textum; et quando nullas ille Annotationes adjecit, quibus mutationes mutationumque caussas indicaret; haud dubie liquet, in hac Editione res et verba diligenter esse expendenda; atque caute esse judicandum de varietatibus, quae inter hanc eamdem Editionem et Editionem principem Codicesque offenduntur, ut inde Vitruvii textus fidei antiquae restitui possit.

Ceterum quod attinet ad formulam rationemque scribendi, prioribus castigatior est haec Editio. Huic insuper addita fuere in Octavi Libri tertio Capite Graeca Epigrammata, quae desiderabantur in tribus prioribus illis saeculi decimiquinti Editionibus. Praeterea, quamvis in hujusce Editionis Libri septimi Capitibus VI. VII. VIII. VIIII. plures periodi connexae inter sese diversa, ac in praecedentibus Editionibus, ratione legantur (quemadmodum jam (2) observavimus) revera tamen Jocundi ordo aptior aliquo modo esse videtur; et dubitare licet, num Codicum, atque inde principis Editionis locis illis aliqua luxatio contigerit. Certe post Jocundi tempora ii, qui Vitruvium edidere, omnes ad unum Jocundi ordinem commemoratis in Capitibus sunt persecuti.

Annotatiunculas quasdam addidit Figuris suis Jocundus, praeterea vero nihil scripsit, quod Vitruvii illustrationi conduceret.

Ipsae autem Figurae primae sunt, quae neque paucae, neque diligentia contemnenda delineatae prodierint. Formis ligneis (non admodum artificiose caelatis) impressae sunt. Quaedam ad illustrationem rerum a Vitruvio traditarum aliquam habent utilitatem; quaedam non ita: ut etiam olim, inter ceteros, animadvertit (3) Claudius Ptolomaeus, de quo illustri viro (4) infra plura lubenter afferemus.

Porro Jocundus haud parum de Vitruvii Libris meritus est. Magisque etiam bene mereri potuisset, si et pauciores induxisset in textum mutationes, et inductarum rationes caussasque demonstravisset.

(1) C. Plinii Naturalis Historiae Libro Secundo. Cap. 108.
(2) Ad annum 1486.
(3) Lettere di Claudio Tolomei. In Vinegia 1547. pag. 81.
(4) Ad annum 1547.

MDXIII.

VITRVVIVS ITERVM ET FRONTINVS A IOCVNDO REVISI REPVRGATIQVE QVANTVM EX COLLATIONE LICVIT.

HOC OPVS PRAECIPVA DILIGENTIA CASTIGATVM, ET CVRA SVMMA EXCVSVM EST FLORENTIAE SVMPTIBVS PHILIPPI DE GIVNTA FLORENTINI ANNO DOMINI. M. D. XIII. MENSE OCTOBRI. in 8.

Pro Editione hac, se curas secundas impendisse, profitetur Jocundus cum (1) ait: *Quae (laborum meorum monumenta) cum secundae impressioni sub meo nomine subjicienda intelligerem, non putavi negligenter praetereundum, quin ea reviserem, meliusculaque facerem*: haec tamen Editio cum ea, quae prodiit anno 1511. ferme ubique consentit; ut (2) alias etiam indicavimus.

Sed interpunctio in Editione hac paullo distinctior est: contra vero Figurae (ligneis formis impressae) desumtae quidem sunt ex priore Editione; multo tamen minores sunt, atque caelatae imperfectius.

Nihilo tamen minus Editio haec, quoniam in fronte perhibetur *revisa repurgataque*, a multis tamquam praecipuum exemplar (ut (3) supra animadvertimus) habita est.

* MDXX.

In Epistola quadam Jacobo Zieglero ab Caelio Calcagnino scripta leguntur nonnulla, quae subjicienda esse, Calcagnini et Raphaelis Sanzii Urbinatis praeclara nomina suaserunt: sunt vero haec (4): *Raphael Urbinas, juvenis summae bonitatis, sed admirabilis ingenii. Hic magnis excellit virtutibus, facile Pictorum omnium princeps, seu in theoricen, seu in praxin inspicias. Architectus vero tantae industriae, ut in ea inveniat ac perficiat, quae solertissima ingenia fieri posse desperaverunt. Praetermitto Vitruvium, quem ille non enarrat solum, sed certissimis rationibus aut defendit, aut accusat: tam lepide, ut omnis livor absit ab accusatione.*

Hanc Epistolam exaravit Calcagninus multo ante quam ab hac migraret vitam; migravit enim anno 1546. ut ex (5) Antonio Libanorio plane liquet. Raphael autem Urbinas (de quo vivente scripsit Calcagninus) e vivis (6) excessit anno 1520. Quae tamen pertinentia ad Vitruvium commentatus Raphael est, numquam lucem adspexere.

Cum autem de Calcagnini morte sermo inciderit, liceat hic loci quorundam errorem tollere (ut (7) Aloysii Moreri, nonnullorumque ab eo citatorum) qui, Calcagninum vita functum anno 1540. scripsere. Cujus erroris origo fuit

(1) In Epistola, qua Editio haec inscribitur Juliano Medices.

(2) Ad annum 1511.

(3) Ad annum 1486.

(4) Caelii Calcagnini etc. Opera aliquot. Basileae. 1544. pag. 101.

(5) Ferrara d'oro imbrunito dell'Abbate Antonio Libanori. Parte Prima. pag. 129.

(6) Vite de' Pittori etc. di Giorgio Vasari: Primo Volume della Terza Parte. pag. 88.

(7) Le Grand Dictionaire Historique. Ad verbum, Calcagnini (Celio).

Inscriptio in ipsius Calcagnini monumento incisa ; in qua (a (1) Guarino relata) praeter cetera , leguntur haec : *Caelius Calcagninus Apostolicae sedis Protonotarius vivens sibi posuit . . . Anno Sal. MDXL. Anni itaque hujusce observatio , praecedentiumque verborum praetermissio , in caussa fuere, ut , Calcagninum mortuum anno* 1540. *litteris nonnulli mandaverint.*

MDXXI.

DI LVCIO VITRVVIO POLLIONE DE ARCHITECTVRA LIBRI DECE TRADVCTI DE LATINO IN VVLGARE AFFIGVRATI : COMMENTATI : ET CON MIRANDO ORDINE INSIGNITI : PER IL QVALE FACILMENTE POTRAI TROVARE LA MOLTITVDINE DE LI ABSTRVSI ET RECONDITI VOCABVLI A LI SOI LOCI ET IN EPSA TABVLA CON SVMMO STVDIO EXPOSITI ET ENVCLEATI AD IMMENSA VTILITATE DE CIASCVNO STVDIOSO ET BENIVOLO DI EPSA OPERA.

Post finem Commentariorum Libri decimi leguntur haec, quae subjeci.

Qui finisce l' opera praeclara di Lucio Vitruvio Pollione de Architectura traducta de latino in vulgare : Historiata e Commentata a le spese e instantia del Magnifico D. Augustino Gallo Cittadino Comense e Regio Referendario in epsa Citate : e del nobile D. Alvisio da Pirovano Patricio Milanese . . . . . Impressa nel amoena et delectevole Citate de Como per Magistro Gotardo da Ponte Cittadino Milanese : ne l' anno del nostro Signore Iesu Christo M. D. XXI. XV. mensis Iulii. fol. maj.

Caesaris Caesariani vitam qui scribere instituerit, neminem inveni. Eam itaque exponere decrevi, non propterea quod excellens ille fuerit', aut insignia aliqua opera sit architectatus : sed quod primus omnium , ut Vitruvii Libros illustraret , multa conatus sit ; tum etiam quod tam varia de eodem a variis sunt mandata literis , ut (saltem pro instituto nostro) operae pretium fortasse fuerit , ea conquisivisse atque expendisse ; nec non etiam ea , quae certiora esse videantur, hic in unum commisisse. Ordiar ab iis , quae idem Caesarianus refert de semetipso ; sed tam obscure , ut vix quidpiam clare intelligi queat (2) : narrat patrem suum , nomine Laurentium, peritissimum fuisse humaniorum litterarum, jurisque civilis , ideoque carissimum fuisse Bonae Mariae , et Joanni Galeatio Mediolanensium Ducibus , a quibus obtinuit (ut ipsius verbis utar) (3) *lo offitio de la Canzelaria del Capitaneato de justitia in Mino :* mortuus autem hic est cum Caesar esset quadriennis ; et quoniam testamenti tabulas perficere non potuerat , *testo* (pergit Caesar) *per me sopra la promissa fede de quella che poi fu vocitata mia noverca.* De hac autem foemina , tota in sua narratione gravissime conqueritur. Ab ea etenim , cum decimumquintum aetatis annum attigisset , domo pulsus , peregre proficisci coactus est. Diu vero Ferrariae commoratum, se Philosophiae. et Mathesi operam dedisse, *schemata , et diagramata* se plura delineavisse pertinentia ad scientias illas, Auctoresque etiam graecos et latinos se explicuisse , scribit. Deinde ad-

(1) Compendio Istorico dell' Origine ec. delle Chiese, e Luoghi Pii della Città, e Diocesi di Ferrara. Opera di D. Marc' Antonio Guarini. In Ferrara. 1621. pag. 91.

(2) In suis Commentariis ad Libros Vitruvii. Propositae Editionis pag. lxxxxi.

(3) Pagina citata: a tergo.

dit; se post sexdecim annos rediisse in patriam, reditum noverca sollicitante, ut eam liberaret a quorumdam insidiis, filiorumque contumeliis; tum se praesto fuisse in Architectonicis rebus Duci Maximiliano; subditque: *ritornati iterum a la obsidione del arce di Iove: per la Novariense victoria.*

Haec autem erat Arx Mediolanensis, ut Tristanus Chalcus Mediolanensis satis commonstrat (1). *Interim* (scribit is) *Mediolani, ut nuptiae honorificentissime fierent, procurator. Arx in primis Jovis miris studiis, ubi Principum Domicilium est, exornator.* Nomen hoc sortita erat Arx illa a proxima Porta; scribit enim Caesarianus (2): *Così è placiuto a li nostri principi Mediolanensi . . . . aedificare la fortissima arce et Castello de la porta di Iove:* Quae Porta vulgo *Porta Zobia*, vel *Giobia* (3), nominabatur. (4) Franciscus vero Guicciardinus narrat; Maximilianum salutatum fuisse Mediolanensium Ducem labente Mense Decembri anni 1512. victoriam autem Novariensem Helvetios, Maximiliano impensissime faventes, Duce strenuo et audaci Mottino, consecutos esse VIII. Id. Jun. anni 1513.

Quae cum ita sint; liquet ad annum hunc 1513. ea pertinere, quae Caesarianus scribit sibi post reditum suum contigisse. Itaque, cum a patria extorris degerit annos sexdecim, unde abjit annos natus quindecim, et cum redierit in patriam anno 1513. eum natum fuisse anno 1481. vel 1482. colligere licet. Praeceptore autem Bramante usus fuit Caesarianus noster, ut ipse declarat verbis hisce (5): *la sacrastia del Divo Satyro architectata fu dal mio preceptore Donato de Urbino cognominato Bramante.*

Ast hoc loco praetermitti non potest, errorem palmarem erravisse Georgium Vasarium, qui (6) narravit Bramantem profectum fuisse Mediolanum, ut princeps Templum (*il Duomo*) videret: et ibi tunc degisse quemdam Caesarem Caesarianum, qui excellens Geometra et excellens Architectus reputabatur, et qui Commentarios in Vitruvii Libros scripsit: haec ille.

Sed quam a veritate haec sint aliena, plus satis commonstrat sola Caesariani, et Bramantis aetatum comparatio. Mediolano enim Caesarianus admodum juvenis abierat, reversusque (ut paullo supra constituimus) est Mediolanum anno 1513. at hoc anno Romae erat Bramantes, qui insequenti anno 1514. Romae septuagenarius vitam cum morte commutavit; ut scribit vel ipse Vasarius (7): narrat enim, Julium II. Pont. Max. creatum anno 1503. uti statim coepisse Bramantis opera: Bramantem vero vixisse annos 70. et ab hac vita Romae emigrasse, ac conditum fuisse in Divi Petri Templo, anno 1514.

Errorem autem (8) Joachimus de Sandrart eundem imbuit: quem etiam quodammodo auxerunt (9) Isaacus Bullartus, et Auctores (10) Lexici Moreriani; quandoquidem tum Bullartus, tum illi Auctores affirmate scripsere, Bramantem Caesaris Caesariani disciplina plurimum profecisse.

(1) Tristani Chalci Residua. In Nuptiis Mediolanensium Ducum. Mediolani. 1644. pag. 64.
(2) In citatis Commentariis. pag. xlii.
(3) Historia di Milano di Bernardino Corio, Mediolani. 1503. pag. 179. et Historia di Milano di F. Paolo Morigia. Venezia. 1592. p. 128.
(4) Historia d' Italia di Francesco Guicciardini. Libro XI.
(5) In citatis Commentariis. pag. lxx. a tergo.
(6) Vite de' Pittori etc. di Giorgio Vasari: Primo Volume della Terza Parte. pag. 28.
(7) Giorgio Vasari. Nella citata Terza Parte. pag. 29. et 33.
(8) Joachimi de Sandrart Academia Artis Pictoriae. Norimbergae. 1683. pag. 117.
(9) Academie des Sciences et des Arts. Par Isaac Bullart. A Amsterdam. 1682. Tom. Prim. pag. 348.
(10) Le Grand Dictionaire Historique. par M. Lovis Moreri: Ad vocem, Bramante.

Sed redeundo ad ipsius Caesariani expositionem; pergit ille de noverca sua scribens (1): *Et a la praedicta avendo alcune cose mie commisse a la sua fede: Questa al tutto eversata contra di me: a pena ad me rendete altro che questa presente Vitruviana opera*: unde liquet; eum etiam extra patriam in hoc opus incubuisse, et saltem partem ejus secum attulisse cum rediit in patriam. Additque paullo post: *la sorte pauperrima al tutto no me ha lassato bene ventilare enucleare et sublimare questa opera*; atque hinc scire licet, infimam ejus fuisse fortunam. Clericus autem fortasse fuit: nam ad calcem hujusce narrationis scribit: *Cum sit per Antoniam Brinscham et nutricem Magdalenam de Cuticis Matrem della dictae Novercae . . . . . mi fece fare dil Sacro et Electo Clero Mediolanense. Sperando farmi avere etiam altri beni più che li paterni.*

Ceterum Caesarianus huic Operi ultimam manum non imposuit: cum (2) exstet monitum Augustini Galli, et Alvisii Pirovani, quod hujusmodi habet initium: *Perche Cesare Cisariano circa il fine di Magio del anno presente M. D. XXI. havendo commentato e dato le Copie a li impressori per insino al* (3) *loco soprascripto* (nimirum usque ad Caput 7. Libri VIIII. Vitruvii) . . . *se partite da Como: et lasso l' opera imperfecta con grande dispendio nostro.*

Post illud vero tempus quid egerit Caesarianus, et quando diem obierit, ignoratur. Neque addere de Caesariani fine quicquam possumus praeter id, quod Georgius Vasarius narrat (4): *Caesar* (verba ejus sunt in latinum conversa) *Caesarianus . . . qui Commentarios in Vitruvii Libros scripsit, cum spem amisisset percipiendi ejus praemii, quod ipse animo conceperat, morosus adeo ac difficilis factus est, ut nihilquicquam deinde agere voluerit; redditusque omnino asper, ac prope inhumanus, ceu brutum animal mortuus est.*

A Scriptoribus tamen Mediolanensibus magnis affectus fuit laudibus Caesarianus. A (5) Paulo enim Moriggia Caesar Caesarianus magnus Architectus appellatur. Et a (6) Philippo Picinellio haec sunt mandata litteris: *Cesare Cesariano* (scripsit ille) *illustrò Vitruvio con così copiosi e dotti Commentarii, che mal può risolversi, se maggior lode si debba a chi formò il Testo, o a chi con le sue considerazioni notabilmente l' illustrò, e l' accrebbe.* Quod idem Picinellius vero deinde addit: *Vitruvio* da Cesariano *tradotto, e commentato . . . . che poi da Agostino Gallo fu ristampato in Como, l'anno* 1521. falsum est: neque enim Editio illius anni secunda fuit, sed prima.

Praetermittendum vero non est, propositae Editioni perficiendae operam suam contulisse etiam Bonum Maurum, et Benedictum Jovium; ut Aloysius Pirovanus affirmavit, scribens haec (7) *Io praedicto Aloiso . . . . habbiamo conducto homini in tale doctrina studiosi: quali l' hanno con summa diligentia* (*quanto per la brevitate dil tempo gli e stato licito*) *correcto fidelmente traducto et declarato: maxime Bono Mauro Bergomense homo di tale do-*

(1) In citatis Commentariis. pag. lxxxxi. a tergo.

(2) Ad calcem propositae hujusce Editionis.

(3) In citatis Commentariis pag. clIIII. a tergo.

(4) Giorgio Vasari nella citata Terza Parte. pag. 28.

(5) Paolo Moriggia. Della Nobiltà di Milano. Milano. 1619. Lib. V. Cap. 6.

(6) Ateneo de' Letterati Milanesi del P. Abbate Filippo Picinelli. Milano. 1670. pag. 138.

(7) In Oratione, quam Propositae Editioni Aloisius Pirovanus praefixit.

ctrina non iguaro: quale ha et epso texto traducto et molti difficili passi enucleati. . . . licet in parte di epsa sia il nome lui surrepto, et nominato solum per correctore da quello che la impressione frequentava : hisce autem postremis verbis Caesarianus videtur indicari. Et iterum etiam addidit ille: Cesare Cesariano (1) *lasso l' opera imperfecta con grande dispendio nostro . . . . furono richiesti per nuy li soprascripti Benedicto Iovio et Bono Mauro con pregarli: ne volessero adiutare in questo : li qual per non avere studiato l' authore : se bene altre volte trauscorso con difficultate acceptarono l' impressa de proseguirla : con bona venia deli docti.*

Sed ut ad Editionem ipsam jam propius accedamus, praestabit animadvertere ; Caesarianum Vitruvii Libros de Latina Lingua in Italicam ita convertisse, ut ejus dictiones neque Latinae, neque Italicae esse videantur. Ejusmodi etiam scribendi ratione usus est, quae neque Italicam orthographiam, neque Latinam exhibeat. Adhibuit enim diphthongorum notas in Italicis verbis, *areae, aede, moenie; praesto, praesepti, plateae*, inque aliis quamplurimis. Usus praeterea est vocibus *dixe, epso, civitate, flaute, fervere, efficeno, expediro, gubernate, aspiceno*, et plurimis similibus aliis.

Et quamvis ex iis locis, quae superius attulimus, satis de ejus dictionibus in Commentariis suis judicium fieri queat: nihilo minus, tamquam versionis exhibitae ab eo specimen, apponemus Capitis Sexti Libri Primi verba haec fideliter descripta: *Poi che le moenie sono circumdate sequeno intra lo muro le divisione de le areae: et plateae: Et de li Angiporti la directione a la regione del Coelo se dirigerano.* Primus tamen fuit, qui laborem hunc in se reciperet: in quo Principem Editionem alicubi, alicubi vero Jocundi Editionem videtur esse secutus. Liquet autem (ut etiam (2) Baldus observavit) ex ipsius Commentariis, cum etiam manu scriptos Codices vidisse, et contulisse : quamobrem, ad emendationem textus Librorum Vitruvii omnimode tentandam, conducet (ubi difficiliora loca sint) hanc quoque Editionem inspicere.

Est autem haec Editio prima, in qua Annotationes diffusae, justique veluti Commentarii in Vitruvii Libros conscripti, reperiantur. In quibus et Caesar, et quidam alii, quos paullo supra indicavimus, difficilia loca reddere planiora conati sunt: ac, quamvis non admodum feliciter eisdem res cesserit, nonnulla tamen commentariis iis continentur, in quibus quidpiam, quod lucro sit, perscrutari possimus ea ratione, qua (sic fari liceat) Virgilius, *cum aliquando Ennium in manum haberet, rogatus quidnam faceret, respondisse fertur, se aurum colligere de stercore Ennii*; ut (3) Donatus narrat.

Apparet praeterea in hac Editione, Caesarianum tentavisse varia eruditionis supellectile comparata, plura Vitruvii loca illustrare; locis ad hunc finem variis desumtis ex Nonio, Varrone, Ennio, Cicerone, Platone, Aristotele, Suida, Æliano, Strabone, Justino, Virgilio, Ovidio, Lucretio, Horatio (saepius vero) ex Plinio; et ex quibusdam etiam aliis notae optimae Auctoribus.

Figurae plurimae (ligneis formis impressae) ab eodem adjectae sunt, mul-

(1) In monito ad Calcem Propositae Editionis.

(2) De Verborum Vitruvianorum significatione. Auctore Bernardino Baldo. Ad verbum, Perones; ad verbum, Striges; et ad verbum, Lysis.

(3) Donatus (seu quicumque alius Auctor est) in Vita Virgilii post medium.

to haud dubie labore comparatae: in quarum nonnullis aliquid artis apparet; pleraeque tamen facile ex vitiosis Architecturae ideis profluxisse videntur. Narrat quidem (1) Lomazzius, nonnulla schemata molendinorum, picta ab Leonardo *da Vinci*, ab Civerchio, et a Butinone, Gaudentium Ferrarium dono dedisse nostro Caesariano: neque tamen in Figura illa machinae ad molendam farinam, a Caesariano (2) exhibita, quidpiam esse videtur, quod illius Leonardi summam pingendi referat peritiam.

Neque sane hoc loco temperare mihi possum, quin etiam notem, alicubi illum nimis inerudite Figurarum ornamenta finxisse; exemplum autem afferam vix credibile: turrim ventorum, sive octogonam turrim Andronici (3) repraesentavit ille ornatam statua B. Mariae Virginis gestantis inter ulnas Puerum Salvatorem nostrum, et statuis Angelorum tibiis canentium: ac, ad fastigium turris ejusdem, plures (ut appellant) campanas:

. . . . (4) *fortasse cupressum*
Scis simulare. quid hoc, si fractis enatat expes
Navibus, aere dato qui pingitur? . . . .

MDXXII.

M. VITRVVII DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM NVPER MAXIMA DILIGENTIA CASTIGATI, ATQVE EXCVSI, ADDITIS IVLII FRONTINI DE ACQVAEDVCTIBVS LIBRIS PROPTER MATERIAE AFFINITATEM.

Impressum Florentiae per haeredes Philippi Juntae Anno Domini MDXXII. sexto Kal. Novembris. in 8.

Ex Editione anni 1513. proposita Editio haec fuit descripta fideliter. Duntaxat loca, quorum errores in indice ad calcem illius notata fuerant, in hac emendata reperiuntur.

Figurae etiam in hac formis iisdem ligneis, quae in illa fuerant adhibitae, sunt impressae.

Hujus paginae ad amussim illius paginis respondent; si numeros earundem excipias; cum Vitruvii textus pagina prima numero 1. in illa, in hac autem numero 4. signetur.

MDXXIII.

M. VITRVVII DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM, SVMMA DILIGENTIA RECOGNITI, ATQVE EXCVSI. CVM NONNVLLIS FIGVRIS SVB HOC SIGNO ⁎ POSITIS. NVMQVAM ANTEA IMPRESSIS. ADDITIS IVLII FRONTINI DE ACQVAEDVCTIBVS LIBRIS, PROPTER MATERIAE AFFINITATEM. 1523.

Sine loco et sine Typographi nomine. in 8.

(1) Trattato dell'Arte de la Pittura di Gio. Paolo Lomazzo. In Milano 1584. pag. 652.
(2) Pag. clxx.
(3) Pag. xxIIII.
(4) Horatius. De Arte Poetica. ver. 19.

Etsi notis loci, ac nominis Typographi Liber hic destituitur: ex typis tamen, aliisque adjunctis, conjicere licet Florentiae prodiisse.

Quod attinct ad textum; haec Editio descripta est ex illa prioris anni 1522. neque minus, quam illa, est emendata.

Figurae, quae sunt in illa, in hac quoque exstant: sed novae ligneae formae fuerunt adhibitae. Quae vero additae, hoc signo * distinctae reperiuntur, dicunturque (sed perperam) *numquam antea impressae*, ex Vitruvii Editione, quae prodiit cura Caesariani anno 1521. fuere desumtae, atque ad minorem formam redactae.

MDXXIIII.

M. L. VITRVVIO POLLIONE DE ARCHITECTVRA TRADVCTO DI LATINO IN VVLGARE DAL VERO EXEMPLARE CON LE FIGVRE A LI SOI LOCI CON MIRANDO ORDINE INSIGNITO: CON LA SVA TABVLA ALPHABETICA: PER LA QVALE POTRAI FACILMENTE TROVARE LA MOLTITVDINE DE LI VOCABVLI A LI SOI LOCI CON SVMMA DILIGENTIA EXPOSITI: ET ENVCLEATI: MAI PIV DA NIVNO ALTRO FIN AL PRESENTE FACTO AD IMMENSA VTILITATE DI CIASCVNO STVDIOSO.

In Venezia. In le Case de Ioanne Antonio et Piero Fratelli da Sabio. Nell' anno del Signore 1524. *Del mese di Martio.* fol.

Huic Editioni Epistola praemittitur, ita inscripta: *Francesco Lutio Durantino alli Lettori S. D.* in qua de Architecturae, et de Vitruvii laudibus agitur. Praeter tamen hunc titulum, nihil aliud nancisci potui, ex quo elicerem de illo Francisco Lucio notitiam aliquam.

De eo igitur id unum animadvertam, liquere, ejus Patriam fuisse Umbriae Urbem, quae Italice dicebatur *Castel Durante*; se enim *Durantinum* appellat. Urbs illa, olim nuncupabatur *Urbinum* (ut (1) Cellarius ait) *Metaurense, quod VIII.* (vere XI.) *millibus passuum ab Urbino Hortensi abest, Metauro flumini impositum, videtur Castellum Durante esse, ab altero* Hortensi *Urbino in Austrum recedens.* Nunc *Urbania* dicitur ab aliquibus: ita Abbas Philippus Titi, in accurata sua (2) Geographica Mappa, scripsit: *Urbania già Castel Durante.* Eidem autem Urbi attribuitur ab (3) Georgio Vasario, et (4) Joachimo de Sandrart etiam Bramantes, quamvis a (5) Bernardino Baldo Bramantis Patria dicatur *Fermignano*, nimirum Oppidum quinque millibus passibus a Metaurensi Urbino distans. Itaque si eadem Patria fuit Bramanti et Lutio (ille e vivis (6) excessit anno 1514. Librum vero suum Lutius edidit anno 1524.) conjicere licet, hunc illius discipulum fuisse; vel saltem illius exemplo hunc ad Architecturae studium fuisse inflammatum.

Ex contextu Editionis Caesariani descriptus est contextus Editionis hujusce: nonnullae duntaxat voces paullo emendatiores sunt. Cum enim in illa legatur

(1) Notitia Orbis Antiqui (Editio anni 1701.) pag. 743.

(2) Mercurio Geografico. In Roma fol. 119. Legazione del Ducato di Urbino, dell'Abate Titi.

(3) Vite de' Pittori etc. Primo Volume della Terza Parte. pag. 28.

(4) Academia Artis Pictoriae. pag. 117.

(5) Memorie concernenti la Città di Urbino. In Roma. 1724. pag. 33.

(6) Vasari nella citata Terza Parte. pag. 53.

(exempli caussa) *dixe* , *epso* , *civitate* , *habere* , *sequta* ; in hac legitur , *disse* , *esso* , *città* , *havere* , *seguitata* , et similia.

Diphthongi, quas in illa reperiri notavimus , nullae sunt in hac.

Vitruvii nomen aliquando ita scribitur: *M. L. Vitruvio* ; aliquando ita: *Marco Vitruvio.*

Mirari nihilominus subit , in Francisci Lutii citata Epistola legi haec: *pigliati adunque* , *carissimi lettori* , *con animo lieto* , *Vitruvio novamente tradotto* : cum tamen luce meridiana clarius sit, non novam de Latina Lingua in Italicam conversionem , sed eam Caesariani (ut paullo supra diximus) hanc esse: qui tamen Caesarianus nuspiam in illa Lutii Epistola nominatur.

Nullae autem sunt in Editione hac Annotationes. Sed principio Iudex veluti quidam Vitruvii dictionum praemittitur (implens paginas trigintanovem) quem totum ferme componunt excerpta ex Annotationibus Caesariani *alphabetico* (ut appellant) ordine disposita , atque digesta. Utilia tamen et inutilia , vera et falsa, ad rem apta et inepta , ex Caesariani opere , nullo adhibito criterio, corrosa in Indicem hunc translata reperiuntur: atque haud paucis locis pejora , vel saltem obscuriora , reddita sunt , quoniam mutilata.

Figurae autem omnino omnes desumtae fuere ex Jocundi Editione anni 1511. Formas tamen ligneas, quibus Figurae impressae , novas fuisse , rudioresque pluribus in locis, facile apparet.

Atque inde factum fuit, ut contextus hujusce Editionis disponeretur modo eodem, quo in Jocundi Editione: quamobrem utriusque Editionis paginae inter se respondent.

* MDXXXI.

In Pictorum vitis, quas litteris mandavit (1) Leo Pascolus, vir eruditissimus, legitur , ab Jo. Bapt. Caporalio Vitruvium Italice editum fuisse anno 1531. Sed Editionem hanc nunquam vidi : immo Operis Caporalii (de quo (2) infra dicetur) nuncupatoria Epistola , plane ostendens tunc primum de illo Opere agi, signata est mense Novembri anni 1532. Quamobrem , annum illum 1531. inter *errata typographica* ponendum esse , non sine certa ratione opinor.

* MDXXXIII.

In (3) Bibliotheca Dubosiana legere est haec, quae subjeci:

Architettura con il suo commento et Figure , *Vitruvio in volgar lingua raportato per M. Giam. Batt. Caporali di Perugia. Bonon.* 1533. fol.

Editionem tamen hanc nuspiam fuisse , et semel tantum illud Caporalii Opus editum Perusiae (ut exponetur (4) infra) plane existimo. At Editio haec exhibita fuit quasi prodiisset *Bononiae* 1533. ob errorem haud dubie ortum ex eo , quod Catalogi Bibliothecae illius Auctores subscriptionem attende-

(1) Vite de' Pittori , Scultori , ed Architetti Perugini. In Roma. 1732. pag. 51.

(2) Ad Annum 1536.

(3) Bibliotheca Dubosiana. A la Haye. 1726. Tom. I. pag. 271.

(4) Ad Annum 1536.

runt *Privilegii* ab Clemente VII. Pont. Max. concessi, quod in Voluminis principio legitur, signatumque est: *Bononiae*, *mense Januario*. 1533.

MDXXXV.

M. L. VITRVVIO POLLIONE DI ARCHITECTVRA DAL VERO ESEMPLARE LATINO NELLA VOLGAR LINGVA TRADOTTO: E CON LE FIGVRE A SVOI LVOGHI CON MIRANDO ORDINE INSIGNITO. ANCHORA CON LA TAVOLA ALFABETICA: NELLA QVALE FACILMENTE SI POTRA' TROVARE LA MOLTITVDINE DE VOCABOLI A SVOI LVOGHI CON GRAN DILIGENZA ESPOSTI: E DICHIARATI: MAI PIV' DA ALCVNO ALTRO FIN AL PRESENTE STAMPATO A GRANDE VTILITA' DI CIASCVNO STVDIOSO.

In Vinegia. Per Nicolò de Aristotele detto Zoppino. Nelli anni del Signor nostro Messer Giesu Christo dopo la sua natività. 1535. *del Mese di Marzo.* fol.

Editio haec desumta esse videtur ex Editione anni 1524. Index tamen Vitruvianarum dictionum contractior est.

Stylus non quidem purus, sed ex collatione hujusce Editionis cum illa anni 1524. plane liquet, plurima verba in hac fuisse emendata, melioremque *orthographiam* adhibitam. Quamobrem Editio haec illi non modo praestat; sed quodammodo, ceu (saltem magnam partem) nova haberi posset.

Quis tamen ea verba emendaverit, non apparet: nam eadem illa Epistola Francisci Lutii, quae priori Editioni praefixa fuit, in hac etiam legitur: nihil vero aliud praeter eam.

Figurae eaedem quoque sunt, atque in priore Editione anni 1524. iisdemque ligneis formis impressae.

MDXXXVI.

ARCHITETTVRA CON IL SVO COMMENTO ET FIGVRE. VETRVVIO IN VOLGAR LINGVA RAPORTATO PER M. GIAMBATISTA CAPORALI DI PERVGIA.

Ad Libri calcem legere est quae sequuntur.

IN PERVGIA NELLA STAMPERIA DEL CONTE IANO BIGAZZINI, IL DÌ PRIMO D'APRILE. L'ANNO 1536. fol.

Nonnulla (1) Vasarius, plura Clarissimus (2) Leo Pascolus scripsit de Jo. Baptista Caporalio: ex iis igitur desumsi quae de vita illius sequuntur. Natus est Jo. Baptista, honesto loco, Perusiae anno circiter 1476. Ei revera Jo. Baptistae nomen fuit: quamvis a Vasario, a Baldinuccio, et a nonnullis aliis *Benedicti*, a plerisque *Bitte* (ut notavit etiam (3) Crispoltius ita scribens. *Gio: Battista Caporali, altrimente Bitti*) nomine indicetur. In pingendi arte usus est praeceptore Petro Vannucio, qui vulgo appellabatur *Pietro Perugino*. Geo-

(1) Vite de' Pittori etc. Prima e Seconda Parte. In Fiorenza. 1568. pag. 516.

(2) Vite de' Pittori etc. pag. 50. 51. 52.

(3) Perugia Augusta di Cesare Crispolti. In Perugia. 1648. pag. 385.

metriae operam dedit, et ab ea ad Architecturae studium se contulit; neque tamen propter haec picturam eo tempore praetermisit.

Magnificarum aedium, quarum formam animo conceperat, lineamenta peregit jussu Sylvii Passerini Cortonensis S. R. E. Cardinalis, qui deinde eas, inter Cortonam et primum a Cortona lapidem voluit aedificari; aedificationi autem praefuit Caporalius, earundemque parietes ferme totos, cum ita Cardinali placuisset, pinxit.

Quo peracto opere, in patriam reversus picturae propemodum vale dixit, ad Architecturae studium se totum referens. Tum vero (ut (1) Pascolus narrat) Libros Vitruvii, in quos ante discessum e patria commentarios conscripserat, edidit. Hic animadvertam, Sylvium Cardinalem objisse (2) anno 1529. et Epistolae, qua Caporalius suum opus Comiti Bigazinio nuncupavit, hoc esse subscriptum, *Perusiae anno* 1532. Itaque ex his de tempore illius in Patriam reversionis duci potest conjectura.

Deinceps vero scholam suam cunctis voluit patere, operamque dedit nonnullis inventis ad Militarem Architecturam spectantibus; quin etiam, amoeniora colens studia, carmina quaedam, et eadem elegantia protulit.

Anno circiter 1560. apoplexia correptus, post aliquod tempus (Cortonae, an in Patria, incertum est) vitam cum morte commutavit.

Nunc, ut de ejus opere dicam, id non excedit priores quinque Vitruvii Libros; ut res ipsa loquitur, ac ut Auctor ipse in citata nuncupatoria Epistola profitetur hisce verbis; *mi sono affaticato la metà de i X. Libri, primamente il texto, et di poi la exposizione;* hoc est; *laboravi in dimidia parte decem illorum Librorum, primum circa textum, deinde circa eorum explicationem.* Ille autem forsitan non attigit quinque reliquos Libros, certe non edidit.

Quod igitur attinet ad quinque editos Libros, observare licet, in nuncupatoria Epistola Caporalium improbare tum conversiones de Latina in Italicam linguam Librorum Vitruvii, quae jam prodierant; tum Annotationes Caesariani in Libros eosdem reprehendere; ac demum meliora promittere.

Sed si versionem spectes, remque totam attendas, eam haudquaquam praecedentibus meliorem invenies. Etsi enim pauca quaedam loca tantillo melius, quam priores interpretes fortasse vertit; alia tamen nonnulla corrupit; neque vulneribus, quae Vitruvii operi in prioribus versionibus inflicta fuerant, ullam attulit medicinam. In ea porro Editione perlustranda quis operam ponet, quin agnoscat eum in Latina, tum in Italica lingua, interpretis imperitiam?

Annotationes autem ex Caesariano plerumque descripsit idem Caporalius; atque eae, quas de suo adjecit, ejusdem quasi farinae esse videntur.

Figurae pleraeque itidem ex Caesariano desumtae sunt, sed rudioribus ligneis formis impressae: reliquae, novae quidem, sed ad propositarum rerum illustrationem adeo parum aptae, rudes adeo, ut vix, aut ne vix quidem, ulla pictoris ars in iisdem elucescat.

Propter haec, ut opinor, Caporalii opus parvi factum fuit, vel ipso vivente Auctore, id enim satis indicare videtur reticentia quaedam Georgii Vasarii, illi aetate supparis, cujus sunt verba haec (3): *ma* il Caporali *commentò*

(1) Pag. 51.

(2) Alph. Ciaconii Vitae Pontificum ab Augus. Oldoino recognitae, Tomus tertius. 1677. pag. 400.

(3) Vite de' Pittori etc. Prima e Seconda Parte. pag. 516.

Vitruvio in quel modo, che può vedere ognuno, essendo stampato. Quamobrem mirari subit, doctissimum *Millietum* (1) *Dechales in Tractatu de Progressu Matheseos, et illustribus Mathematicis* scripsisse, Caporalium in Vitruvio explicando *egregiam navasse operam*: at festinanter nimis *Tractatum* illum fuisse conscriptum, non ex hoc uno, sed ex plurimis locis cognosci facile potest.

* MDXXXVI.

De Balthassare Peruzzio Pictore atque Architecto Senensi Isaacus Bullartus habet haec (2): *Ce grand Homme . . . fit un recueil d' Antiquitez, dans le quel il amassa ce qu' il y a de plus rare dans Rome, et dans toute l' Italie: il ecrivit des Commentaires sur Vitruve, ou l' on trouve la veritable methode de bien conduire un batiment;* hoc est; Balthassar Peruzzius *Collectionem Antiquitatum confecit, qua quidquid Romae totaque in Italia rarius est, continetur: Commentarios in Vitruvium scripsit; in quibus germana ars bene aedificandi perspici potest.* Quis itaque attendens haec, Peruzzii in Vitruvii Commentarios editos exstare, non suspicetur?

At contrario modo rem se habere facile comperi. Cum enim percepissem, Bullartum in Peruzzii Vita pleraque ex Vasario desumsisse; hunc consului; cujus verba sunt: Baldassarre Peruzzi (3) *cominciò un Libro dell' Antichità di Roma, et a commentare Vitruvio, facendo i disegni di mano in mano delle figure, sopra gli scritti di quell' Auttore; di che ancor oggi se ne vede una parte appresso Francesco da Siena, che fu suo discepolo; dove in alcune Carte sono i disegni dell' Antichità, e del modo di fabbricare alla moderna;* hoc est; Balthassar Peruzzius *Antiquitatum Romanarum Librum, et Commentarios in Vitruvium incoepit delineatione figurarum ex ordine pertinentium ad textum Auctoris illius; quarum rerum hodieque pars videri potest apud Franciscum Senensem, qui in ejus disciplina fuit; ubi inter aliquas schedas sunt schemata antiquitatum, et rationes aedificandi recenti usu.* Et haec eadem, quae scripserat Vasarius, iisdem ferme verbis, diligens peritusque Scriptor (4), Raphael Borghinus, in ejusdem Balth. Peruzzi vita, expressit.

Nunc si animadvertamus, Vasarium patria Aretinum, scripsisse de Peruzzio, patria Senensi, Vasarium vero et Peruzzium uni eidem aetati suppares fuisse (cum Vasarius natus sit (5) anno 1514. Peruzzius (6) anno 1536. denatus sit) haud dubie concipiemus, Vasario standum esse; et, quod consequitur, Peruzzium neque Commentarios in Vitruvium perfecisse, neque eorundem prima illa rudimenta publicam lucem adspexisse. Adde, a Sebastiano Serlio Peruzzium (7) bis magna cum laude nominari; at nec verbum quidem unum fieri de illius in Vitruvium Commentariis.

(1) Cursus Mathematicus. Tom. Primus. Lugduni. 1690. pag. 55.

(2) Academie des Sciences et des Arts. A Amsterdam. 1682 Tom. I. pag. 374.

(3) Vite de' Pittori etc. Primo Volume della Terza Parte. pag. 142.

(4) Il Riposo. In Fiorenza. 1584. pag. 414.

(5) Joachimi de Sandrart Academia Artis Pictoriae. pag. 173.

(6) Vasari. Nella citata Terza Parte. pag. 143.

(7) Tutte l' Opere d'Architettura etc. di Sebastiano Serlio. In Vinegia. 1600. Lib. Terzo pag. 65. et pag. 69.

* MDXXXX.

AVRELII CASSIODORI SENATORIS COS. QVE ROMANI DE QVATVOR MATHEMATICIS DISCIPLINIS COMPENDIVM.

ADIECTVS EST VETVSTVS AVTHOR, ἀνώνυμος TAMEN, DE ARCHITECTVRA COMPENDIOSISSIME TRACTANS, QVAE VITRVVIVS ET CAETERI LOCVPLETIVS QVIDEM AC DIFFVSIVS TRADIDERE: IN QVO ET MATEMATA EXERCEAS, ET REI ARCHITECTONICES' VSVM PARVO TEMPORIS DISPENDIO DISCAS.

Parisiis. Ex Officina Michaelis Vascosani, in via quae est ad D. Jacobum sub fontis insigni. 1540. in 4.

De hac Epitome Gerardus Jo. Vossius (1), *Est*, ait, *et incertus, sed fortasse vetus Scriptor, qui ex Vitruvio Architecturam compendio constrinxit. Eum Lutetiae Michael Vascosanus anno* 1540. *typis commisit, procurante Editionem eam Gulielmo Postello.* Et Cel. Maittaire Opus idem ita recensuit (2): *Aurelii Cassiodori de quattuor mathematicis disciplinis compendium; adjectus est vetus author ἀνώνυμος de Architectura compendiosissime tractans apud Michaelem Vascosanum. 4. Paris.* 1540.

Eadem vero Cassiodori Opuscula post decem annos iterum edidit (aut, novo duntaxat edito titulo, iterum vulgavit) Vascosanus; praetermisso tamen illo *Architecturae Compendio.* In *Catalogo Bibliothecae Universitatis Lugduno-Batavae* legere est titulum hunc (3); *Aurelii Cassiodori de quatuor Mathematicis Disciplinis Compendium, Parisiis.* 1550. Verum Sigebertus Havercampus ea in *Universitate* Historiarum, Eloquentiae, et Linguae Graecae Professor Celeberrimus, me certiorem fecit propositi libri, frontem signatam quidem esse verbis hisce: *Parisiis. Apud Vascosanum MDL.* ejusdemque, haud dubie integri, verbo *FINIS* extremum perfici, nullum tamen *Architecturae Compendium* eodem in Libro reperiri.

Et tamen efferebar studio illius Libri videndi, cujus vestigatio expeditior quidem videbatur, quando nomen Typographi, qui Librum in lucem emiserat, nec non forma Libri mihi innotuerant. Porro non esse praetermittenda nomina Typographorum, neque negligendas Librorum formas, inculcabat (4) Vir celebris; quamvis enim minutae res, necessariae tamen sunt, ut satis norunt Viri docti. *Le forme*, ajebat ille, *e gli stampatori, cose minute, ma necessarie, come ben sanno gl' intendenti.* Atque ideo, in Libris Vitruvianis recensendis, minutias illas fere ubique exhibuimus. Sed eo revertar, unde discessi: neque tamen de singulis meis perquisitionibus dicam: nimius enim essem, si exponere modo vellem quanta diligentia ab nonnullis eruditissimis Viris, rem gratam mihi facturis, perquisita fuerit Editio illa opusculorum Cassiodorii, et hujusce Epitomes in variis illustribus Europae Bibliotheeis, frustra tamen: quamobrem plane comperi, exemplarium illius summam esse raritatem.

(1) De Universae Matheseos Natura etc. Amstelodami. 1660. pag. 463.

(2) Mich. Maittaire Annales Typographici. Tomi Tertii Pars Prior. Amstelodami. 1726. p. 314.

(3) Catalogus Bibliothecae Publicae Universitatis Lugduno-Batavae. Lugd. Bat. 1716. p. 179.

(4) Monsignor Giusto Fontanini. Della Eloquenza Italiana. Roma. 1736. pag. 667.

Atque hinc facile natum est, ut ejusdem mentio non reperiatur in (1) *Praefatione in novam* Magni Aurelii Cassiodorii *Operum Editionem*, quae prodiit *opera et studio J. Gareti*, ubi Editiones Operum Cassiodorii recensentur.

Sed, ut fortunatum laboriosae venationis exitum laetitia consequitur, ita, post varias illas commemoratas perquisitiones, inventio optatae Editionis Cassiodorii, cum adiecto Architecturae Compendio, fuit mihi gratior. Ejusdem exemplum, ex Vascosani edito exemplari emendate diligenterque calamo descriptum, debeo Viro Cel. Richardo Meadio, aliis etiam de caussis optime de me merito; cui operam quoque suam praebuit Cel. Michael Maittaire. Quoniam vero Compendii illius editionem renovaturus sum, ac meam eo loci de eodem opinionem, sententiamque indicaturus; iccirco hic pluribus opus non est.

* MDXXXXI.

Ad calcem Annotationum, quas in Vitruvii Libros conscripsit Gul. Philander, legitur: *Haec Philander commentabatur Romae III. Cal. Augusti M. D. XLI. Suadente impellenteque et adjuvante Mecoenate suo Georgio Armeniaco Ruthenorum Episcopo, tum Regio ad Paulum III. Pont. Max. Legato.* Quamobrem proclive est intelligere, ex hisce verbis originem habuisse (2) nonnullorum errorem, qui Annotationes hasce anno 1541. prodiisse scripsere. At Philander ipse postquam retulerat, Annotationes illas anno 1541. fuisse peraetas, in Epistola, qua easdem *Francisco Valesio Regi Potentissimo et Christianissimo* nuncupavit, sic ait: *jam tertius actus est annus cum per aestatem successivis operis summopere contendi, ut ea restituerem, quae mihi depravata, luxata, et mutila videbantur.* Atque hinc facile liquet, Annotationum earundem principem esse editionem (infra commemorandam) quae demum anno 1544. lucem aspexit.

* MDXXXXII.

Compendium veluti quoddam, ad Vitruvii Libros ratione aliqua pertinens, prodiit, Hispanica Lingua, Matriti anno 1542. opera et studio Didaci Sagredo (sub titulo: *Medidas del Romano, o Vitruvio* etc.) ut constabit ex iis, quae mox dicentur de Libro eodem in Gallicam Linguam converso.

MDXXXXII.

RAISON D'ARCHITECTVRE ANTIQVE, EXSTRAICTE DE VITRVVE, ET AVLTRES ANCIENS ARCHITECTEVRS, NOVELLEMENT TRADVIT DE SPAIGNOL EN FRANCOYS A L'VTILITE DE CEVLX QVI SE DELECTENT EN EDIFICES.

Imprime par Simon de Colines demourant a Paris en la grand rue sainct Marcel, a l' enseigne des quatre Euangelistes. 1542. in 4.

(1) Magni Aurelii Cassiodorii ... Opera Omnia. In duos Tomos distributa etc. Venetiis 1729.

(2) Bibliotheca Dubosiana. Tomus Quartus pag. 640. ad numerum 1056o.

De hujusce Operis Auctore, deque Opere ipso Hispanica lingua edito, nihil aliud invenire potui praeter pauca, quae ex D. Nicolai Antonii (1) *Bibliotheca Hispana subjicio:*

Didacus Sagredo, Hispaniarum Reginae etc. a Sacris edidit, Medidas del Romano, o Vitruvio, nuevamente impressas, y annadidas muchas piecas, y figuras necessarias a los Officiales, que quieren seguir las formaciones de las basas, colunas, capiteles, y otras cosas de los edificios antiquos. Ad D. Alphonsum de Fonceca Archiepiscopum Toletanum. Matriti: apud Ludovicum Rodriguez. 1542. *Toletique.* 1549. in 4. *Id opus Gallice versum, incerti opera, prodiit ex Officina Parisina Simonis de Colinez* 1542. in 4.

In Opere hoc (quod exiguo volumine continetur) sermo refertur in personas duas distributus, ut in Dialogis fieri consuevit. Principio agitur de Mensuris, et de Principiis Geometriae, tum de partibus Coronarum Ædificiorum, deinde de columnis, de adjectione, quae additur in earundem mediis, de columnarum canaliculis, et de columnis monstrosis, ac de candelabris, postea de basibus, ac de capitulis, ubi de Volutae Jonicae delineatione, de epistyliis, zophoris, coronicibus, et de fastigiis, demum de stylobatis, et de varia columnarum dispositione.

Porro in geometricis rebus Auctor vix attigit principia: in architectonicis vero mala cum bonis commiscet: sed neque Vitruvii (quod desiderabile fuisset) neque aliorum Auctorum loca, unde bona desumsit, uspiam indicat. Omnia vero nimis stricte exponit. Ac haud dubie Vitruvii nomen libro huic quadrare non potest. Figurae (ligneis formis impressae) si unam aut alteram excipias, non sunt prorsus inelegantes. Ceterum, quis hoc Opus in Gallicam de Hispanica lingua converterit, nusquam apparet.

MDXXXXIII.

M. VITRVVII VIRI SVAE PROFESSIONIS PERITISSIMI, DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM, AD AVGVSTVM CAESAREM ACCVRATISS. CONSCRIPTI: ET NVNC PRIMVM IN GERMANIA QVA POTVIT DILIGENTIA EXCVSI, ATQVE HINC INDE SCHEMATIBVS NON INIVCVNDIS EXORNATI.

ADIECIMVS ETIAM PROPTER ARGVMENTI CONFORMITATEM, SEXTI IVLII FRONTINI DE ACQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE LIBELLVM. ITEM EX LIBRO NICOLAI CVSANI CARD. DE STATICIS EXPERIMENTIS, FRAGMENTVM.

CVM INDICE COPIOSISSIMO, ET DISPOSITIONE LONGE MELIORI, QVAM ANTEA.

Argentorati. In Officina Knoblochiana per Georgium Machaeropioeum Anno 1543. *in* 4.

Praefatio, qua ornatur Editio haec, inscribitur ita: *Georgius Machaeropioeus ad Lectorem.* Num vero nomen hoc *Machaeropioeus*, affictum sit, necne, sane ambigo; cum videam, nomen ad Graecam linguam pertinere:

(1) Bibliotheca Hispana etc. Auctore D. Nicolao Antonio Hispalensi. Tomus Primus. Romae. 1672. pag. 241. et 242.

componitur enim ex duabus graecis vocibus μάχαιρα (*gladius*) et ποιέω (*facio*, *fingo*) illo autem aevo nonnulli viri docti sibi eo modo nomina commutare consueverunt; quod notius est , quam ut exemplis debeat declarari.

Typographi hujusce mentionem quidem facit Ccl. (1) Maittaire ; sed in Annotationibus , quas textui suo subjicit (in eisque agere distinctius solet de Typographis nominatis in textu) nec verbum quidem de Georgio nostro. Verum praeter (2) duplicem Vitruvii Editionem , nullum alium huic Typographo attribuit Librum, nisi (3) *Targum in Pentateuch.* editum Argent. 1546. Duos tamen alios ab eo editos inveni Libros , alterum de *Memoria* (4) *artificiali*, Argent. 1541. alterum *Jatromathematicae Enchiridion*; Argent. 1542. utrumque Gualt. Ryfii.

At, si Praefatio illa, ejus nomen praeseferens, ab eo fuit conscripta , doctum hominem illum fuisse conjiciendum profecto est. Nunc tamen , cum ejusdem Praefationis loca quaedam attulero (paucis interpositis annotationibus) me de Editione proposita , sane non inemendata, rationem satis reddidisse arbitrabor.

Itaque Machaeropioeus , postquam principio de Vitruvio, et de Librorum ejus utilitate , erudite , atque docte disseruit , prosequitur ita : *Quid autem praestiterimus* (in Editione hac adornanda) *tametsi pars est aliis aestimandum relinquere: paucis tamen indicabo lectoribus , ut admoniti melius animadvertant ac expendant. In exemplari recognoscendo , ut emendatius haberetur , fidelis diligentia est adhibita. Graeca etiam eruditorum ope , quoad licuit , restituimus* (sed emendationum et restitutionum caussae nullae traduntur: fontes , unde illae provenerint , nulli indicantur) *Neque tamen omnia repurgata esse profiteor. Non enim ausi sumus temere mutare , ubi nobis certa veritas non constabat: etiam si mendum interdum esse conjiceremus.*

Quia vero ad hujus artis cognitionem plurimum conducunt schemata , ea excidenda curavimus elegantiore forma , quam in Florentino exemplari visantur. Figurae autem partim sunt quae promanarunt ex Jocundi, et ex Caesariani Editionibus , partim etiam novae , formis ligneis parum elegantibus impressae : nonnullae vero reperiuntur variis in locis perperam repetitae : nonnullae minus faciunt ad verba , quibus subjiciuntur.

In colligendo (persequitur ille) *et digerendo Indice , magis veremur , ne quis immodicum nostrum laborem reprehendat , quam de negligentia queratur. Est enim admodum copiosus. Ne quis tamen nos modum excessisse existimet , sumus hoc consilium secuti , ut lector plures locos inter se conferendo , alterum alterius adminiculo facilius intelligeret. Addidimus etiam Indicem Graecarum dictionum , si quis forte requireret. Titulos schematibus inscriptos ex Italica versione* (Hic , ut ex re ipsa colligere est , Caesariani versio indicatur) *mutuati sumus: non enim sunt Vitruvii.*

(1) Michaelis Maittaire Annales Typographici. Tomi Tertii Pars Prior. Amstelodami. 1726. pag. 264.

(2) Hæc proposita, et alia An. 1550.

(3) In citata Tomi Tertii Parte Priore. pag. 386.

(4) In Lindenio Renovato. Norimbergae. 1686. pag. 366.

* MDXXXXIII.

Joannes Andreas Dossena, in Praefatione ad suam (1) Editionem *Annotationum Philandri in Vitruvii Libros*, spondet, se daturum Vitruvii Opus ita castigatum, *quale nullae* (ejus verba sunt) *adhuc officinae ediderunt, nec ea quidem, quae Opus illud hoc anno Basileae excusum proposuit, quae impressio, non solum doctorum judicio castigatior non videtur, sed deterior certe aliquanto corruptior.* At Jacobus Hermannus Basileensis, vir doctissimus clarissimusque, suavissimae recordationis amicus (ut petieram) votis annuens meis, quaesivit Basileae diligenter, num nancisci posset Editionem illam, vel saltem ejusdem notitiam aliquam; omnia tamen frustra. Ego vero neque in ullius Bibliothecae Catalogo typis aeneis, vel manu exarato (quorum et plurimos, et locupletissimos diligenter vidi) neque apud Auctorem quempiam, mentionem ullam, indicium ullum talis Basileensis Vitruvii Editionis inveni. Itaque plane existimo Dossenam scripsisse anno 1543. quae anno 1544 edidit; et tunc respexisse ad Editionem Vitruvii Argentoratensem illius ejusdem anni 1543. et inconsiderate, *Basileae* pro *Argentorati* posuisse.

* MDXXXXIII.

Bernardinum Merulam Commentaria aliqua in Vitruvium conscripsisse, testis est M. Antonius Majoragius in Gaudentium Merulam, quem in Apologia sic proscindit (2) *sed hoc*, ait, *apud te novum non est; in hac arte latrocinandi vetus es ac nobilis Gladiator. Nam et ea, quae vir satis eruditus Bernardinus Merula in Vitruvium commentatus erat, tibi ascripsisti: multisque nugis additis, jactabas te justa in Vitruvium Commentaria conscripsisse. Quod cum bibliopolae cuidam omnium rerum ignaro persuasisses, aureos ab eo plusquam quinquaginta recepisti, donec tandem detectis dolis tuis, non sine summa ignominia, repulsus es.* Et prope Apologiae finem (3); *Estne hic, qui in Vitruvium commentaria panxit, qui nesciat adhuc, quid stylobata significet?* atque hic plura de utilibus vel necessariis ad Vitruvii interpretationem subjecit. Ea tamen qualiacumque fuerint Commentaria numquam lucem adspexerunt.

Hujus *Gaudentii Merulae* (4) *Dialogus Terentianus* prodiit anno 1543. in quo perspicue apparet illius indoles *hypercritica*: sed neque in Dialogo hoc, neque in ejusdem (5) Merulae *Querela Apologetica*, neque in ejus (6) *Memorabilium Libris*, neque in Indice Operum Merulae, quem exhibuit (7) Picinellius, exstant quae memoratae *Apologiae* ansam dedisse videantur. Etsi igitur de genuina aetate Commentariorum illorum non constat; id tamen pro

(1) Videbis Infra, ad annum 1544.

(2) Deliciae Epistolicae editae ab Jo. Petro Kohlio (cum quibus est Majoragii Apologia) Lipsiae. 1731. pag. 334.

(3) In modo citata Editione. pag. 347.

(4) Lugduni.

(5) Italiae illustratae .... Scriptores varii. Francofurti. 1605. pag. 340.

(6) Memorabilium Gaudentii Merulae Novariensis, etc. Ultra primam editionem etc. Lugduni. 1556.

(7) Ateneo de' Letterati Milanesi del P. Abbate Filippo Picinelli. Milano 1670. pag. 233.

habendum, Commentaria illa antiquiora esse anno 1555. quo Majoragius e vivis excessit (1). Thuanus ad annum M. D. LV. *M. Antonius Majoragius . . . . in Deo obdormivit, prid. Non. April. anno aetatis XLI.* ut etiam paullo ante citatus (2) Picinellius affirmat. Nos ad eum annum, quo prodiit *Dialogus Terentianus*, eorundem Commentariorum mentionem fieri posse credidimus.

MDXXXXIIII.

GVLIELMI PHILANDRI CASTILONII GALLI CIVIS RO. IN DECEM LIBROS M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA ANNOTATIONES.

AD FRANCISCVM VALESIVM REGEM CHRISTIANISSIMVM.

CVM INDICIBVS GRAECO ET LATINO LOCVPLETISSIMIS.

Impressum Romae apud Jo. Andream Dossena Thaurinen. Anno Domini M. D. XLIIII.

Ut de vita Philandri nonnulla scitu digna commemorem, non me exordiri melius posse opinor, quam si ea principio describam, quae litteris mandavit Vir summus I. Aug. Thuanus (3). *Gulielmum Philandrum* (Thuani verba sunt) *Castilione ad Sequanam Oppido natum, qui et hoc anno objit, paene praeterieram, quando is antequam e vivis excederet, se quodammodo ipse silentio sepelivit; quamquam scripta egregia, quae in Vitruvium, cum Romae in Georgii Armeniaci tunc Francisci I. Oratoris, dein in Cardinalium collegium cooptati familia esset, publicavit, satis plenam fidem apud omnes faciunt qualis is quantusque fuerit, et quid denique in Antiquitate Romana, et politiore litteratura illustranda, quae tunc primum excoli incipiebat, tum in omni scientiarum genere, et in Mathematicis praecipue praestare potuerit, si non aliam a pristina diligentia et sobrietate vivendi rationem postea instituisset. Verum is, postquam magno ordinum Urbis consensu civitate Romana donatus est, cum relicta Italia in Galliam reversus esset, non solum reliquum vitae tempus abjectis studiis inutiliter elabi, sed etiam segnitie ingenii acumen hebescere passus est . . . . Tolosae non tam senio effoetus, quam ocio marcidus decessit X. Kal. Mart. (anno R. S. 1565.) anno aetatis 60. . . . Multa ille de pictura et statuaria antiquorum pollicitus, multa et in mathematicis commentatus fuerat . . . hactenus suppressa.*

Scaevola autem Sammarthanus de Philandro nostro verba faciens, haud recte scribit (4), *Romanos eum* (Philandrum) *ultro post editas in Vitruvium laboriosas commentationes in civitatem recepisse*: ante enim editas annotationes ipsas civitate donatus fuerat; quandoquidem, in fronte principis hujusce Editionis earundem, *Civis Romanus* appellatur. Ceterum Sammarthanus Thuano valde consensit, dum subdit: Philander quasi esset *famae nascentis auspicio contentus, pristinam deinceps diligentiam abjecit, neglectaque per socordiam non studiorum modo, sed et rei familiaris omni cura, Tholosae*

(1) Jac. Augusti Thuani Historiarum sui Temporis Tomus I. Aureliauae. 1626. pag. 499.
(2) Ateneo citato. pag. 410.
(3) In Hist. cit. Tom. II. pag. 353.
(4) Scaevolae Sammarthani Gallorum doctrina illustrium Elogia. Augustoriti Pictonum. 1606. pag. 72.

tandem sexaginta annorum senex ante secundum civile bellum in Cardinalis Armeniaci clientela diem clausit, ejusdemque pia cura et liberalitate in D. Stephani sepultus.

Nos autem docet (1) Thuana Bibliotheca, Philandrum edidisse etiam (2) *Castigationes in Quintiliani Oratorias Institutiones.*

Demum addemus, ex hisce Philandri in Libros Vitruvii Annotationibus liquere, cum aliquando Sebastiano Serlio praeceptore esse usum (3): *quo* (ait ipse) *ego sum primis initiis hujus* architectonicae *artis usus praeceptore.*

Plurima vero hic afferri possent testimonia hominum doctissimorum, qui Philandrum laudibus ornaverunt; at solius Cardani referemus verba, quippe quae universali quadam ratione illius laudes complectantur: *Ille perfectus est* ((4) Cardani sunt verba) *qui uno filo ab initio rei ad finem pervenit, nihil relinquit, nihil extra finem adjicit, divisionis normam servat, abstrusa docet, fundamenta demonstrat, vel si Artis principem exacte delineaverit, velut Vitruvium Philander.*

Qui tamen Philander in proposita Editione solas annotationes emisit, ut satis indicat titulus ipse: quamobrem nescio cur (5) Morhofius, postquam *praestantissimas* Philandri *Notas* in Vitruvium commendaverat, subdiderit: *edidit-que* (Philander) *ita Vitruvium primo Romae A.* 1544. *mox Parisiis* 1545. errat enim vir ceteroquin eruditissimus; nam Romae et Parisiis, annis 1544. et 1545. non Vitruvii Libri, sed solae Philandri in eosdem Libros Annotationes prodiere. Et Morhofium (ut opinor) secutus (6) Funccius, dum recenset Vitruvii Editiones, hasce duas perperam ponit: alteram *Romae* 1544. *cum Guil. Philandri emendationibus, atque notis praestantissimis: alteram Parisiis* 1545. *cum notis Philandri.*

At verum est, Jo. Andreae Dossenae, dum hae annotationes prodirent, in animo fuisse, integros edere Vitruvii Libros. In ejus enim Praefatione, quae ante annotationes easdem exstat, ait idem Andreas: *Laeto igitur animo Jo. Andreae vestri primitias accipite . . . Quod si (ut spero) evenerit, vobis paucos post menses Vitruvii opus universum me inpressurum polliceor, pristino candori ab eodem Philandro restitutum.* Etsi vero Dossena (incertum qua de caussa) promissis non steterit; liquet tamen, Philandrum vel tunc temporis operam dedisse integris Vitruvii Libris corrigendis; quod idem Dossena ad calcem modo citatae Praefationis plane confirmat verbis hisce: Philander *totis nunc viribus in id incumbit, ut vobis ostendat, se non parum studii et diligentia in his Libris primum declarandis, deinde corrigendis, adhibuisse.* Porro hujusmodi correctiones demum prodiere in Lugdunensi Vitruvii Editione an. 1552. de qua suo loco.

Interim juvabit animadvertere, Philandrum vidisse principem editionem, quam saepe *Codicem Sulpitii nomine impressum* appellavit, ac praeterea manu scriptos Codices consuluisse. Habet enim haec (7): *In Codice nomine Sulpitii impresso deest dictio, summo;* et (8), *scribo circum eos cardines. Quod*

(1) Catalogus Bibliothecae Thuanae. Parisiis. 1679. Tomus secundus. pag. 520.
(2) Lugduni. Ex Gryphii Typographia. 1535.
(3) Pag. 81.
(4) Hieronymi Cardani Opera Omnia. Tom. I. Lugduni. 1663. De propria Vita Liber. pag. 17.
(5) Daniel Georgius Morhofius. Polyhistor Literarius. Lib. IIII. edit. 1714. pag. 871.
(6) De virili Ætate Latinae Linguae. Pars II. pag. 303.
(7) In proposita Editione Annotationum. pag. 96.
(8) In eadem. pag. 314.

Sulpitianus Codex agnoscit; reapse vero in Editione Sulpitii ea leguntur verba, quae refert Philander: et alibi (1); *In aliquibus Codicibus ante vocabulum saeculis adduntur duae hae dictiones, ergatis aut*; et (2), *Bononiensis manu scriptus Codex habet*; et (3), *aliqui Codices pro dextante habent sextante*; pluraque alia similia Philandri loca describi possent; sed vel allata abunde sufficiunt, ut notum sit, hisce etiam praesidiis instructum Philandrum propositas annotationes elaborasse.

Earundem autem plures veris restituendis lectionibus dicatae sunt; aliae vero obscuris locis illustrandis inserviunt; aliae variis Vitruvii doctrinis enucleandis; aliae conferendis Veterum Auctorum locis cum locis Vitruvii similibus: ex omnibus vero eruditissimum utilissimumque in Vitruvii Libros conficitur Commentarium. Ac quamvis nonnulla loca sint, praesertim veterum Auctorum, quae etiam a Caesare Caesariano indicata fuerant; iis tamen Philander concinnius usus est; fuitque vel in ipsis citationibus castigatior.

Neque praetermittendum est, Philandrum ad Caput 3. Libri III. praemisisse utilem doctrinam de universa columnationis et trabeationis ratione: necnon ad Caput 3. Libri VIIII. fuse de cubi duplicatione scripsisse, ac praemisisse *Vitruvii vitam ex ipso opere collectam.*

Quod vero attinet ad Schemata proposita Editione contenta (quorum formae ligneae fuere) neque multa illa sunt, neque valde elegantia, nonnullis etiam annotationibus, non Vitruvii integris Libris, collustrandis accommodata.

Postremo autem loco, fortassis haud erit abs re si memorem de hac suarum Annotationum Editione Philandrum, tunc temporis, magnifice quidem sensisse. In Epistola enim (quam huic Editioni praefixit) *Francisco Valesio Regi*, habet haec: *Paucis mensibus tot mendis* (Vitruvii Libros) *purgavi, ut ausim omni asseveratione adfirmare, praeter unum atque alterum locum, quos neque ipse Apollo sanaverit, parum abesse, quominus hic Autor quam emendatissimus in manus hominum veniat.* Quod si hoc modo res se vere habuisset, supervacaneum profecto opus aggressi fuissent ii, qui post Editionem hanc, plures Emendationes, Annotationesque ad Vitruvii Librorum illustrationem, elaborassent. Quod tamen aggressi sunt, Daniel Barbarus, Hadrianus Turnebus, Bernardinus Baldus, Claudius Salmasius, Claudius Perraultius, Petrus Wesselingius, et alii Critici emunctae naris: quis ergo putet hosce omnes desipuisse? Quid plura? Philander ipse cum (in Editione anni 1552.) opus illud suum praelo iterum committeret, in nova Epistola ad Cardinalem Georgium Armagnacium perspicue scripsit: *opus prope totum interpolavi: mutata pleraque, addita plurima, aliquanto tersiora omnia.* Itaque Philander ipse dicto et facto priorem illam magnificam assertionem (non tamen sine magna rei litterariae utilitate) infirmavit, ac plane evertit.

Quod si in Editione anni 1552. Epistola ad Franciscum Valesium Regem (qui jam de vita decesserat anno 1547.) recusa fuit, id honorificentiae datum est, quamvis aptus non esset locus.

Nam quod attinet ad eandem anni 1552. Editionem, ratio quidem habenda est Nuncupatoriae Epistolae ad Cardinalem Armagnacium scriptae eo ipso anno 1552. non vero illius ad Franciscum Valesium Regem datae anno 1544.

(1) In eadem. pag. 5. (2) In eadem. pag. 28. (3) In eadem pag. 96.

MDXXXXV.

GVLIELMI PHILANDRI CASTILIONII GALLI CIVIS RO. IN DECEM LIBROS M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA ANNOTATIONES.
AD FRANCISCVM VALESIVM REGEM CHRISTIANISSIMVM.
Cum Indicibus Graeco et Latino locupletissimis.
Parisiis Apud Jacobum Kerver. 1545. in 8.

Hujusce Libri Editores descripsere Librum Annotationum, priore anno 1544. Romae ab Andrea Dossena editum, et quidem descripsere, nihil addentes, detrahentes nihil. Quae itaque de prima illa Editione dicta fuere, de hac altera quoque dicta sunto.

Duntaxat animadvertemus; post finem Annotationum editarum anno 1544. indicem haberi erratorum, quibus convenientes adponuntur emendationes. At in proposita Parisiensi Editione, neque index ille additus fuit, neque errata omnia sublata: quin etiam errata nonnulla nova in novam hanc Editionem irrepsere.

Schemata similia sunt Schematum prioris Editionis, et ligneis itidem typis impressa.

* MDXXXXV.

Animadvertam a Cel. Michaele Maittaire referri (1) Editionem hanc: *Gulielmi Philandri Castillionis Galli civis Rom. in decem Vitruvii Libros annotationes: ex officina Michaelis Fezandat. 8. Paris.* 1545. Credibile tamen non est, Editiones diversas duas harum Annotationum prodiisse Parisiis anno 1545. alteram apud Jacobum Kerver (de qua (2) jam diximus) alteram ex officina Michaelis Fezandat: sed potius existimaverim, societate inita, Jacobum Kerver, et Michaelem Fezandat edidisse Librum hunc; atque, divisis postea Libri ejusdem exemplis, utrumque Typographum suae Exemplorum parti proprium nomen adposuisse. Quod et in nonnullis aliis factum, non semel animadverti.

* MDXXXXVI.

Gualterus H. Rivius narrat, ante Editionem sui Operis, quod prodiit anno 1547. Vitruvii Libros de Latina lingua *in Italicam primum, deinde in Hispanicam*, demum *in Gallicam* fuisse conversos; ut (3) infra ex eodem fusius referemus. *Italica* et *Gallica* versiones et exstant apud me, et notissimae mihi etiam sunt, non ita vero *Hispanica*. Itaque duntaxat dicam probabile esse, vel anno 1546. vel ante, Libros Vitruvii editos Hispanica lingua.

(1) Annales Typographici. Tomi Tertii Pars Prior, pag. 380.
(2) Ad hunc annum 1545.
(3) Ad Annum 1547.

MDXXXXVII.

DELLE LETTERE DI M. CLAVDIO TOLOMEI LIB. SETTE.
CON VNA BREVE DICHIARAZIONE IN FINE DI TVTTO L'ORDIN DE L'ORTOGRAFIA DI QVESTA OPERA.
In Vinegia. Appresso Gabriel Giolito de' Ferrari. 1547. in 4.

Inter hasce Ptolomaei Epistolas (1) una est, ad Augustinum Comitem de Landis (anno 1542.) scripta, in qua studiis Architecturae et nobilium quarumdam aliarum Artium, perficiendi, atque etiam illustrandi Libros Vitruvii, nova quaedam ratio tam fuse diligenterque proponitur; ut ea Epistola instar Libri sit. Quamobrem ejus exemplum (aut saltem specimen, et propositum aliquod ex ipsa desumtum) dignum est habitum, quod mitteretur Regi Galliae Francisco I. Et quidem ei missum revera fuisse, perspicue constabit, si (2) Ptolomaei Epistola scripta ad eundem Regem (anno 1543.) cum propositae Epistolae initio conferatur. Haec igitur Epistola in caussa praecipue fuit, cur inter eos, qui bene de Vitruvii Libris meriti sunt, recensendum plane existimaverim Claudium Ptolomaeum: de quo eximio clarissimoque Viro paullo diligentius hic scribere, neque improprium, neque inutile futurum arbitror; tum quod pauca et dispersa sunt quae de illo ad aetatem nostram venere; tum etiam quod Auctores vel ejusdem vel inferioris aetatis de rebus iisdem, ad eundem spectantibus, haud satis omnes consensere. Operam itaque dabimus, ut dispersa conferamus; ut obscura illustremus; ut, ubi Scriptorum desideratur consensio, quid veri videatur esse similius, constituamus.

Ex veteri atque illustri Ptolomaeorum Familia Senae Juliae originem duxere plures clarissimi Viri, inter quos etiam nonnulli pietate sanctitateque insignes. Hoc nobili genere natus est Claudius Ptolomaeus; de cujus anno natali quamvis nihil scriptum invenerim: cum tamen vixerit (ut, inter ceteros, retulit etiam (3) Ziliolus) annos sexaginta tres; diem vero obierit anno 1555. (ut infra demonstrabitur) colligere facile possumus, eum in lucem editum fuisse anno 1492.

Quibus autem, cum puer vel adolescens esset, Claudius usus fuerit praeceptoribus, et ubinam optimis artibus doctrinisque studium dederit, plane non liquet. In hisce tamen eum plurimum profecisse, ex ejusdem operibus, et ex pluribus doctissimorum hominum testimoniis colligi haud dubie potest.

Antequam adolescentiae juventus obreperet (si cum (4) Censorino illam ad annum XXX. producamus) Romae fuit. Roma enim epistolam anno 1516. dedit: ut in (5) utraque Epistolarum Ptolomaei Editione perspicue legere est.

Anno 1524. primum Claudii Ptolomaei opus in lucem prodiisse, credibile fit (6): Hieronymus enim Gigli, de Senensi agens Academia, id aperte indicat; sunt autem ejus verba (in latinum conversa) haec: *ejusdem* Academiae *con-*

(1) Pag. 81.
(2) Pag. 5.
(3) Historia delle Vite de' Poeti Italiani di Alessandro Zilioli. Manoscritta. Nella vita di Claudio Tolomei.
(4) Censorini de Die Natali Liber. Cap. 12.
(5) Lettere di M. Claudio Tolomei di sopra riferite. pag. 42. Et, Delle Lettere di M. Claudio Tolomei Libri sette. In Vinegia. 1554. p. 56.
(6) Diario Sanese. (cui tamen Hi. Gigli nomen suum non adscripsit) In Siena 1722. pag. 155.

servatio, Claudii Ptolomaei aetate (et etiam anno 1512.) indicatur ex quodam loco, qui legitur eo in Libro, cui titulus est; Il Polito, cujus Libri auctorem fuisse *eumdem Claudium Ptolomaeum, eruditissimus Ubertus Benvoglienti existimat. Namque in Libro illo, edito Romae, anno 1524. cum mentio (fol. 44.) de Thuscano Alphabeto fiat; deinde affirmatur, de Alphabeto eodem in Senensi Academia diu, ante annos duodecim, fuisse disputatum.* Liber tamen ille (1) *Il Polito*) sub nomine *Adriani Franci* circumfertur, ut liquet ex ejus titulo; ex quo etiam colligere licet quid Libro ipso contineatur. Id unum addam, quod Auctor Librum illum claudit asserens futurum, ut Linguae nostrae illustre ornamentum accederet, si ipsius Linguae ditius Alphabetum constitueretur. Nihil autem ex Ptolomaeo nostro habemus ante indicatum illum annum 1524. Quamobrem id Opus primum est, quod ille ediderit.

Porro, novam inducere scribendi rationem, plurimum studebat Claudius noster; ut etiam Jo. Georgius Trissinus. Praestat tamen, cum (2) Jo. Mario Crescimbenio, animadvertere, hunc nonnullas graecas litteras in scripturas suas induxisse; illum vero litterarum consueta vulgarique forma usum, exiguas duntaxat mutationes fecisse; puta, paucas litteras ille vel duplicavit, vel triplicavit. Sed hujusmodi inventa non fortunavit Apollo. Ceterum illius scribendi rationis a Ptolomaeo inventae, elegans habetur exemplum in ejusdem (3) Ptolomaei Epistolarum principe Editione, quam unam deinceps citabimus. Nonnullae autem aliae Ptolomaei Epistolae (praeter illas ea Editione contentas) lucem viderunt quibusdam aliis in (4) Libris.

A Senensi Republica exilio multatum fuisse Claudium Ptolomaeum, anno 1526. collegi ex nonnullis monumentis ad vitam ejusdem Ptolomaei pertinentibus, quae mecum jam communicaverat Abbas Jo. Baptista Comes Casottus (proh dolor! nuper e vivis ereptus) cum autem notum sit eo anno, armis Clementis VII. Pont. Max. (5) Senam Juliam fuisse oppugnatam, facile est conjicere, Ptolomaeum tulisse invidiam, quod ipsi Clementi faveret. Immo suspicandum est, Ptolomaeum etiam in Clementis exercitu fuisse. Habeo enim, dono ejusdem Com. Casotti, orationem pro Claudio Ptolomaeo, ineditam, anonymi, sed viri certe docti et eloquentis; qui eandem, animi caussa, Antiquos imitaturus (ut ipse ait in ejusdem orationis nuncupatoria Mario Bandinio) anno 1528. conscripsit: in ea leguntur haec: *accadde a forza della fortuna che Egli* (il Tolomei) *non da malvagia intenzione portato, già venne seguendo l' esercito, che poscia niente, o poco v' offese, e d' una gloriosa vittoria, e d' un bel trionfo vi fu cagione*: hoc est: *contigit, ita ferente fortuna*, ut ipse (Ptolomaeus) *nulla prava voluntate ductus, cum prosequeretur*

(1) Delle Lettere nuovamente aggiunte (all' Alfabeto Italiano) Libro di Adriano Franci, intitolato il Polito. In Roma. Sine anni nota. Perrara est Editio haec. Prodiit tamen iterum Liber idem Venetiis, anno 1531.

(2) Istoria della Volgar Poesia. Vol. Primo. In Venezia. 1731. pag. 408.

(3) Lettere di M. Claudio Tolomei. Stampate l' anno 1547. di sopra riferite.

(4) Della nuova scielta di Lettere di diversi nobilissimi Huomini etc. Libro Primo. Con un Discorso di M. Bernardino Pino. pag. 279. 284. 264. 267. et alibi. Libro Secondo. pag. 22. 408. Libro Terzo a pag. 138. ad pag. 155. In Venezia. 1582.

Lettere di XIII. Huomini illustri. Alle quali etc. ne sono state aggiunte molte da Tomaso Porcacchi. In Venezia 1571. a pag. 186. ad pag. 204.

(5) Historia d'Italia di Francesco Guicciardini. Libro XVII.

exercitum, qui nullo deinde, aut perexiguo damno Vos (Senenses Senatores) *affecit; immo caussa fuit illustris victoriae, triumphique clarissimi.*

Quod vero Ptolomaeus, per ea tempora, Clementi faveret impensius, confirmari perspicue potest ex ipsius (1) epistola eidem Pontifici, anno 1527. data: qua huic significabat, sibi in animo fuisse Orationes quinque scribere, exhibendas Carolo V. Imperatori, ut is juberet Pontificem ex custodia emitti, ut huic faveret, ut incolumitati Romanae Ecclesiae prospiceret, ut hujusmodi quaedam alia curaret. Sed ea epistola data est IIII. Id. August. cum (2) jam inter Pontificem et Caesarem pax VIII. Id. Junii fuisset conciliata. Quamobrem Epistola illa duntaxat inservit ad Ptolomaei optimam voluntatem erga eundem Pontificem Maximum declarandam.

Erat ergo anno 1527. Ptolomaeus Romae; et ipsi Clementi acceptus; neque enim quispiam aut parum notus, aut non carus Pontifici, eidem quinque illas Orationes, de quibus paullo supra commemoratum est, ausus fuisset offerre. Ab eo anno Ptolomaeum per vicennium, si pauca ejus itinera excipias, semper fuisse Romae, ibique domicilium (ut ita dicam) fixum habuisse, ex Epistolis ejusdem aperte colligitur. Quamobrem (3) Dionysius Atanagius Italicum Epigramma in laudem Claudii nostri ita orsus est:

Claudio che 'n Siena nacque, e 'n Roma visse.

Ex iisdem etiam Epistolis, et ex variis monumentis, praesertim ex iis, quae Abbas Casottus (ut jam innui) mecum communicavit, scire licet, Claudium nostrum juris legumque peritissimum fuisse, studium posuisse plurimum in Italicam Linguam perficeret atque illustraret, praeterea vero linguas calluisse Latinam, Graecam, et Hebraeam; ac hujus usum fecisse in Libro suo de *consonantibus litteris duplicandis.* Tum didici ex monumentis iisdem, apud praestantissimum Equitem Marium Comitem Ptolomaeum plures Claudii Ptolomaei orationes, diatribas, et de jure responsa, quae numquam fuere edita, asservari. Asservatas itidem apud Bulgarinum quinque eruditissimas Dissertationes, ad Hetruscam Linguam scriptionemque pertinentes (4), Isidorus Ugurgerius memoravit. Quin etiam ex Epistolis iisdem, Claudium ipsum pluribus Principibus Viris fuisse acceptissimum, facile possumus conjicere.

Bononiae (5) Claudius fuit, vergente anno 1529. et ineunte anno 1530. quo tempore Bononiae erat pacis conventus, isque maxime illustris (6); cum adessent Clemens VII. Pont. Max., et Carolus V. Imperator (7). Deinde Bononiae iterum Claudius fuit anno 1531.

Anno 1532. petiit Viennam Austriae; atque ibi, ut ex ejus (8) epistola, inscripta *Reverendissimo Cardinali Mediceo* (Cardinalem Hippolytum fuisse reor) satis liquet, in Cardinalis illius negotiorum procuratione Claudium esse versatum. At eadem in epistola causando adversam valetudinem suam, seque muneri illi parum aptum, rogavit enixe, ut aliquis alius sufficeretur sibi, Romam lubentissime reversuro.

Novum Italicae Poeseos genus coluit Ptolomaeus imitando Graecorum ac

(1) Lettere del Tolomei. pag. 15.
(2) Historia d' Italia di Francesco Guicciardini. Libro XVIII.
(3) Delle Rime di diversi nobili Poeti Toscani raccolte da M. Dionigi Atanagi Libro Primo. In Venezia. 1565. pag. 226.
(4) Le Pompe Senesi del P. Maestro F. Isidoro Ugurgieri Azzolini. In Pistoja. 1649. Parte Seconda. pag. 573.
(5) Lettere del Tolomei. pag. 12. et 180.
(6) Historia Veneziana di Paolo Paruta. Parte Prima. pag. 571. et seqq.
(7) Lettere del Tolomei. pag. 77.
(8) Lettere del Tolomei. pag. 21.

Latinorum metra, suaeque Poesi inservientia praecepta, necnon exempla versibus exhibita (1), Libro edito, anno 1539. pervulgavit. Versus autem, qui novi illius Poeseos generis exempla sunt, continenturque eo Libro (admodum raro) confecti fuere ab Antonio Renerio, a Paulo Gualterio, ab Joanne Zuccarellio, ab Julio Vierio, ab Alexandro Cittolino, et ab nonnullis aliis Poetis, ac demum ab ipso Claudio Ptolomaeo. Itaque perspicuum fit, principio non defuisse qui novum illud genus arriperent; at tractu temporis obsolevit inventio illa. De qua, inter ceteros, haud bene sensit, cum de Poetis ageret (2), Gyraldus, cujus haec verba sunt: *Esset et inter primos* (Poetas et erudite scribentes) *in hoc scribendi genere, meo quidem judicio, reponendus Claudius Ptolomaeus Senensis, nisi vulgaria haec et vernacula ad antiquorum latinorum normam revocare studuisset; qua in re, si non potius haeresi, multos invenit, qui eum sequerentur: ut infelix ille F. R. Valerius. Claudio isti Ptolomaeo eadem pene diligentia incessit, quae nuper Trissino, et pridem Claudio Caes. Imp. ut novos characteres litterarum excogitare voluerit.*

Sed, antequam de hoc novo Poeseos genere scribendi finem facio, animadvertam, illius inventionem Claudio nostro a plerisque tribui, immo in citati (3) Libri epistola nuncupatoria Jo. Francisco Valerio diserte affirmari, a Claudio illius generis Poeseos inventionem profluxisse; revera tamen Leonem Baptistam Albertium primum fuisse, qui Italicos versus ad Latinorum versuum metrum adduceret, ut Vasarius ait, cujus verba sunt haec (4): *Leon Battista Alberti fu il primo, che inducesse li versi volgari alla misura delli latini, come si vede in quella sua Epistola:*

Questa pur estrema miserabile pistola mando
A te, che spregi miseramente noi.

Lubet autem duos Claudii versus afferre; non modo ut appareat similitudo, verum etiam ut melius quid esset Poesis illa concipiatur; erunt hi, quos subjeci:

(5) *Prima aspra; ma dolce poi, dolcissima quando*
In cima del Colle sì duro giunto sei.

Praeter Vasarium Euphasynus Lapinius (quod mihi indicavit Cel. Ap. Zenus) scripsit Leonem Albertium (6) *tentasse hexametra condere, et illius conatus pulcherrima exstare vestigia*: deinde nonnullis interpositis, sic prosequutus ille est: *Inchoata igitur et imperfecta res fuit, quatenus Lucas Pulcius in hoc dicendi genere maxime exercitatus extinctam Albertii musam e tenebris eruit. Frustra autem et ipse (ut primus ejus rei auctor) id expertus, nullum invenit, qui ejusmodi studium consectaretur. Quamobrem ad multos annos neglecta jacuit iterum haec Poesis: donec egregius ille, neque umquam satis laudatus Claudius Ptolomaeus* etc. Jam ad hunc revertamur.

Quem exilii poena liberatum fuisse anno 1642. plane liquet ex ejus (7)

(1) Versi et Regole della nuova Poesia Toscana. In Roma. 1539.

(2) Lilii Gregorii Gyraldi Ferrariensis Dialogi duo de Poetis nostrorum temporum. Florentiae. 1551. Libro Secundo. pag. 98.

(3) Versi et Regole della nuova Poesia etc. già citati.

(4) Vite de' Pittori etc. Prima e Seconda Parte. pag. 367.

(5) Versi et Regole della nuova Poesia etc già citati. pag. T.

(6) Institutionum Florentinae Linguae Libri Duo. Florentiae. 1569. pag. 322. et seqq.

(7) Lettere del Tolomei pag. 7. Lettera A gli Illustrissimi Signori de la Balia di Siena.

epistola, summo Reipublicae Senensis Magistratui data VIII. Kal. Januarii ejusdem anni 1642. hac enim Ptolomaeus Magistratui gratias agit, quod benevole sibi patriam restituerit.

Annorum 1545. 1546. 1547. magnam partem Claudius transegit (1) Parmae et Placentiae. Atque postrema hac in Urbe publico aliquo munere functus fuisse videtur; cum enim Placentiae esset, ita (2) scripsit: *vi dico ch' io sostengo qui due persone; l' una come Claudio Tolomei, l' altra come ministro di giustizia*: hoc est: *scias velim, duplicem hic a me personam geri, Claudii Ptolomaei unam, alteram ejus qui jus reddere debet.* Et quidem cum Ptolomaeus Paulo III. Farnesio esset acceptus (3), anno autem 1545. dominatus Parmae et Placentiae datus fuerit Petro Aloysio Farnesio, qui mense Septembri anni 1547. occisus fuit, credibile fit, eo tempore, quo Petrus Urbium illarum potiebatur, Farnesios Ptolomaeo officium aliquod mandavisse. Neque praetermittam, nullam a me visam esse Ptolomaei Epistolam Placentia datam post Septembrem illum mensem.

Deinde vero, anno 1548. saltem ab initio mensis Aprilis ad finem Decembris Patavii fuit Ptolomaeus. Quo se actum fuisse (4), scripsit, ab saevissima tempestate, qua miserrimum una cum quibusdam aliis fecerat naufragium (fortassis indicabat Petri Aloysii Farnesii necem, indeque ortas turbas maximas, ac rerum conversiones) (5) scripsit etiam, sibi propositum fuisse, Patavii tandem experiri, num quiete, salubritate aeris, et excellentium Medicorum peritia, posset oculorum morbo levari; quo morbo jam ab (6) anno 1546. coeperat tentari.

Nunc videndum est, quo anno, et qua in Civitate, Ptolomaeus noster Episcopalem sedem obtinuerit (7). Hieronymus Ghilinus, Ptolomaei ejusdem vitam litteris mandavit; sed, ut huic moris erat, perfunctorie negligenterque. In Ghilini enim volumine frustra quaeres tempus ortus Ptolomaei, vel interitus; invenies quidem, illum Episcopum appellari, de ejus vero Episcopatu omnino nihil (8). Isidorus autem Ugurgerius perperam scribit: *se non fossero stati gli officii de' Cardinali Francesi, e la liberalità di Arrigo II. Re di Francia, che lo provveddè della Chiesa di Tolone in Provenza*: nimirum narrat Ugurgerius, ab Henrico II. Galliae Rege Claudium Ptolomaeum renunciatum fuisse Episcopum Telonensem: quod tamen tam falsum est, quam quod falsissimum: ut porsus constat ex (9) *Gallia Christiana* D. Dionysii Sammarthani, viri eruditissimi aeque ac diligentissimi; in qua, ubi recensentur Episcopi Telonenses, reperiuntur hi: anno 1524. Augustinus Trivultius Cardinalis; cui successit anno 1528. Antonius Trivultius, postmodum Cardinalis, qui obiit anno 1559. et huic successit Hieronymus della Rovere: Claudii autem Ptolomaei mentio nulla fit. Quamobrem manifestum est, eam Sedem Ptolomaeum nostrum haudquaquam obtinuisse.

(1) Lettere del Tolomei pag. 224. 232. et pluribus aliis in locis.
(2) Lettere del Tolomei pag. 214.
(3) Storie Fiorentine di Messer Bernardo Segni. In Augusta. 1723. pag. 303. et 319.
(4) Lettere di diversi eccellentissimi Uomini. 1554. pag. 358.
(5) Nelle Lettere stesse. pag. 373.
(6) Lettere del Tolomei pag. 201.
(7) Teatro d' Uomini Letterati. In Venezia. 1647. Volume Primo. pag. 39.
(8) Le Pompe Senesi. loco citato.
(9) Gallia Christiana in Provincias Ecclesiasticas distributa etc. Opera et studio D. Dionysii Sammarthani . . . . e Congregatione S. Mauri. Tom. I. Parisiis. 1716. pag. 741. et 753.

Sed hisce missis, ut vera persequamur, discere licet, ab (1) Jo. Mario Crescimbenio, Claudium Ptolomaeum appellari (*Vescovo di Corsola*) *Episcopum Corcyrae Nigrae*: quae civitas est in cognomine (2) Insula Hadriatici Maris, propter oram Illyrici: *nigra* ob sylvas procerarum arborum, quibus prope contecta erat, nominata, ut ab Jonii Maris Corcyra, majore Insula, discerneretur. At rem mire illustrare queunt *Acta* (ut appellant) *Concistoralia*; quae mecum communicavit vir eruditissimus P. Philippus Riceputi e Societate Jesu, cujus labores eximiamque diligentiam in perquirendis undique monumentis ad Illyrici Sacri contexendam historiam (a doctis avidissime expectatam) sine debita laude praeterire minime debeo. In illis enim *Actis* leguntur (3) haec: 21. *Augusti* 1549. *Sanctissimus* (tunc temporis sedebat Paulus III.) *providit Ecclesiae Cursulensi per translationem R. Patris D. Marci Maripetri ad Ecclesiam Pharensem, tunc certo modo vacanti, de persona D. Claudii Ptolomaei Clerici Senensis.*

In possessione Ecclesiae suae Corcyreae constitutus fuit Ptolomaeus die 27. Decembris anno 1550. ut liquet ex illius Ecclesiae monumentis, quae ab eodem P. Philippo descripta asservantur.

Insignem autem honorem habitum fuisse Ptolomaeo in Patria sua (nimirum Senae Juliae) degenti, anno 1552. narrat in historia sua (4) Malavoltus. Refert enim XVI. Cives electos designatosque fuisse, qui, una cum Cardinali Mignanello, cum Termio, et cum Episcopo Ptolomaeo considerate diligenterque consulerent de modo novae formae Reipublicae constituendae. Idque hi fecere, novo regimine inducto. At in ea nova Reipublicae constitutione (5), *pars illa civium praevalebat, quae . . . amicitiam Regis* (Galliae) *ut rebus suis necessariam amplectebatur. Itaque pervicerat, ut honorifica legatio ad regem decerneretur, quae ipsi ut liberatori nomine Reipublicae gratias ageret . . . hoc munere defunctus est Claudius Ptolomaeus, cujus elegans et luculenta oratio coram Rege habita exstat.* Porro Galliae Regibus semper addictum fuisse Ptolomaeum, perspicue apparet ex ejus (6) Epistolis ad Franciscum I. ad Henricum II. et ad hujus uxorem Reginam.

Legationem vero illam quatuor Senenses Cives obivere; ut ex principio orationis Ptolomaei ejusdem nostri plane liquet. Et ex orationis ejusdem (7) editione prima scire licet, eam habitam esse Compendii, mense Decembri anni ejusdem 1552. Haec ipsa oratio deinde, cura (8) Francisci Sansovini, lucem iterum vidit, eodemque tempore tres aliae Claudii nostri orationes. In Gallia autem diu (non tamen annos quinque) commoratus est Ptolomaeus; quippe qui Hieronymo Pisano (9) litteras dederit Compendio scriptas VII. Kal. Jun. anno

(1) Dell' Istoria della volgar Poesia, Volume Secondo. In Venezia. 1731. pag. 371.

(2) Notitia Orbis Antiqui. Auctore Christophoro Cellario. Volum. Primo. pag. 626.

(3) Ex Actorum Concistorialium, quae in Archivio Pontificio Romae asservantur, Tomo Primo.

(4) Dell' Historia di Siena scritta da Orlando Malavolti. La Terza parte. In Venezia. 1599. pag. 155.

(5) Jac. Augusti Thuani Historiarum sui temporis Tomus I. Aurelianae. 1626. pag. 334.

(6) Lettere del Tolomei. pag. 5. 11. 22. 88. 221.

(7) Orazione di M. Claudio Tolomei Ambasciador di Siena, recitata al Cristianissimo Re di Francia, Henrico II. a Compiegnes, il mese di Decembre 1552. In Lione 1553.

(8) Diverse Orazioni volgarmente scritte da molti Uomini Illustri. Raccolte per M. Francesco Sansovino. In Venezia. 1569. Orazione del Tolomei a Clemente VII. per la Pace. pag. 1. Orazione dello stesso, in cui accusa Leone Secretario. pag. 59. Altra Orazione dello stesso, in cui difende Leone Secretario. pag. 63. (gli Argomenti di queste due Orazioni sono finti) Orazioni dello stesso per la Repubblica di Siena. pag. 105.

(9) Lettere di XIII. Huomini Illustri. p. 203.

1554. Ante finem vero hujusce anni eum in Italiam remigravisse, conjicio praesertim ex quadam Joliti epistola, de qua mox.

Opera enim atque cura Gabrielis Joliti editus fuit anno 1555. Claudii Ptolomaei (1) Dialogus, cui titulus est: *Il Cesano*; quo in opere de Vulgaris Linguae nomine disputatur: eique Dialogo praefixit Jolitus epistolam (cui adscripta est dies XX. Decemb. anni 1554.) ad ipsum Claudium Ptolomaeum, quem Compatrem suum appellat. Ea vero epistola rogat Jolitus Ptolomaeum, ut velit autographum suum dialogum perscrutari, et sibi mittere aliud emendatius exemplum, si opus sit, ad editionem alteram exornandam: et alia addit, quae minime scripta esse videntur homini fungenti gravissima Legatione pro Patria in Regione longinqua. Itaque plane existimo, colligi hinc posse, eo tempore quo scripta fuit Joliti Epistola, jam ab illa ad Galliae Regem Legatione Ptolomaeum fuisse reversum. Quamobrem propter conjecturam hanc, et propter rationem habendam temporis, quo de vita decessit Ptolomaeus, persuasum mihi est, aliquid humani passum fuisse (2) Dionysium Atanagium, qui scripsit, annos quinque consumpsisse Ptolomaeum in Legatione pro Senensi Republica ad Galliae Regem.

Ex vita autem excessisse Claudium Ptolomaeum anno 1557. auctor est idem (3) Dionysius Atanagius, cujus haec sunt verba: *In Morte di Monsig. Claudio Tolomei . . . seguita l' anno* 1557. *et de la sua età* 63. et huic (4) Jo. Marius Crescimbenius, se adstipulari, affirmat. At Lucas Antonius Ridolfi in Dialogo, cui titulum fecit, *L' Aretefila*, eum scripsisset, Aloysium Alamanni mortem objisse XIIII. Kal. Maj. anno 1556. et Joannem Casam XVIII. Kal. Decemb. anno eodem; deinde subdit, ante hosce mortuum esse Claudium Ptolomaeum X. Kal. April. anno 1555. Sunt autem ipsius Ridolfi ad unguem descripta verba haec (5): *essendo morto il Signor Luigi* (Alamanni) *in Amboisa, ove allora, dicono, era la Corte del Cristianissimo, a XVIII. giorni del Mese d' Aprile, dell' anno M. D. LVI. e Monsignor* (Giovanni) *della Casa in Roma il XIIII. giorno del Mese di Novembre del medesimo anno. Di maniera che ci possiamo con molta ragione dolere, che la Toscana tutta, anzi pur tutta l' Italia sia rimasa con gran pubblico danno orba nello spazio d' un anno, e poco più, di tre de' suoi più chiari splendori; havendone la invidiosa morte tolto prima a XXIII. giorni del Mese di Marzo dell' anno M. D. LV. in Roma Monsignor Claudio Tolomei Gentilhuomo Sanese.* In hac autem Lucae Antonii narratione nil esse emendandum plane censuit alias laudatus Jo. Baptista Casottus patriarum rerum, hoc est, etruscarum peritissimus, qui integram narrationem illam (6), cum de Jo. Casa scriberet, nulla addita animadversione, descripsit. Neque praetermittendum est, eandem Ridolfi narrationem ita esse contextam, ut si Ptolomaeus mortuus non esset anno 1555. labefactaretur tota. Adde, epistolam, quam Dialogo suo idem Lucas Antonius praemisit, datam fuisse mense Martio anno M. D. LVII. atque adeo eo tempore, quod illius narrationem evidentem efficere videtur. Sed

(1) Il Cesano, Dialogo di Messer Clandio Tolomei etc. In Vinegia. Appresso Gabriel Giolito de Ferrari. 1555.

(2) Delle Rime di diversi Nobili Poeti Toscani. Nella Tavola: pag. 7. avanti il fine.

(3) Loco jam cit. Delle Rime etc.

(4) Commentarii intorno alla sua Istoria della volgar Poesia. Volume Secondo. pag. 372.

(5) Aretefila Dialogo. In Lione. 1562. p. 125.

(6) Opere di Monsignor Giovanni della Casa. Tomo Quinto. In Venezia. 1729. pag. 11.

quid plura? *Acta Concistorialia* (de quibus alias dictum est) habent (1) haec: 21. *Junii* 1556. *Providit* (Paulus IIII. Pont. Max.) *Ecclesiae Cursulensi vacanti per obitum Claudii Ptolomaei in Curia, de persona D. Petri Barbadici* etc. Ergo non obiit Ptolomaeus anno 1557. Ergo Lucae Antonio Rodolfi standum, ac Ptolomaei mors ad X. Kal. April. anni 1555. est referenda. Ceterum, cum vixisse annos sexaginta tres, neminem inveni, qui in dubium revocaverit.

Nunc de proposita Epistola dicam. Ex ea primum scire licet, quam parati fuerint, tunc temporis, Romae, ut architectonicam doctrinam, et Vitruvii de Architectura Libros fuse diligenterque et exornarent, et illustrarent nonnulli ingenio atque industria excellentes viri.

Immo etiam ante illud tempus coeperat Architecturae studium Romae florere. Discimus enim ex (2) Egnatio Dante, et ex (3) Andrea Felibieno, Jacobum Barozium a Vineola addictum Romae fuisse Academiae Architectonicae constitutae a pluribus illustribus viris, qui Libris Vitruvii legendis operam dabant: inter eos autem erant (*il Sig. Marcello Cervini, che poi fu Papa, Monsignor Maffei, et il Sig. Alessandro Manzuoli*; verba haec sunt ipsius Egnatii) inter eos, inquam, erant Maffejus, Alexander Manzolius, et Marcellus Cervinus. Quorum primus (4), Bernardinus Maffejus, S. R. E. Presbyter Cardinalis renunciatus est anno 1549. quem Manutius *divinum hominem* appellavit: ac Panvinius ei, quod didiecrat in rerum Romanarum veterum observationibus, acceptum retulit. Postremus vero, Marcellus Cervinus, qui anno 1539. Presbyter Cardinalis, et anno 1555. Pontifex Maximus creatus, Marcellus II. appellatus est: cujus Marcelli, cum eruditam quandam conjecturam attulit, tum ejus mentionem fecit magna cum laude (5) Philander in Annotationibus ad M. Vitruvii Libros. Academicis vero illis inserviens, metitus est, delineavitque Barozius Romana Antiqua Monumenta (*misurò* il Barozzi, *e ritrasse per servizio di quei Signori tutte le antichità di Roma*, ut scribit Egnatius). At Barozius Francisco Primaticio se dedidit anno 1540. si stemus (6) Vasario et (7) Felibieno (hic quidem illum secutus esse videtur) anno autem 1537. si adstipulemur Egnatio, cui (8) Augustinus Carolus Davilerius adhaesit. Egnatii tamen unicam diligenter scribentis auctoritas major fortassis esse debet, quam Vasarii, vitis plurimis conscribendis intenti; certe ante annum 1540. Academiae illi Barozius erat addictus: quamobrem liquet, ante eum annum Academiam illam viguisse.

Quam (9) Ziliolus scribit, Claudium nostrum constituisse Romae in Ædibus Archiepiscopi Columnae, eamque appellat celebrem Academiam, *in qua disciplinis omnibus, et praesertim Architecturae, dabatur opera.* At cum

(1) Ex Actorum Concistorialium, quae in Archivio Pontificio Romae asservantur, Tomo Secundo.

(2) Le due regole della Prospettiva Pratica di M. Jacomo Barozzi da Vignola con i Commentarii del R. P. M. Egnatio Danti etc. In Roma. 1611. Nella Vita del Vignola scritta dal Danti.

(3) Entretiens sur les vies, et sur les Ouvrages des plus excellens Peintres. Tom. II. A Londres 1707. pag. 191.

(4) Verona illustrata dal M. Maf. Parte Seconda. pag. 144. 145.

(5) M. Vitruvii Pollionis de Architectura Libri X. etc. Lugduni. 1552. pag. 7.

(6) Vite de' Pittori etc. Secondo et Ultimo Volume della Terza Parte. In Fiorenza. 1568. pag. 798.

(7) Loco citato.

(8) Cours d' Architecture. A Paris. 1710. pag. 6. ij.

(9) Historia delle Vite de' Poeti Italiani di Alessandro Zilioli, già citata.

Archiepiscopum Columnam (cum nemo alius ex inclyta illa Familia per ea tempora exstiterit Archiepiscopus) fuisse (1) Pompejum illum Cardinalem Hieronymi Salerni Principis Filium, *Montis Regalis Rossauensem Archiepiscopum*, litteratorum patronum eximium, plane reor: qui cum e vita excesserit anno 1532. credibile fit, non modo ante annum 1540. verum ante annum 1532. institutam fuisse illam Academiam.

Inter eos autem Academicos, hoc est, inter eos, quos *viros illustres* vocat proposita in epistola Ptolomaeus, credibile est fuisse Michaelem Angelum Buonarotum, qui tunc temporis ceu Architectorum princeps jure meritoque reputabatur: at certe ex eorum numero fuit Gulielmus Philander, Ptolomaei amicus (2), qui in postrema Annotatione ad Cap. 6. Libri Primi Vitruvii scripsit haec: *Ingenui est pudoris fateri per quos profeceris. Hunc mehercule locum cum ante annos aliquot emendassem, erroris occasionem non satis videram. Eam feliciter attigit C. Ptolomaeus noster (libenter enim ejus mentionem facio, quod a Viro multis nominibus claro profecta non possit non summopere ab omnibus commendari) qui docuerit* etc.

Fuit etiam inter illos Ludovicus Lucena. Hic (3) *Guadalaxarae Novae Castellae ortus, Artium ac Medicinae Doctor, postquam ex diuturna peregrinatione, fructuosa illa quidem et studiis impensa, in Hispaniam rediisset, iterum vale dicto Patriae, Romam remigravit, non ut ambitioni et cupiditati serviret* (verba sunt Joannis Gennesii Sepulvedae in Epist. LXXII. anno MDXLIX. ad eum ex Hispania data) *sed ut otio litterario et honesta libertate in ea regione atque urbe frueretur, ubi magna est tum studendi occasio* etc. Obiit Romae anno 1552. Ab hoc (4) litteris suis (quae Placentia anno 1547. datae esse videntur) Ptolomaeus quaerebat doctrinam rationis illius, qua ab Archimede deprehendi discernique potuerit portio argenti auro mixta in aurea corona votiva Regis Hieronis, de qua (5) Vitruvius narravit. Ac in iisdem litteris subdit Ptolomaeus: *memini* (sunt Ptolomaei verba latine reddita) *quibus temporibus Libris Vitruvii legendis opera dabatur, ejus rationis tam pulchras, subtiles, verasque regulas (quarum sum nunc oblitus) te nobis dedisse, ut eas probaverint omnes, atque suspexerint.* Et Philander quoque, postquam hunc Lud. Lucenam laudavit, addidit (6); *quem unum ex omnibus meorum scriptorum censorem elegi*; tum ejusdem Lucenae de Antiquorum duplicandi cubi ratione doctrinam protulit. Itaque palam est, hunc quoque Lucenam inter illustres illos viros locum habuisse.

Facile autem apparet ex iisdem litteris, inter viros illos studium Vitruvii excollentes ipsum Ptolomaeum nostrum ((7) Ziliolo etiam, ut indicavimus, teste) numerari oportere; qui (8) alibi praeterea scripsit, se annotationes aliquot in varios locos Vitruvii confecisse.

Sed satis jam vel plus satis, de Academicis illis dictum est: itaque revertor ad ea, quae proposita epistola continentur.

(1) Columnensis Familiae Cardinalium Imagines. Publicabat Abbas Ferdinandus Ughellus. Romae. 1650. pag. 14.
(2) In X. Libros M. Vitruvii Annotationes. Romae. 1544. pag. 24.
(3) Bibliotheca Hispaniae etc. Auctore Nicolao Antonio Hispalensi. Tomus Secundus. p. 59.
(4) Lettere del Tolomei. pag. 229.
(5) Lib. IX. Cap. 3.
(6) Vitruvii Editio An. 1552. pag. 362.
(7) Istoria delle Vite de' poeti Italiani di Alessandro Zilioli. loc. cit.
(8) Lettere di diversi Eccellentissimi Uomini. pag. 364.

In (1) eadem agitur de Architecturae exemplis desumendis ex veteribus monumentis; de Librorum Vitruvii difficilioribus locis explicandis; de eorumdem veris lectionibus, ope antiquorum codicum, restituendis (2); de Figuris propositis ab Jocundo emendandis; de concinnandis novis quibusdam aliis figuris, aptis ad Vitruviani Operis illustrationem; atque de duobus componendis Lexicis, latino altero, altero graeco, Verborum Vitruvianorum significationem exprimentibus.

Agitur etiam de Vitruvianis verbis conferendis cum aliis verbis similium significationum adhibitis a Latinis Auctoribus melioris notae; de Vitruvii Libris in puriorem Latinam linguam convertendis; de nova adornanda conversione Librorum Vitruvii e Latina in Italicam linguam; de conscribendo Italica lingua Lexico Architectonico, verbis alphabeti ordine dispositis; tum vero de alio Italico Lexico, cujus ordo ex ipsa instrumentorum partiumque rerum natura proficisceretur; et de Libro componendo, quo continerentur praecepta Vitruvii cum antiquis exemplis comparata.

Agitur praeterea (3) de antiquorum aedificiorum aetatibus, magnitudinibus, usibus, et qualitatibus aliis illustrandis Historiae ope; de eorumdem figuris delineandis, mensurisque exhibendis; de sculptis, aut caelatis operibus; de antiquis vasis, atque de instrumentis variis pro variis artibus antiquitus adhibitis; de Inscriptionibus veteribus colligendis et interpretandis; de iis, quas temporum injuriae non aboleverant (4), priscis picturis describendis; de rei nummariae studio juvando; et demum de rebus iis, quae pertinent ad Antiquorum machinas, et ad Aquaeductus antiquos, explicandis atque exornandis.

Haec autem tam multa, tam speciosa, tamque utilia a pluribus illis ingenio atque industria excellentibus viris (de quibus supra est commemoratum) erant perficienda. Quae omnia ubi ea in epistola fuse descripta attente legi, plane credidi, adeo luculenti rerum utilium Propositi mentionem minime esse praetermittendam. Hujusce itaque exhibiti a Claudio Ptolomaeo Propositi mentionem facere cum in animum induxissem; eodemque tempore recordarer, vitam ejusdem Ptolomaei, viri profecto eximii, a nemine pro dignitate fuisse scriptam, eam (ut alias etiam monui) diligentius scribendam duxi, ratus futurum, ut mihi vitio non verteretur, si lacunam, ut ita dicam, litterariae historiae impleturus, hunc operis mei articulum efficerem paullo longiorem.

MDXXXXVII

ARCHITECTVRE OV ART DE BIEN BASTIR, DE MARC VITRVVE POLLION AVTHEVR ROMAIN ANTIQVE; MIS DE LATIN EN FRANCOIS, PAR IAN MARTIN SECRETAIRE DE MONSEIGNEVR LE CARDINAL DE LENONCOVRT.

POVR LE ROY TRES CHRESTIEN HENRY II.

A Paris. Pour la Veuve et Heritiers de Ian Barbè. 1547. in fol.

Joannes Martinus, Lutetiae Parisiorum natus, a Secretis fuit (ut etiam (5) Crucimanius refert) Cardinali Roberto *de Lenoncourt*, cum antea itidem a

(1) Lettere del Tolomei. pag. 81.
(2) Lettere del Tolomei. pag. 82.
(3) Et pag. 83.
(4) Lettere del Tolomaei. Pag. 84.
(5) Bibliotheque du Sieur de la Croix du Maine. A Paris. 1584. pag. 242. et 243.

Secretis Maximiliano Sfortiae fuisset. Refert ille praeterea, Martinum Gallice reddidisse octo Vitruvii Libros, editos ab Hieronymo de Marnef (qui propterea primus eos Libros edidisse videtur) anno 1572. quae ubi Crucimanius scribit, duplicem errat errorem; non enim octo, sed decem Libros Martinus convertit; et editio anni 1572. princeps non est.

Addit Crucimanius, ab eodem Martino varia alia Opera vel de Latina vel de Italica lingua in Gallicam fuisse conversa, quae minus ad nostrum pertinent institutum: illud tamen (ut de Architecturae studio constet) praetermittendum non est, quod a (1) Verderio narratur; nimirum eundem Martinum Gallice reddidisse Sebastiani Serlii Quintum de Architectura Librum.

Litteris praeterea mandavit Crucimanius, floruisse Martinum Parisiis, regnante Francisco I. Et floruit etiam cum idem Galliae regnum teneret Henricus II. cui Martinus Vitruvium suum, satis longa Epistola, nuncupavit. Qua in Epistola narrat, se adiutum fuisse ab Joanne Govionio prius Annae Montmorancii Magistri Equitum Architecto, tunc vero temporis, Regis ejusdem Henrici II. Qui Govionius Figuris, ad rem aedificatoriam pertinentibus, propositam ditavit Editionem (hunc autem Martini locum in Bibliothecam suam Crucimanius (2) transtulisse videtur). Ac eadem in Epistola, se ad hoc opus excitatum fuisse, ait Martinus, ab Joanne Barbè, cive Parisino, Architectonicae Artis studiosissimo.

Nunc de Opere ipso ut dicamus, praestabit Perraultii judicium referre (3): qui, postquam Martinum, et Govionium doctos appellavit, alterum humaniorum litterarum, alterum architecturae, subdit, ejus versionem male acceptam fuisse. Porro dabimus Perraultio non omnia quidem loca eleganter appositeque fuisse conversa: non tamen ideo negabimus, plurima in versione proposita esse, quibus Vitruvii mens satis accommodate exprimatur. Cum autem Martinus in Nuncupatoria mentionem faciat Vitruvii editi a Caesariano, et in Monito post illam narret se profecisse laboribus Joannis Jocundi, Leonis Baptistae Alberti, Gulielmi Budaei, et Gulielmi Philandri, videtur profecto diligentiam adhibuisse: tum etiam colligere facile possumus, illum pro versione sua usum esse Latinis Jocundi Editionibus. Libri tamen Primi Capita ratione alia, atque in eis Editionibus, a Typographo fuere divisa.

Sed ubi divisionum incidit mentio, animadvertere juvat, praeter scissionem illam Librorum Vitruvii in Capita (quicumque demum fuerit auctor illius) a Martino Capita ipsa iterum divisa fuisse minutius, quam alii fecerint, in Articulos, sine Lemmatis, commoda tamen quadam aptaque ratione.

Post Vitruvii Libros adjecta est nominum propriorum, verborumque difficilium, quae in Vitruvii Libris continentur (Gallica) Explicatio; jejuna quidem, neque indiciis illorum ornata, ex quibus compilata fuit; non tamen prorsus inutilis.

Ad Voluminis extremum apposita est Govionii Dissertatio quaedam, sive Epistola. Principio, hujusce Auctor in eo est, ut Lectoribus ostendat Geometriae, atque Perspectivae in rebus Architectonicis utilitatem. Deinde rationem reddit artificiorum, quibus nonnulla ipse Schemata descripserat; ac simul in-

(1) La Bibliotheque d' Antoine du Verdier, contenant le Catalogue etc. A Lion. 1585. p. 719.

(2) Citata Bibliotheque du Sieur de la Croix du Maine. pag. 230.

(3) Vitruve corr. et traduit par M. Perrault. In Praefatione. Art. *Il y a six vingt ans.*

dicat Vitruvii loca, quibus Schemata illa conveniunt. Mirari tamen subit, scripsisse Govionium verba haec: *Quant' est du Chapiteau Latin, ou Composè, je l' ay faict ainsi que le texte me l' a donnè à entendre*: hoc est: *Quod attinet ad Capitulum latinum, sive Compositum, hoc ego ita formavi, ut textus mihi ipsum praescripsit.* Nec non etiam miratus sum, a Govionio ejusdem Compositi Capituli delineationem indicari, ponique e regione Primi Capitis Libri Quarti, eo loci, ubi Vitruvius (qui Compositum non attigit Ordinem) de Corinthio Capitulo haud dubie scribit.

Figurae bene multae, praesertim pertinentes ad Ordines Columnarum novae sunt (a Govionio, ut indicatum est, delineatae) neque inelegantes: reliquarum paucae ex Serlio, nonnullae ex Caesariano desumtae, aliae vero ex Jocundo. At in quibusdam litterae desiderantur explicationibus respondentes. Sunt autem omnes ligneis formis impressae.

MDXXXXVII.

DER FIRNEMBSTEN, NOTVVENDIGSTEN DER GANZEN ARCHITECTVR ANGEHERIGEN MATHEMATISCHEN, VND MECANISCHEN KINST, EYGENTLICHER PERICHT, VND FAST KLARE FERSTENDLICHE VNTERRICHTVNG, ZV RECHTEM FERSTANDT DER LEHR VITRVVII, IN DREY FIRNEME PIECHER ABGETHEILET.

Porro Germanicum praelongum titulum non describimus integrum: satis quidem est afferre ejus initium, latine redditum (ut reliqua etiam, quae ex hoc Opere dabimus), nimirum:

Insigniorum utiliorumque rerum ad totam Architecturam pertinentium, nec non Mathematicarum, et Mechanicarum Artium, apta atque perspicua Institutio, ad veram Vitruvii Doctrinam accommodata, et *in tres praecipuos Libros divisa.* etc.

Norimbergae. Typis dat Joannes Petrejus. 1547. in fol.

De Gualthero Herminio ((1) nonnullis *Hermanno*, aliis *Hermenio*, ut videbimus infra (2), quibusdam *Henrico*) Rivio, dicto a nonnullis *Riif*, aut *Riffo*, in *Lindenio Renovato* pauca haec legere est: *Gualterus Hermannus Riif Argentoratensis, Medicus, et Dioscoridis Explanator. Claruit Moguntiae A. C.* 1539. *Justus in Chronol. Medic.* Deinde Opera, praesertim tamen Medica, quae Rivius sua partim, partim aliorum edidit, recensentur: *Pedacii Dioscoridis de Medicinali Materia Lib. VI. cum Rivii Annotationibus;* et *Baveri Consilia de Re Medica, recognita*; et *Raymundi Lullii de Secretis Naturae Liber*; et *de Memoria Artificiali Opusculum*: et *Medicinae Theoricae ac Practicae Enchiridion breve sed opulentum*; et *Jatromathematicae Enchiridion* ((3) supra etiam de duobus ex hisce diximus) et *Alberti Magni Libri quinque de Mineralibus*; quibus addenda est (ut (4) Mangetus refert) *Chirurgia Magna, Lingua Germanica conscripta.*

Sed instituto nostro plus luminis afferre possunt quae mecum Clarissimus

(1) Lindenius Renovatus. pag. 365. et 366.
(2) Jo. Alberti Fabricii Bibliotheca Latina. Tom. I. pag. 345.
(3) Ad Annum 1543.
(4) Jo. Jacobi Mangeti Bibliotheca Scriptorum Medicorum. Tom. I. Par. II. Genevae. 1731. pag. 676.

eruditissimusque Daniel Doppelmair, pro singulari sua humanitate, communicavit. *Gualtherus* (scripsit ille ad me) *Herminius Rivius Mathematicus, et Medicus Argentoratensis, circa annum* 1550. *floruit; primus fuit inter Germanos, qui M. Vitruvii Pollionis Libros X. de Architectura e latina lingua in germanicam transtulit, Commentarioque illustravit; hoc opus Noribergae, impensis Typographi Joannis Petreii, curante Jo. Neudoerffero, cultore Matheseos Noribergensi sedulo, Anno* 1548. *in folio edendum curavit, quod etiam prodiit tandem A.* 1575. *Basileae. Idem Rivius praecedente anno, nempe* 1547. *Fundamenta Architecturae* (nimirum Opus, quod hic recensemus) *cum Perspectiva, tribus partibus contenta, ut Scientiae hujus studiosi ad Vitruvii praecepta tanto felicius haurienda praepararentur, Prodromi loco, ibidem germanice in folio, imprimi curavit, quae postmodum et Basileae A.* 1582. *edita sunt. Idem Auctor in re Medica, Anatomica, Pharmaceutica, et Chirurgica, nonnulla partim Argentorati, partim Francofurti, edidit.*

De Rivio tamen non omnes bene sensere. Ægidius Periander in *Germania* sua, qua *doctissimorum Virorum Elogia*, et *Judicia* continentur, habet hos, quos subjicio (qualescumque sint) versus:

De Gualtero Hermenio Riffo Argent.

(1) *Multa quidem scribis, sed nil nisi ridiculus mus*
Nascitur in Scriptis Hermeniane tuis.
Maxima promittis, cur, nedum parvula possis:
Rite quidem (labor hic) maxima furta facis.

Praetermitto versus reliquos, non bene olentes, et pergo ad Praefationem, qua propositum Opus Rivius instruxit.

Ea Praefatione Norimbergensi Magistratui opus nuncupatur; tum vero proferuntur plura de Vitruvii laudibus, et quaedam etiam de opera, quam Rivius praestitit. Inter cetera; *Cum*, scribit ille, *hactenus Vitruvii Libri ab exteris Nationibus in varias linguas fuerint conversi, in Italicam primum, deinde in Hispanicam, nunc in Gallicam* (Editionem, quae prodiit eodem anno 1547. studio Jo. Martini indicari opinor) *quas linguas plerique Germani Architecturae studiosi ignorant; itaque Germani thesauro pretioso aureorum Vitruvii Librorum caruere, cum germanice numquam ii Libri editi fuerint*: atque hac praesertim de caussa ad Libros illos convertendos animum applicuisse, narrat: paullo infra subdit, *exemplo permotus fui Magistrorum excellentium, Lucae Paccioli, Caesaris Caesarini, Benedicti Jovii, Boni Mauri, Gulielmi Philandri, Sebastiani Serlii, Petri Nonii, Orontii Finaei, Nicolai Tartaleae, et aliorum plurium.*

Ceterum in Opere hoc quaedam sunt ad Commentarios in Vitruvium contexendos quodammodo praeparata; quaedam derivata ex Vitruvii fontibus ad res ab Rivio propositas reddendas uberiores; plura nullam (ut ita dicam) analogiam habentia cum Vitruvii Libris, puta quae pertinent ad Geometrica Instrumenta, ad Militarem Architecturam, et ad Bellica Tormenta, quae illis Rivii temporibus erant in usu; de omnibus vero illud, *sunt mala mixta bonis*, fortasse poterit apposite pronunciari.

(1) Ægidii Periandri Germania etc. Francofurti. 1567. pag. 274.

MDXXXXVIII.

VITRVVIVS TEVTSCH NEMLICHEN DES ALLER NAMHAFFTIGISTEN VND HOCHERFARNESTEN, ROMISCHEN ARCHITECTI, VND KVNSTREICHEN VVERCK ODER BAVVMEISTER, MARCI VITRVVII POLLIONIS, ZEHEN BVCHER VON DER ARCHITECTVR VND KVNSTLICHEN BAVEN. hoc est (ubi integer hic titulus de Germanica lingua in Latinam convertatur) *Vitruvius Teutonicus. Scilicet Celebratissimi et Peritissimi Romanorum Architecti artificiosorumque operum Structoris, Marci Vitruvii Pollionis decem Libri de Architectura, et de Constructionibus artificiosis. Clavis atque Introductio ad omnes Mathematicas et Mechanicas Artes, non sine perspicaci et diligenti artificialium operum contemplatione. Attentione tam eximia, et tam solido atque certo omnium liberalium Artium fundamento, hoc modo diligenter et ordinate conscripta, ut posthac unusquisque Artium studiosus Lector Architecturam, Structuramque artificiosorum operum, et Artes Mathematicas et Mechanicas pertinentes ad Architecturam facili rectaque ratione addiscere et comprehendere queat. Omnia pulcherrimis artificiosisque Figuris, et Antiquitatum repraesentationibus, et convenientibus Commentariis ornata atque illustrata, ut possint planius intelligi.*

Omnibus Artificibus, Ædificatoribus, Lapicidis, Architectis, tormentorum Praefectis, Aquilegibus, montium Fossoribus, Pictoribus, Sculptoribus, Aurificibus, Fabris lignariis, atque iis singulis, qui circino vel regula artificiose utuntur, ut utilitati et usui sint hi decem Libri, nunc primum Germanice translati, et typis mandati sunt. Opera D. Gualtheri H. Rivii Medi. et Math.

Eos Libros antehac in Germanicam linguam convertere nemo ausus est. Id fieri non posse, reputabatur.

Norimbergae. Typis dat Joannes Petrejus. 1548. in fol.

Principio observare praestabit, Rivium hac in Editione usum esse illa eadem (si unum aut alterum verbum excipiatur) Praefatione, Norimbergensi Magistratui inscripta, qua *Prodromum* anno 1547. editum ornaverat. De ea vero cum satis jam dictum (1) esse videatur, id unum commemorabimus, quod Rivius in Commentariis suis, pro Editione hic proposita, concinnandis usus est praesertim Auctoribus iis, qui eadem in Praefatione nominantur.

Nunc quidem institutum nostrum postulat, ut aliquid de Opere ipso ostendamus; in quo tria spectare oportet; nimirum Vitruvii Textum, Commentarios, atque Figuras. Paucis omnia complectar, si dixero affirmari ab linguae peritis, Libros Vitruvii, plerisque in locis, a Rivio apte in Germanicam linguam esse conversos.

At in Commentariis suis quid Rivius praestiterit satis percipiet qui sciat, illum res, instituto suo utiles, ex Auctoribus, quos in Praefatione (ut paullo supra indicavimus) nominaverat, plena manu excerpsisse; quibusdam autem in locis ab iisdem Commentariis periphrasim veluti quandam, et quasi in-

(1) Ad annum 1547.

terpretationem verborum Vitruvii referri; multa illum interiecisse parerga (1); de Scamillis vero Imparibus (2); de Volutae Jonicae descriptione (3); de Theatri Vasis (4); de voce *Harpaginetuli* (5); de Catapultarum Balistarumque conformationibus; et de similibus aliis difficilioribus locis (quorum locorum Commentarii, ut mihi redderentur in Latinam linguam, curavi) illum novi nihil addidisse: ceterum, satis ad res accomodatum, et diligenti viro dignum, ordinem adhibuisse.

Figuras autem multas descripsit ex Auctoribus iisdem illis superius commemoratis: ex Jocundo tamen et ex Caesariano plures, quam ex aliis (etiam turrim Andronici, ornatam iis statuis, de quibus (6) supra dictum est) sed Scalptorum incuria pleraeque inversae sunt. Paucas etiam quasdam ex Polyphilo (7) mutuatus est; itaque hunc quoque Auctorem viderat. Nonnullas autem de suo adjecit, partim ad Vitruvii doctrinam, partim ad parerga in Commentarios inducta, pertinentes. Formis ligneis, satis elegantibus, Figurae eaedem impressae cernuntur: jam vero usus fuerat Rivius pluribus ex iisdem Figuris in Opere (sive *Prologo*) edito An. 1547.

* MDXXXXVIIII.

Opus Didaci Sagredo, cui titulus, *Medidas del Romano, o Vitruvio* etc. Hispanica lingua iterum prodiit Toleti anno 1549. quemadmodum jam (8) supra indicavimus ubi de Opere eodem Gallice reddito scriptum est.

* MDXXXXVIIII.

Georgius Machaeropieus in (9) Praefatione ad Vitruvii Libros (quos iterum edidit) *Parisiense*, ait, *exemplar nacti sumus, quod quam corruptum, maleque ad textus modum digestum fuerit, conferendo studiosi facile intelligent.* Quo loco de Parisiensi aliqua Vitruvii Editione, quae antecesserit annum 1550. agi, primo quidem aspectu videretur. Sed ut Editionem hanc invenirem, non secus, ac quando (10) Basileensem illam imaginariam, ut puto, quaesivi, diligentem operam dedi; at labore plane inutili: tum vero attentius verba expendens illius Georgii Praefationis, satis aperte cognovi, *Parisiense* illud *exemplar* fuisse Philandri Annotationum in Vitruvii Libros; ut mox clarius exponam, cum de eadem Argentoratensi Vitruvii Editione dicam.

MDL.

M. VITRVVII POLLIONIS, VIRI SVAE PROFESSIONIS PERITISSIMI, DE ARCHITECTVRA LIBRI X. AD AVGVSTVM CAESAREM ACCVRATISSIME CONSCRIPTI, ET LOCIS QVAMPLVRIMIS HAC EDITIONE EMENDATI.

(1) Pag. cxx.
(2) Pag. cxxvi.
(3) Pag. clxxi.
(4) Pag. ccxxxi.
(5) Pag. cccxii.
(6) Ad an. 1521. ad finem.
(7) Pag. viii. ix. et xlvii.
(8) Ad annum 1542.
(9) Vide ad annum 1550.
(10) Vide ad annum 1543.

ADIVNCTIS NVNC PRIMVM GVLIELMI PHILANDRI CASTILIONII GALLI, CIVIS ROM. CASTIGATIONIBVS ATQVE ANNOTATIONIBVS IN EOSDEM LONGE DOCTIS AD FRANCISCVM VALESIVM GALLIARVM REGEM.

Una cum Lib. II. Sex. Julii Frontini de Aquaeductibus Urbis Romae, Et Nicolai Cusani Dialogo de Staticis Experimentis.

Cum Graeco pariter et Latino Indice, dispositione copiaque elaboratissimo.

Argentorati, ex Officina Knoblochiana, per Georgium Machaeropieum, mense Augusto, Anno M. D. L. in 4.

Quemadmodum fecerat in Editione Anni 1543. ita huic etiam Editioni praefixit Georgius Machaeropieus Typographus praefationem; qua, ubi principio Vitruvii ejusque Librorum utilitates exposuit, deinde res easdem, quae Praefatione prioris Editionis continentur, subnectit.

Ad calcem vero Praefationis ejusdem, expositurus novae hujusce Editionis rationem, scribit haec: *Principio Parisiense exemplar nacti sumus, quod quam corruptum, maleque ad textus modum digestum fuerit, conferendo studiosi facile intelligent.* Porro haec ad Annotationes Philandri esse referenda, indicare videntur verba illa, *maleque ad textus modum digestum*; ex quibus colligi potest, hic non agi de ipso Vitruvii textu, sed de Annotationibus *ad textum digestis.* Et hinc colligere est, Parisiensis illius exemplaris nomine venire, non equidem Librorum Vitruvii Editionem aliquam, sed Editionem Parisiensem Annotationum Philandri in Vitruvii textum, de qua dietum est ad annum 1545.

Tum pergit: *In ipso Authoris opere, loca supra centum et quadraginta vel emendata, vel in melius restituta.* Idque de *Opere* Philandri intelligo; nam Vitruvii textus, uno aut altero verbo excepto (quod operarum potius incuriae videtur esse tribuendum) in utraque Editione idem plane est.

Addit etiam: *lectionis item varietas in plerisque locis diligenter exposita.* Verum hujusmodi loca vix decem numero sunt, neque unde variantes illae provenerint, enarratur. Ac ita persequitur: *Annotationes* (Philandri) *praeterea passim capitibus subjunximus. Quoties autem nimis prolixa fuere Capita eisdem eas insertavimus.* Et paullo inferius; *Quoniam autem figurae . . . maximum adiumentum adferunt, veteres multo elegantius, quam Florentiae sunt redditae* (hae veteres figurae iisdem impressae sunt formis, de quibus diximus, ubi de Editione anni 1543.) *quibus plus minus sexaginta novae ab ipso Philandro adjectae, non dissimili arte atque venustate*: sed profecto non admodum venustae sunt.

Demum vero, *Indicem*, scribit, *Graecum utriusque Authoris* (Vitruvii et Philandri) *ita conjunximus, ut tamen alter ab altero peculiari signo internosci possit. Idem et in Latino factum, quem tamen longe copiosiorem priore Editione tradimus studiosis: quod res ipsa utramque conferentibus declarabit.* Et sane ii, qui deinde Vitruvii Libros edidere, hosce Indices, verbis paucissimis additis aut demtis, ad suas Editiones accommodarunt.

Uno verbo dicam, si Philandri Annotationes excipias, Editio haec anteriori, ex eadem Officina exhibitae anno 1543. haudquaquam praeferenda videtur

* MDL.

Notitiam Commentarii in Vitruvium, neque tamen absoluti, neque editi protulit Mich. Pocciantius (1): *Joannes* (ait ille) *Norchiatus Sancti Laurentii Canonicus venerabilis, multarum scientiarum eruditissimus, ut linguae Hetruscae dignitatem, atque excellentiam monstraret, opus arduum et perdifficile aggressus est, in quo omnium instrumentorum ad Artifices pertinentium nomina conscribere, eorumque figuras lineamentis declarare nitebatur; sed morte praeventus tantum opus egregia quidem laude dignum absolvere nequivit, ob eamque rem imperfectus pariter remansit Commentarius in Vitruvium. Typis tantummodo excussum habetur et inscriptum De Diphitongi Toscani* (Opusculum hoc (2) Venetiis editum est) *Floruit* 1550. Porro illud Commentarium in Vitruvium perfectum non fuisse, conjicere licet vel ex eo, quod (3) Ant. Franc. Donius (4) duo quidem recenset Opera manu scripta Norchiati a se visa, non tamen Commentarium illud commemorat.

MDLII.

M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM AD CAESAREM AVGVSTVM OMNIBVS OMNIVM EDITIONIBVS LONGE EMENDATIORES, COLLATIS VETERIBVS EXEMPLIS.

ACCESSERVNT GVLIELMI PHILANDRI CASTILIONII, CIVIS ROMANI ANNOTATIONES CASTIGATIORES, ET PLVS TERTIA PARTE LOCVPLETIORES.

Adjecta est Epitome in omnes Georgii Agricolae de mensuris et ponderibus Libros, eodem authore.

Cum Graeco pariter et Latino Indice locupletissimo.

Lugduni. Apud Joan. Tornaesium. 1552. in 4.

Huic admodum emendatae Editioni praefuisse ipsum Gulielmum Philandrum, satis ex eo liquet, quod Philandri Epistola, qua opus hoc *Illustriss. et Reverendiss. D. Georgio Armagnacio S. R. E. Cardinali moecenati et patrono suo*, ipse Philander inscribit, ad calcem habet haec: *Lugduno, in aedibus Joannis Tornaesii Typographi, Calendis Januarii, anno quinquagesimo secundo supra sesquimillesimum.*

De Tornaesiis autem Typographis Cel. (5) Maittaire ita scribit: *Ex doctissimo authore notarum in* (6) *Adrian. Baillet comperio quattuor fuisse Tornaesios. Primum, Joannem, inter Ecclesiae Romanae Catholicos natum, inter Calvinistas Lugduni mortuum, typographum egregium. Secundum Joannem illius filium inter Calvinistas natum Lugduni; unde anno circiter* 1584.

(1) Catalogus Scriptorum Florentinorum omnis generis etc. ad nostra usque tempora 1589. Auctore R. P. Mag. Michaele Poccianto Florentino. Cum Additionibus etc. Florentiae. 1589. pag. 100.

(2) Per Giovann' Antonio de Nicolini da Sabio. 1539.

(3) La Libreria. In Vinegia. 1558. Trattato Secondo. pag. 227.

(4) Fabbrica degli Istrumenti di tutte le Arti MS. Ricchezze de' Vocaboli Fiorentini etc. MS.

(5) Annales Typographici. Tomi Tertii Pars Posterior. Amstelodami, 1726. pag. 493.

(6) Jugem. de Sav. Tom. I. pag. 376.

(sed de hoc anno 1584. videbimus ad annum 1586.) *migrans suas fortunas Genevae constituit. Tertium, et quartum, Joannem Antonium, et Samuelem fratres, quorum avus erat Joannes secundus.*

De primo autem (sive seniore) Joanne Tornaesio, omittendum non esse, ait laudatus (1) Maittaire, quid ad ejus laudem contineat Gulielmi Borluyt Praefatio in (2) *Descriptionem Historiarum ex Exodo* etc. *Incidi* (Borluyt verba sunt) *in Joannem Tornaesium, virum (Dii boni) quanta humanitate in humanioris Disciplinae professores! in egenos pathia! familiaritate in suos! integritate et clementia in omnes!* Nil itaque mirum, si doctissimus Philander in Tornaesianis aedibus hospitabatur.

Affert praeterea Maittaire carmen ejusdem Borluyt, insertum in hujus citato Libro, et inscriptum ita: *Gulielmus Borluyt libello suo, ut accedat* ad *Joannem Tornaesium adolescentem.* Ergo, si anno 1558. quo prodiit Gulielmi Borluyt Liber, Joannes secundus dicebatur adolescens, certum quidem videtur, Vitruvium anno 1552. ab Joanne illo primo fuisse editum.

At de iis satis; cum de ipsa Editione proposita dicendum sit. Itaque principio observabimus, *Vitruvii vitam ex ipso opere per Philandrum collectam*, in hac Editione paullo esse auctiorem ea, quae ante prodierat. Tum animadvertemus, Philandrum in Vitruvii exarando textu secutum potissimum esse Editionem Jocundi anni 1513. Potissimum, inquam, cum nonnullis in locis ab ea recesserit; quod satis liquet vel ex quibusdam paucis locis, quae sparsim et intercise sumpsimus, ac in Tabellam B (ad pag. 25.) retulimus.

Variantes autem aliquas Lectiones descripsit ex Argentoratensi Editione anni 1550. Philander; qui praeterea viderat principem Sulpitii Editionem, et Codices aliquos manu scriptos (ut (3) supra est demonstratum; atque ut, conferendo Editionem hanc anni 1552. cum manu scriptis Codicibus, facile observavimus) quasdam etiam, sed perpaucas, studiose et caute, emendationes ex ingenio in textum induxit. At dolendum est, tantum virum non perquisivisse et expendisse diligentius differentias illas, quae in Collatione Editionis Jocundi cum Editione principe, et cum Codicibus offenduntur.

Quae vero Philandri annotationes et castigationes subjiciuntur Vitruvii textui in Editione hac, sunt (ut in ipsius Editionis fronte legere est) *castigatiores, et plus tertia parte locupletiores* iis, quas idem Philander Romae ediderat anno 1544. De hujusmodi autem annotationum incremento jam (quasi in antecessum) scripsimus, cum expositionem Editionis illius (4) Romanae concluderemus.

Hoc unum addere praestabit, dolendum iterum esse, virum eruditissimum in citandis Auctoribus haud raro non se gessisse tam perspicue, ut facile potuisset. Aliquando enim Auctoris alicujus nudum profert nomen, cum plures tamen illi cognomines Auctores alii sint, quare satis non apparet quisnam sit ille, qui citatur: aliquando Auctorum Opera minime indicat: aliquando, citato Auctore, Auctoris verba, quibus res proposita illustraretur, omnino praetermittit.

Figurae ligneis editae sunt formis, satis diligentibus, neque inelegantibus.

(1) In Tomo citato pag. 494.

(2) Descriptio Historiarum ex Exodo sequentibusque Libris memorabilium per Gul. Borluyt. Lugduni. Apud Joan. Tornaesium. 1558.

(3) Ad annum 1544.

(4) Ad annum 1544.

Illud tamen mirari subiit, Figuras alicubi deesse, ubi a Vitruvii textu maxime requiri viderentur; ut ad Vitruvii verba illa (1): *ubi est littera A, gnomonis autem antemeridiana umbra, ubi est B*; et reliqua, quae sequuntur.

Editiones variae varias quidem utilitates habere queunt. At si, post principem Editionem, una aliqua inter omnes sit deligenda, nullus dubito, quin sit deligenda haec.

MDLII.

REGOLA DI FAR PERFETTAMENTE COL COMPASSO LA VOLVTA ET DEL CAPITELLO IONICO ET D' OGN' ALTRA SORTE, PER IOSEPHE SALVIATI PITTORE RITROVATA.
In Vinetia. Per Francesco Marcolini. 1552. in fol.

Georgius Vasarius (2), ubi agit de Academicis iis, qui Graphidis arti erant addieti (et qui Italice *Accademici del Disegno* dicebantur) inter ceteros Josephum hunc Salviatum recenset.

Huic opusculo paginas tres non excedenti praemissa nuncupatoria Epistola inscripta est Reverendissimo Danieli Barbaro Aquilejensi Patriarchae Electo. Qua in Epistola Salviatus narrat, sibi Vitruvii mentem investiganti (annis undecim ante hanc Editionem) contigisse, ut propositam Volutae describendae rationem detegeret. Tum addit, se rationem hanc cum Sebastiano Serlio, Architecto nulli secundo, communicasse, eidemque rationem eam perplacuisse.

Totus autem Salviatus in eo est, ut delineationem suam accommodet ad haec (3) Vitruvii verba: *Tunc ab summo sub abaco inceptum in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eundem tetrantem, qui est sub abaco, veniat.* Propositum itaque opusculum eo tendit, ut Vitruvii verba explanet, atque illustret.

Totidem vero Auctor hic centra invenit, atque adhibet ad describendas varias Volutarum portiones, sive arcus, quot sunt arcus describendi. Sicuti deinde totidem centris (proxime Salviati praecepta sequens) usus est (4) Daniel Barbarus in sua Volutae Jonicae descriptione: neque disparem rationem (5) Perraultius secutus esse videtur.

* MDLIII.

Hieronymus Cardanus in *Libello de Libris Propriis* exhibet (6) *Tabulam Generalem omnium* suorum *Librorum*; in qua, praeter ceteros, sunt *Commentariorum in Vitruvium Libri duo*, contenti *foliis triginta*: sed Librorum exhibitorum ea in Tabula *plures*, ait, *excidisse, nec tam excidisse, quam traductos fuisse in alios Libros.* Atque paullo infra subdit: *Commentaria in Vitruvium* etc. *meliore, non majore parte in Libros de Rerum Varietate*

(1) Lib. I. Cap. VI.
(2) Vite de' Pittori etc. Secondo et Ultimo Volume della Terza Parte. pag. 873.
(3) Lib. III. Cap. III.
(4) M. Vitruvii Pollionis de Archit. Lib. X. cum Commentariis Danielis Barbari. Venetiis. 1567. pag. 115.
(5) Vitruve corr. et traduit etc. pag. 94.
(6) Opera omnia. Tom. Prim. pag. 74.

fuisse translata. At in Libris *de Rerum Varietate* profecto non apparent eorundem in Vitruvium Commentariorum indicia, cum neque in Capite 55. Libri XI. quod *Architectura* inscribitur, Vitruvii locus ullus indicetur. Libros illos autem *de Rerum Varietate* perfecit anno 1553.

MDLVI.

I DIECI LIBRI DELL' ARCHITETTVRA DI M. VITRVVIO TRADVTTI ET COMMENTATI DA MONSIGNOR BARBARO ELETTO PATRIARCA D' AQVILEGGIA.

Con due Tavole, l' una di tutto quello si contiene per i Capi nell' Opera, l' altra per dechiarazione di tutte le cose d' importanza.


In Venezia. Per Francesco Marcolini. 1556. in fol.

Mirum quidem est, in Danielis Barbari, viri praestantissimi celeberrimique vita enarranda perpaucos, eosdemque perfunctorie, neque sine erroribus, fuisse versatos: quemadmodum etiam in Claudii Ptolomaei vita contigerat, et (1) loco suo animadvertimus. Quamobrem operae pretium me facturum existimo, si de ea paullo scribam diligentius. Atque, ut id etiam facilius praestare queam; statim Genealogicae Arboris (ut appellant) Barbarae Familiae, Patriciae Venetae, partem rei meae perutilem, quae in (2) vita Hermolai II. Barbari a Viro summo Apóstolo Zeno conscripta reperitur, in Tabella C, subjeci.

(1) Ad annum 1547.
(2) Giornale de' Letterati d' Italia. Tomo XXVIII. In Venezia. 1717. pag. 152.

TABELLA

C


Candianvs
Barbarus.
Franciscvs I.
Doctor Eq. et
Marcius Procurator.
Zaccarias I.
Zaccarias II.
Eq. et Marcius
Procurator.
Hermolavs I.
Proton. Episc.
Tarvis. inde Ve-
ronensis.
Hermolavs. II.
Doct. Eq. et in-
de Patriarcha A-
quilejensis.
Aloysivs I.
Daniel I.
Hieronymvs.
Hermolavs III.
Cornelivs,
ex quo alia Fa-
milia propagata
est.
Franciscvs II.
Zaccarias III.
ex quo alia Fa-
milia propagata
est.
Aloysivs II.
Hermolavs IIII.
M. Antonivs
Eq. et Marcius
Procurator.
Daniel II.
Patriarcha Aqui-
lejensis.
Franciscvs III.
Patriarcha Aqui-
lejensis.
Aloysivs III.
Antonivs
Marcius Procu-
rator.
Hermolavs V.
Patriarcha Aqui-
lejensis.
Blanca
Vxor Hieronymi Pisani.

Daniel noster Francisci F. Danielis N. in lucem editus est VI. Id. Febr. anni 1514. (qui, Veneto numerandorum annorum more, est annus 1513.). Notitiam hanc mecum communicavit jam laudatus Zenus, desumtam diligenter ex eo (1) Libro, quem *Aureum* appellant.

Cum veritate igitur non consentit narratio viri, ceteroquin summis laudibus ornandi, Jac. Augusti Thuani, qui ita scripsit (2): Daniel Barbarus *haud multum quadragenario major Eid. Aprilibus hoc anno, 1569. ad Deum migravit.* Haecque eadem (3) Gerardus Joannes Vossius plane refert. At si obijsset Daniel anno 1569., aetatis anno 41., sequeretur esse statuendum, eum natum fuisse anno 1528. hoc est, anno, quem illi natalem adsignat (4) Petrus Bayle, secutus Thuanum, Vossiumque. Sed praeter clarum illud, quod in *Aureo Libro* habetur testimonium, ratio ipsa aperte commonstrat, perperam annum 1528. pro nostri Danielis natali reputari. Cum enim ejus in Patriarcham Aquilejensem electio inciderit in annum 1550., concludere quidem oporteret, eum ad sacram illam praeclarissimam Dignitatem fuisse electum anno aetatis 22., quod verisimile non est. Adde, Danielem (ut paullo infra demonstrabimus) Ecclesiae muneribus nondum addictum, Patavii aetatis anno 22. studiorum caussa fuisse; tum Venetiis, sua nimirum in Patria, Magistratum gessisse; tum in Angliam obivisse legationem. Quae cum ita sint, in dubium revocari hercle non poterit, quin ante annum 1528. Daniel natus sit: quamobrem jam constitutus ejus natalis annus 1514. est retinendus.

Usus fuit Daniel praeceptore in Mathematicis, ut refert (5) Bernardinus Baldus, Friderico Delphino, quem ille (6) Nobilem Venetum appellat, sed (7) Antonius Riccobonus, et (8) Tomasinus Patavinum dicunt: docuit autem Delphinus Mathesim in Patavino Gymnasio ab anno 1521. ad annum 1547. Singillatim vero in Opticis praeceptore usus est Joanne Zamberto, quod Barbarus ipse (9) testatur. Sed eum Patavii studiis operam dedisse, non modo conjici potest ex praeceptore ejus Delphino Patavii commorante, quippe qui in Gymnasio docebat; verum etiam dilucide ab Hieronymo Ruscello narratur: qui de Danielis *Dialogo de Eloquentia* scribens, habet haec: *questo Libro fu fatto da lui* (idest a Daniele Barbaro) *in Padova quando egli non aveva ancor finiti XXII. anni* (10). Dialogus hic, pluribus annis postquam scriptus fuerat, editus est cura ejusdem Ruscellii.

Anno autem 1540. in Sacro Patavino Collegio renunciatus fuit *Doctor Artium*, non Juris. Neque vero me latet, in *Gymnasii Patavini Historia* (in qua pluribus laudibus a celeberrimo doctissimoque ejusdem Historiae Scriptore effertur Barbarus noster) adfirmari (11), Danielem Barbarum *lauream in hoc nostro Gymnasio recepisse, a Sacro Collegio Jurisconsultorum datam, cujus numerum ille auxerit in album ejusdem adlectus*, citarique *Sanson. in Dia-*

(1) In publicis Tabulariis asservatur Liber, Aureus dictus, quo Patriciorum Venetorum dies natales, consignati fideliter, continentur.

(2) Historiarum sui Temporis Tomus II. 1626. pag. 616.

(3) De Universae Matheseos Natura et Constitutione Liber. Cap. LXI. Art. 7. pag 355.

(4) Dictionaire Historique et Critique Ad vocem Barbarus (Daniel) Nota (Z).

(5) Cronica de' Matematici. pag. 134.

(6) Nella citata Cronica pag. 112.

(7) De Gymnasio Patavino. Commentariorum Libri sex. Patavii. 1598. pag. 28.

(8) Gymnasium Patavinum. Utini. 1654. pag. 338.

(9) La Pratica della Perspettiva di Monsignor Daniel Barbaro. In Venezia. 1569. Nel Proemio.

(10) Della Eloquenza Dialogo del Reverendiss. Mons. Daniel Barbaro, mandato in luce da Girolamo Ruscelli In Venezia 1557.

(11) Historia Gymnasii Patavini. Tomus Secundus. Venetiis. 1726. pag. 69.

rio an. 1525. At eo anno Barbarus undecimum aetatis annum non erat egressus; et, quod caput est, in *Regestis* Sacri Jurisconsultorum Collegii Patavini, semel iterumque diligentissime versatis observatisque, Danielis Barbari nomen nuspiam repertum est. Sed in *Actis Sacri Collegii* (quae Acta in Tabulariis Collegii ejusdem asservantur) *Clariss. et Ex. Ex. D. D. Philosophiae ac Medicinae Doctorum Magnificae Civitatis Paduae*, habentur haec: 1540. 19. *Septembris. Magnificus D. Daniel Barbarus examinatus et approbatus fuit in Artibus, coram M. Antonio Contareno Praetore;* illique Gradum contulit *Jacobus Rota Episcopus Argolicensis, in Episcopatu Patavino Illustrissimi S. R. E. Cardinalis Aloysii Pisani Suffraganeus locum tenens, et Vicarius Generalis.* Sed ad Opera illius revertamur.

Edidit Daniel noster anno 1542. (1) *Commentationes in Porphyrium.* Privilegio Paulli III. Pont. Max. quod legitur post frontem hujusce Editionis, comprehenduntur etiam *Libri Idearum Hermogenis per dilectum Filium* (Pontificis enim verba sunt) *Danielem Barbarum Patricium Venetum traducti.* Et anno 1544. in lucem protulit (2) *Commentaria in Libros Rhetoricorum Aristotelis.* In Aristotelem Daniel maxime ferebatur; ac ((3) Thuano referente) *dicere solebat, nisi Christianus esset, se in Aristotelis verba juraturum.* Neque, ubi Thuani verba referre coepi, praetermittam elogium, quo Thuanus nostrum Danielem commendat: *Daniel Barbarus* (scribit ille) *Venetae Nobilitatis praeclarum lumen, ex eadem familia, quae Hermolaum verae Philosophiae et litterarum meliorum in Italia instauratorem olim dedit, prognatus, Philosophiae et Mathematicarum artium exquisita scientia praestans.*

Ex duobus Libris illis originem traxit alius Daniel Barbarus (imaginarius) quem nobis exhibuit (4) Petrus Bayle, et quem adoptavere posteriores (5) Editores Lexici Moreriani, atque (6) Antonius *Teissier.* At de eodem Daniele agens Bayle nullum, contra ac solet, Auctorem citat, qui de eo verba fecerit. Duntaxat inferius rationem affert, cur hunc Danielem induxerit. De hoc enim postquam dixit; deinde in proximo sequenti Articulo de Daniele nostro, qui Vitruvium illustravit, agens ad modum hunc (7) scribit: Aubertus Miraeus, Morerius, Teissierius, Conigius, Freherus huic (nimirum Danieli nostro) adtribuunt *Commentationes in Porphyrium*, et *Commentaria in Libros Rhetoricorum Aristotelis*, de quibus in superiore articulo dictum est (haec enim opera Danieli illi imaginario adjudicaverat) sed quoniam, pergit Bayle, primum ex hisce Commentariis impressum fuit anno 1542. et secundum anno 1544. iccirco perspicuum est, opera haec non profluxisse ab eo, qui in Vitruvium composuit Commentaria, Daniele Barbaro edito in lucem anno 1528.

Haec itaque Petri Bayle fuit opinatio. Sed facile apparet unde vir, ceteroquin doctissimus ac sagacissimus, in errorem fuerit inductus; nempe ex anno natali Barbari nostri, quem falso (ut supra vidimus) constitutum invenerat.

(1) Exquisitae in Porphyrium Commentationes Danielis Barbari P. V. Artium Doctoris. Venetiis. 1542.

(2) Rhetoricorum Aristotelis Libri tres: Interprete Hermolao Barbaro P. V. Commentaria in eosdem Danielis Barbari. Venetiis. 1554.

(3) In citato Tomo Histor. sui temporis. pag. 615.

(4) In citato Dictionaire. Art. Barbarus (Daniel) petit-neveu du precedent etc.

(5) Le Grand Dictionaire Historique. Art. Barbaro (Daniel) petit-neveu etc.

(6) Les Eloges des Hommes Sçavans etc. A Leyde. 1715. Tome Seconde. pag. 327.

(7) In citato Dictionaire. In nota (Z).

Ceterum, cum modo prorsus liqueat, non anno 1528., sed anno 1514. nostrum Danielem esse natum, ipsi jure meritoque reddi debent Commentaria illa, quae ipsi abjudicaverat Baylius; de quo hactenus. Nunc referam,

Prodiisse olim, Italica lingua Librum, cui (si latine reddatur) titulus (1): *Sermo de Somniis compositus a P. D. Hypneo*: nomine hoc ex graeca voce, significante somnum, effieto. Sermo hic carmen est; ejus etiam Prologus versibus scriptus; at nuncupationi, quae inscribitur Juliae Ferrettae, Matronae honestate et virtute praestantissimae, praepositum est Danielis Barbari nomen: qui in nuncupatione eadem, se, quasi in somniis, Sermonem illum composuisse declarat. Composuisse tamen juventutis suae tempore, credibile est. Libri hujusce rarissimi exemplum, una cum laudato Zeno, in Bibliotheca Jo. Baptistae Recanati, Veneti Patricii, vidi.

Danielis Barbari cura (2) editi etiam fuere Venetiis, anno 1543. Dialogi Speronis Speronii, et ab eodem, epistola pereleganti, nuncupati Ferdinando Sanseverino Salernitanorum Principi. Quamvis autem in fronte Editionis, quae prodiit anno 1543. legatur, eos Dialogos iterum edi; attamen puto, eam principem esse omnium Editionum, quibus Barbari Epistola praeposita sit: saltem neque ea antiquiorem, neque antiquioris indicium ullum usquam inveni.

Habuit praeterea in animo Daniel noster etiam Hermolai patrui sui plura Opera aeneis typis descripta in publicam lucem proferre; ut (3) Gesnerus (qui Danielem Barbarum *Artium Doctorem* appellat) narrat verbis hisce: *Ex litteris ipsius* (Danielis Barbari) *quas nuper ad me dare dignatus est, intellexi, alia plura Hermolai Opera propediem, ipso curante, in lucem perventura, de quibus infra dicemus.* Sed promissa Opera illa non edidit, studiis aliis, variisque muneribus praepeditus.

Venetiis enim plures illum gessisse Magistratus, credibile prorsus est; certe tamen datus illi fuit Magistratus *Provisorum* (ut appellant) *Communis*; qui unus est ex Magistratibus viam patefacientibus ad Senatoriam dignitatem. Quod primum ex (4) *Necrologio* Cel. Zeni didici, tum vero ex Magistratus ejusdem *Actis* confirmari plane cognovi: in quodam etenim (5) Libro, qui in Tabulariis Magistratus asservatur, ad annum 1548. leguntur IIIViri *Provisores Communis* hi, quorum nomina, ut scripta eo in Libro sunt, subjeci:

Z. Marco da Molin.
Zaccaria Bernardo.
Daniel Barbaro Dottor.

Inter ejus autem praecipua munera illud fuit, quo ad Eduardum VI. (nonnullis VIII.) Angliae Regem legationem ipse Daniel obivit. Exstat Petri Aretini (6) epistola data Venetiis, mense Novembri anno 1550. eujus inscriptio; *Al Clarissimo Ambasciator Barbaro*; et cujus initium; *Signor Daniello, il*

(1) Predica dei Sogni composta per lo Reverendo P. D. Hypneo da Schio. Sine Typographi nomine, sine loco, sine consule.

(2) Dialogi di M. S. Speroni. Nuovamente ristampati, et con molta diligenza riveduti et corretti. In Vinegia. 1543.

(3) Bibliotheca Universalis etc. Auctore Conrado Gesnero Tiguri. 1545. (haec Operis hujus princeps Editio est) pag. 192.

(4) In Necrologio asservato inter MSS. Codices Cel. Apostoli Zeni, quo nomina, et dies mortis Nobilium Venetorum continentur, ubi Danielis Barbari mors scripta est, legitur etiam, fu Proveditor di Commun.

(5) Liber ille inscribitur ita: Atti del Magistrato Eccellentissimo dei Proveditori di Commun.

(6) Lettere di Pietro Aretino. In Parigi. 1609. Libro VI. pag. 52.

fervido predicatore. Hac in epistola Aretinus multis laudibus effert adhibitam a Daniele in sua legatione magnificentiam, mentionemque iniicit insignis equi ab eo Regi Angliae dono dati.

Hoc autem loco (dum munera a Veneta Republica in Danielem Barbarum collata recensentur) non erit abs re animadvertere, Cardinalem Augustinum Valerium litteris mandavisse haec, quae subjeci: Danieli Barbaro (1), *qui Coadjutor Joanni Grimano Aquilejensi Patriarchae fuerat datus, mortuo Bembo, munus rerum scribendarum fuerat injunctum . . . Suarum historiarum nullum exstat monumentum, quia vir ille, varia rerum cognitione praestans, in Davidicorum Psalmorum explicatione valde fuerat occupatus.* Id tamen veri non videtur simile Celeberrimo Auctori Historiae Gymnasii Patavini (2): *Id* enim, hic scribit, *mihi multum admodum anceps est: nam* vertendae *Catenae in Psalmos Graecae laborem post Sacrae Dignitatis initia suscepit, nec verisimile videtur jam sacris praefectum ad munus fuisse Senatusconsulto Senatorium adlectum.* Verum ut quod sentio ingenue proferam, ego quidem reor, a Card. Valerio haud satis clare mentionem hic loci injectam fuisse *explicationis Psalmorum*: ceterum, cum Card. Bembus (3) e vivis excesserit anno 1547. Barbarus autem anno 1550. (ut paullo supra declaratum est) adhuc in Reipublicae procuratione versaretur, potuit quidem Barbarus, antequam ecclesiastica initiaretur dignitate, *ad munus* id, de quo agimus, *adlegi.* Nil itaque vetat, quin constituamus, illo quoque honore auctum fuisse Danielem nostrum.

Qui, etsi mense Novembri anni 1550. (ut jam innuimus) in ecclesiastica dignitate non erat; hanc tamen adeptus est antequam exiret annus ille (4): Andreas enim Maurocenus ad annum eundem 1550. ita scribit: *Eodem anno Joannes* (Grimanus) *Patriarcha Aquilejensis socium sibi in eo munere, curante Senatu, Danielem Barbarum, virum rerum usu, ac disciplinarum peritia eximium, tunc Reipublicae nomine ad Eduardum Britanniae Regem legatum, adscivit.*

Ac quamvis in Ferdinandi Ughelli (5) *Italia Sacra* legatur: *Daniel Barbarus . . . ad Joannis Grimani anno* 1559. *a Paulo IV. Pontifice Ecclesiae Aquilejensis administrandae subsidium cooptatus, ac electus Patriarcha*: nota tamen illa anni 1559. ceu falsa est habenda, et operarum vitio inducta. Et quidem in (6) nova ejusdem Operis Editione adjecta est Annotatio haec: *Anno* 1550. *die* 17. *Decembris subrogatur* (Daniel Barbarus) *Joanni* (Grimano) *cedenti cum regressu. Ex Actis.*

Error tamen ille primae Ughelli Editionis, quo annus 1559. pro anno 1550. refertur, etiam in *Morerianum Lexicon* inductus est. Sed multo majori in errore sunt versati (7) Ghilinus, et (8) Frelierus; qui Danielem nostrum Romae legatione pro Veneta Republica fungentem, ab Innocentio VIII. (qui e

(1) Degl' Istorici delle cose Veneziane. Tomo Primo. In Venezia. 1718. in Praefatione. pag. XVI.

(2) Nic. Comneni Papadopoli Historia Gymnasii Patavini. Tomus II. pag. 70.

(3) Degl' Istorici delle cose Veneziane. Tomo II. In Venezia. 1718. Vita di Pietro Bembo Cardinale. pag. xx.

(4) Historia Veneta. Lib. VII. Tom. II. Venetiis 1719. pag. 18.

(5) Italia Sacra. Tomus V. Romae. 1653. pag. 151.

(6) Editio secunda, aucta, et emendata. Tomus V. Venetiis. 1720. pag. 130.

(7) Teatro di Huomini Letterati. pag. 43.

(8) Pauli Freheri Theatrum Virorum eruditione clarorum. Noribergae. 1688. pag. 1465.

vita migraverat anno 1492.) creatum fuisse Patriarcham Aquilejensem scripsere : perperam confundentes Danielem cum patruo ejus magno Hermolao.

De hoc autem cum sermo inciderit , praestabit nonnulla subjicere. Hermolaus Barbarus Zaccariae II. F. Francisci I. N. Doctor, et Eques (1), ab Innocentio VIII. Patriarcha Aquilejensis renunciatus est anno 1491. dum Romae pro Veneta Republica legatum ageret : exinde factum ut Reip. indignationem in se concitaverit (2). Objit Romae anno 1493. aetatis anno 39. Plura edidit egregia Opera : sed ad rem nostram illud pertinet , quod in (3) *Castigationibus in C. Plinii Naturalis Historiae Libros* , Vitruvii sexdecim loca vel explicaverit , vel quomodo restituenda essent, indicaverit.

Sed redeo ad Danielem nostrum , qui anno 1556. propositam Vitruvii Editionem dedit : ex qua etiam constat , eum scripsisse Poema Italicum de Meteoris; et ex eo plures versus desumtos legere est in hujusce Editionis Annotationibus ad Vitruvii Caput secundum Libri secundi , tum ad Caput item secundum Libri octavi. Sed hoc Poema integrum lucem numquam aspexit.

Interfuit anno 1562. Concilio Tridentino ; ut , praeter ceteros , narrat (4) Sfortia Pallavicinus ; qui de eo mentionem facit perhonorificam. Quinquennio post , nimirum anno 1567. duplex prodiit Librorum Vitruvii ab eodem Barbaro illustratorum Editio : Latina altera , altera Italica : de quibus erit alibi dicendi locus. Occasione hac duntaxat annotabo ; Rolandum Freartum de Chambray , in (5) comparatione Architecturae antiquae cum recentiore , inter Auctores principes , qui de quinque (ut appellant) *Ordinibus* scripsere , Barbarum nostrum recensuisse ; et nonnulla Columnarum schemata ex Vitruvii Libris a Barbaro illustratis , in usum suum traduxisse.

Anno autem 1569. (non 1568. ut in (6) Moreriano legitur Lexico) edidit Daniel Graecorum Patrum Expositiones in Psalmos quinquaginta Davidis , a se de Graeca in Latinam linguam conversas ; quibus titulum fecit (7) , *Aurea Catena.* Quo in Opere non doctrina modo , verum etiam pietas Barbari nostri elucescit. Neque sane hoc loco illud est praetermittendum , quod Antonius Possevinus , postquam de ea *Catena* verba fecit , prosequitur ita (8) : *Ceterum duae reliquae Partes ejusdem Catenae , quas idem Daniel Barbarus verterat , exstant integrae m. s. apud alterum , qui modo est superstes , Patriarcham Aquilejensem Franciscum Barbarum , quas praelo subjectum iri speramus , id quod et ipsi urgemus.* De quadam vero Catenae recenti Editione hic fortasse nonnulla apposite subjici possunt : sed longus cum fuerim , nolo esse longior.

Insequenti anno elegantem de (9) Perspectiva Librum in lucem emisit Barbarus : in cujus Partis quartae capite primo , et Partis octavae capite itidem primo , nonnulla de Vitruvii Opere reperiuntur. De Libro hoc Vossius ita scri-

(1) Italia Sacra Ughelli. citati Tomi Venetae editionis. pag. 130.

(2) Giornale de' Letterati d' Italia. Tomo di sopra citato. pag. 223.

(3) Castigationes Priores in Plinianam Historiam. Romae. 1492. Castigationes Secundae in Plinianam Historiam. Romae. 1493.

(4) Istoria del Concilio di Trento. Lib XVI. cap. 4. et Lib. XVIII. cap. 4.

(5) Parallele de l' Architecture Antique et de la Moderne. A Paris. 1702.

(6) In citato Dictionaire. Art. Barbarus (Daniel) II.

(7) Aurea in quinquaginta Davidicos Psalmos Doctorum Graecorum Catena. Interprete Daniele Barbaro Electo Patriarcha Aquilejensi. Venetiis. 1569.

(8) Apparatus Sacer. Venetiis. 1606. Tomo I. pag. 386.

(9) La Pratica della Perspettiva di Monsignor Daniel Barbaro Eletto Patriarca d' Aquileja. In Venezia. 1569.

bit (1): *Anno MDLIX. Daniel Barbarus Venetiis de Optica Italice opus edidit: quod inscripsit, La Pratica della Perspettiva. Atque idem recudi curavit ibidem anno MDLXVIII.* At Editionem illam anni 1559. nunquam vidi; neque mentionem ejusdem apud quenquam alium Auctorem inveni; neque in Nuncupatoria, aut in Praefatione ejus, quam habeo anni 1569. Editionis, indicium ullum est, ex quo conjici ullo modo possit, aliam anteriorem Operis illius Editionem prodiisse. Sed propter ea, quae erunt infra dicenda, hic animadvertam, unius ejusdemque Editionis aliis exemplis annum praefigi 1568. aliis frontem esse eleganti figura exornatam, sed carentem anni nota; attamen tam in illis, quam in hisce, indiscriminatim ad calcem perspicue legi Annum MDLXVIIII. quamobrem ad hunc annum eam Editionem esse referendam.

Prodiere etiam (2) tres Danielis Barbari Epistolae Italica lingua conscriptae: in quibus, illum etiam in eo scribendi genere elegantem fuisse, apparet; nihil tamen ad nos pertinens in iisdem Epistolis continetur.

Demum de anno supremo Danielis nostri dicamus. Demigravit (3) e vita anno 1570. Quamvis enim Thuanus, et hunc facile secuti (4), Vossius (5), Bayle, et (6) Morerius, eum mortem obiisse, scribant, anno 1569. certe tamen ejus mortem ad annum 1570. esse referendam, ostendi potest primum ex ipso Vossio, qui litteris haec mandavit (7); *atque idem* (*Perspectivae* opus) *recudi curavit* etc. *anno uno antequam fato fungeretur.* Opus autem illud prodiit anno 1569., ut supra a nobis est demonstratum; igitur anno 1570. Barbarus vita functus est. Praeterea Ughellius, qui Tabulariorum monumenta vestigaverat diligenter, perspicue scripsit (8): *Daniel Barbarus . . . in medio honorum curriculo ad felicem aeternitatem anno* 1570. *Venetiis excitus est.* Et (quod caput est) in eximio *Nobilium Venetorum* Necrologio, cujus supra mentionem fecimus, incipiente ab anno 1530. et desinente in annum 1616. leguntur (9) haec: 1570. *Marzo. El Reverendissimo D. Daniel Barbaro q. ꝗ Francesco, q. ꝗ Daniel, Eletto Patriarca d'Aquileja. Fu Proveditor de Commun.* Quamobrem concludendum est, eum obiisse anno 1570. cumque lucem aspexerit anno 1514. vixit itaque annos 56. non tantum 41. ut Auctores nonnulli jam supra citati, vitam ejus perperam contrahentes, scriptum reliquere. Neque vitam protraxit Barbarus ad annum 61. ut computavit (10) Vir Cel. qui, eum decessisse anno 1574. prius affirmaverat. Hisce autem, quae de illustri hoc viro collegi finem impositurus, elogium afferam ab eruditissimo Octavio Ferrario olim concinnatum (11). *Daniel* (ait Ferrarius) *Barbarus quidem philosophantium summus, post Libros Rhetoricorum Aristotelis, summa cum laude commentariis illustratos, Vitruvium ingenti ausu explicare aggressus, rem maximis difficultatibus implexam, ac profunda caligine demersam, incredibili labore, usque ad rudiorum captum, expedivit, et Vitruvium veluti ab Inferis excitavit.*

(1) Gerardus Joannes Vossius: loco supra citato.
(2) Lettere di XIII. Huomini Illustri: p. 259. Et Della Nuova Scielta di Lettere di diversi Nobilissimi Huomini etc. pag. 24. et 121.
(3) Citata pag. 616.
(4) Loco supra citato.
(5) In citato Dictionnaire. Art. Barbarus (Daniel) de la meme etc.
(6) In citato Dictionnaire. Art. Barbarus (Daniel) II.
(7) Loco supra citato.
(8) In Italiae Sacrae Editionis utriusque locis citatis.
(9) Necrologium jam citatum Cel. Apostoli Zeni.
(10) Monsignor Giusto Fontanini. Della Eloquenza Italiana. Roma. 1736. pag. 658.
(11) Octavii Ferrarii Prolusiones etc. Patavii 1668. pag. 323.

Nunc de ipsa proposita Editione, quae pauca hoc loco monenda ducimus, subjicimus.

Vitruvii Libros de Latina in Italicam linguam Barbarus, opere omnino novo, convertit: eaque peritia, ut versio haec, non modo illis, quae ante prodierant, longe antecellat, verum etiam quodammodo prima vere Italica habenda esse videatur.

Quamvis autem Editioni illi, quam latine dedit idem Barbarus anno 1567. Editio haec prima Italica basi quodammodo fuerit et fundamento; in illa tamen praetermisit, ceu inutilia, nonnulla, quae in hac leguntur, nonnulla vero addidit utiliora, et nonnulla etiam emendavit. Itaque, ut intelligatur quid pro Vitruvii emendatione illustrationeque Barbarus praestiterit, de alia ab eo concinnata Editione paullo fusius cum dicemus, simul diversitatum inter illam et hanc summa capita indicabimus; unde vel hujus notitia ibi satis appareat: quamobrem hic plura non addimus.

* MDLVI.

Quando autem de Daniele Barbaro satis hactenus dictum est, dicendum nunc videtur de Bernardino Donato Veronensi, ac de Francisco Dante Aligero, ex progenie Dantis illius Aligeri poetae summi, qui Veronae sedem suumque domicilium collocavit. Marchio Maffejus, nunquam a me sine laudis praefatione nominandus (1), narrat constare ex epistolis (manu exaratis Nogarolae, hunc rogatum fuisse ab Daniele Barbaro, ut sibi ad Veronensibus doctioribus adjumentum aliquod ad eam versionem Vitruvii, in quam concinnandam tunc Daniel omni incumbebat studio, procuraretur; Nogarolam vero responsum hujusmodi dedisse: *Vitruvium jam vidi a Bernardino Donato nostro in linguam Hetruscam conversum, additis etiam nonnullis scholiis, quae quidem omnia suspicor inaniter periisse. Hoc idem postea fecit rogatu Alexandri Vitelii Franciscus Dantes Aliger, quo neminem Veronae arbitror ad Vitruvii intelligentiam propius accedere. Cum hoc viro doctissimo magnus olim mihi fuit usus, nunc vero nullus, nam ruri continenter vitam agit, nec nisi raro ad nos revertitur: si forte tamen accidat, ut urbem repetat, hominem aggrediar.* At hunc quoque Aligeri laborem inaniter periisse credendum est.

* MDLVI.

In Cel. Fabricii Bibliotheca Latina leguntur haec (2): *Vitruvii Epitome Gallice per Jo. Gardetum, et Dominicum Bertinum. Tolos.* 1556. *et Paris.* 1567. 4. ut jam, ante Fabricium, scripserat Crucimanius; cujus verba (3) inferius afferentur. Et quidem in Epitome illa tum Regis Privilegium, tum Epistola nuncupatoria Cardinali Senonensi, tum Epistola alia Episcopo Lucionensi, subscriptum habent annum 1556. Hoc tamen anno haud crediderim, propositam Epitomem prodiisse (cujus nullum unquam exemplum vidi eo anno

(1) Verona Illustrata. Parte Seconda. p. 54. et 167.

(2) Tom. I. pag. 345.

(3) Ad annum 1559.

signatum) sed plane existimo, primam Epitomes illius Editionem eam esse, quae in vulgus exiit praeseferens annum 1559. Ad calcem enim hujus exstat Typographi monitum, quo Lector docetur, ejusdem Epitomes impressionem ante annos quatuor coeptam, pluries tamen vel ob Auctoris absentiam, vel ob grassantem pestem, vel ob figurarum difficultates, intermissam, tunc tandem (anno 1559.) fuisse perfectam. Quamobrem omnino probabile mihi fit, Editionem illam anni 1559. principem esse.

MDLVII.

IN M. VITRVVIVM DE ARCHITECTVRA ANNOTATIONES GVLIELMI PHILANDRI.
Compluribus, iisque novis, et non minus utilibus, quam necessariis figuris exornatae.
Cum indicibus Graeco et latino locupletissimis.
Venetiis, ex Officina Stellae, 1557. in 8.

Hujusce Editionis plura exempla contuli semel et iterum ac diligenter cum pluribus exemplis Romanae Editionis, quae prodierat anno 1544. atque perspicue comperi, illam et hanc, non duas, sed (si folium primum, sive, ut nonnulli loquuntur, *plagulam* primam, excipias) esse unam eandem Editionem. Nempe Jordanus Ziletus, Typographus Venetus, plura (ut credibile prorsus est) acquisivit Editionis Romanae exempla, quibus singulis adposuit a se iterum impressam *plagulam* primam (reliquis ex prima Editione penitus retentis) qua continebatur frons ejusmodi, ut totus Liber Venetiis, indicato anno 1557. impressus esse videretur. Quo fraudis genere vel nostra hac tempestate nonnulli Typographi utilitatem suam quaerunt.

Adeo autem oscitanter dolus hic ab Zileto adhibitus fuit; ut cum in ea *plagula* prima descripta fuerit Dossenae Praefatio, cui Dossena praefixerat hunc titulum : *Joannes Andreas Dossena Studiosis S.* atque interseruerat verba haec : *Laeto igitur animo Jo. Andreae vestri primitias accipite*; Ziletus titulum quidem commutaverit substituens hunc: *Jordanus Ziletus Studiosis S.* et nihilominus reliquerit verba illa : *Laeto igitur animo Jo. Andreae vestri primitias accipite*; quare alius Typographus in Praefationis titulo, alius in Praefatione ipsa *Studiosos* alloqui videtur; unde, praeter ridiculam fraudem, imprudentia etiam quaedam appareat. Quin postremo in folio cum nullam partem commutaverit Ziletus, sed usus sit postremis foliis illis Romae editis; evenit, ut vel in Editione, quae ceu Veneta circumfertur, legatur ad calcem : *Impressum Romae apud Jo. Andream Dossenam Thaurinensem Anno Domini M. D. XLIIII.* Quae cum ita se habeant, satisque de Romana Editione dictum (1) superius sit: jam de proposita Editione, Zileti nomen referente, nihil quidem hoc loco superest adjiciendum.

(1) Ad annum 1544.

MDLVIII.

GLI OSCVRI ET DIFFICILI PASSI DELL' OPERĀ IONICA DI VITRVVIO, DI LATINO IN VOLGARE ET ALLA CHIARA INTELLIGENTIA TRADOTTI.

ET CON LE SVE FIGVRE A LVOCHI SVOI PER GIOVAN BATTISTA BERTANO MANTOVANO.

In Mantoa. per Venturino Ruffinello. Dell' anno 1558. in fol.

In (1) Libro quodam Martini Bassi Mediolanensis duae continentur Quaestiones, altera ad Architecturam pertinens, altera ad Perspectivam: quarum Quaestionum post explicationem, quatuor Epistolae ad eumdem Bassum datae (spectantesque ad Quaestiones illas) reperiuntur; suntque illae Epistolae Andreae Palladii, Jacobi Barocii a Vineola, Georgii Vasarii, et Jo. Baptistae Bertani. Hinc apparet, Bertanum nostrum, eo temporis, inter excellentes celebresque Architectos habitum esse.

Ceterum ex ea (2) Bertani Epistola (data Mantuae Id. Septemb. 1570.) de Bertano id unum scire licet, quod esset in Romanorum veterum Ædificiorum observationibus studioque versatus, et quod satis calleret Perspectivae Theoremata.

Eidem honorifica quoque est Inscriptio, quae etiamnum in pariete turris ad Ædem Divae Barbarae, Mantuae, legitur: ea autem est:

IO. BAPTISTA BERTANVS
ARCHITECTVS, EX GVL. MANTVAE DVCIS III.
SENTENTIA
ET TEMPLVM, ET TVRRIM EXTRVXIT.
MDLXV.

Principio autem propositi Libri Bertanus de Ædis specie, quae Peripteros a (3) Vitruvio nuncupatur, verba facit, deinde de crassitie columnarum. Tum Vitruvii (4) doctrinam attendens, de fundamentis, ubi locus sit congestitius, aut paluster, atque de gradibus agit.

Post haec transit ad difficilia illa (5) Vitruvii verba; *uti quadrae, spirae, trunci, coronae, lysis*, et quae sequuntur; ac fuse *de Scamillis imparibus* disserit, suamque profert de iisdem sententiam, facile non amplectendam, nec tamen insulsam, aut spernendam. Et quidem Bernardinus Baldus in Opusculo, cui titulus est: *Scamilli impares Vitruviani* (de quo (6) infra dicemus) (7) ubi sententiam hanc Bertani de Scamillis iisdem refert et refellit, dure nimis eam impugnasse videtur.

Arrepta autem occasione, ad ejusdem Vitruvii verba haec (8): *Crassitudines striarum faciendae sunt quantum adjectio in media columna*: agit de ea *adjectione, quae adjicitur* (secundum Vitruvii praecepta) *in mediis columnis*: agitque etiam de striis; ut postea de Jonica Basi.

(1) Dispareri in materia d' Architettura e Prospettiva etc. In Brescia. 1572.
(2) Lib. cit. pag. 49.
(3) Lib. III. Cap. I.
(4) Lib. III. Cap. III.
(5) Cap. modo cit.
(6) Ad Annum 1612.
(7) Pag. 11.
(8) Cit. Lib. III. Cap. III.

Vitruvii etiam interpretatur doctrinam de Jonici Capituli descriptione, et praesertim de Volutarum formatione: neque prorsus infelicem agit interpretem: quamvis pauca centra ad varias Volutarum portiones (sive arcus) describendas adhibeat.

Addit alia quaedam de Epistylio, Zophoro, et Corona ejusdem Jonici Ordinis, ac de Fastigiis. Et demum, persequens regulas a Vitruvio traditas, de Ostiis, et eorum antepagmentis, et de Portis Jonicis, praecepta tradit: ad ea vero (quae hactenus recensuimus) illustranda figurae plures, ligneis formis editae, adpositae reperiuntur.

MDLVIIII.

EPITOME OV EXTRAIT ABREGE DES DIX LIVRES D'ARCHITECTVRE, DE MARC VITRVVE POLLION.

ENRICHI DES FIGVRES ET POVRTRAITS POVR L'INTELLIGENCE DV LIVRE.

PAR IAN GARDET BOVRBONNOIS, ET DOMINIQVE BERTIN PARISIEN.

Avecq les annotations sur les plus difficiles passages de l'auter, dediées à tresillustre Seigneur René de Daillon, Evesque de Lusson, et Abbê de Charroux.

A Tolose. Par Guion Boudeville, juré de l'universitè. 1559. in 4.

De Gardeto et Bertino nullam mentionem a doctis viris factam inveni, si ea excipias, quae habent Crucimanius, et Verderius. Scripsit ille haec (ut nos ex Gallico sermone Latine vertimus) (1) *Dominicus Bertinus Parisius, excellens Architectus et Mathematicus, composuit, una cum Joanne Gardeto Bojo, Epitomem (sive compendiaria excerpta) decem Librorum M. Vitruvii Pollionis de Architectura, additis explicationibus difficiliorum locorum Vitruvii; editam Lutetiae Parisiorum, apud Bonum, an.* 1565. 1567. *et Tolosae.* Florebat ille Tolosae anno 1556.

Alibi etiam ita (2): *Joannes Gardetus, sive Guardetus, Bojus, una cum Dominico Bertino Parisiò, decem M. Vitruvii de Architectura Libros amplexus est Epitome, figuris ornata, ut Libri illi intelligi facilius possent, quae typis aeneis impressa fuit Lutetiae Parisiorum a Gabriele Bono anno* 1567. *Idem liber impressus etiam fuit Tolosae anno* 1556. *quo tempore Auctor Libri ejusdem florebat.*

Verderius autem suppeditat haec (latine item reddita) (3) *Joannes Gardetus Bojus Epitomem Vitruvii scripsit, operam ei suam conferente Dominico Bertino Parisio:* quamobrem vel ex hoc Verderii loco satis liquet, pro Opere proposito, primas Gardeto esse tribuendas.

Opus hoc, Gardeti et Bertini epistola, nuncupatum fuit Cardinali Senonensi; sed ea epistola, signata Tolosae pridie Kal. April. 1556. nihil de illis nos docet, duntaxat confirmat, Tolosae illos anno 1556. floruisse.

In alia ad Lectorem Epistola deplorantur amissae illae figurae, quas ad librorum extrema se adposuisse Vitruvius commemoraverat; tum additur, in iis-

(1) Bibliotheque. pag. 70.
(2) In citata Bibliotheca. pag. 227.
(3) La Bibliotheque. pag. 695.

dem restituendis operam posuisse Jocundum, et Italum quemdam alium, et Joannem Govionium, ac demum Dominicum Bertinum.

Annotationes autem Renato *de Daillon* (Epistola itidem signata Tolosae pridie Kal. April. 1556.) inscribuntur ab uno Jo. Gardeto; quamobrem conjectare licet, Bertinum Rei Architectonicae, at Gardetum Scientiae et eruditionis studiosiorem fuisse.

Quaesivi, num ex iis, quae habentur de Renato illo *de Daillon* (viro, ea aetate, illustri) lumen aliquod possem mutuari: rem tamen frustra tentavi: immo animadverti, de ipso quoque Renato quaedam esse obscuriora. In *Gallia Christiana* (Opere ceteroquin aureo) ubi de *Lucionensi Ecclesia* agitur, anno 1541. ejus Ecclesiae (1) *Episcopus XX. Milo* dicitur; cui successor ponitur Renatus *de Daillon* Episcopus XXI. leguntur que ibidem haec: *Renatus de Daillon . . . Episcopus designatus, Episcopatum, quem novem annis tenuerat, abdicavit* (at in proposito Opere Episcopus Lucionensis, anno 1556. ita nominatur, quasi eam sedem Lucionensem eo anno tenuisset) *reservata pensione; antequam sacram accepisset unctionem, cujus Episcopatus loco donatus est Abbatia de Castellariis.* At, ubi Abbates *B. Mariae de Castellariis* recensentur, ponitur ceu Abbas (2) *X. Jacobus de Billy* 1581. deinde *XI. Joannes Baptista Tiercelin de Brosse*; et postea *XII. Renatus de Daillon du Lude Episc. Lucionensis ex permutatione fit Abbas de Castellariis*: in his vero temporum ratio perturbata esse videtur. Sed haec minus ad rem nostram. Redeo e diverticulo (ut ajunt) in viam, de ipso proposito Opere dicturus aliquid.

Operis Auctores stylo, si habeas temporum illorum rationem, haud rudi usi sunt. Ab Vitruvii autem versione Gallica, quam dederat Jo. Martinus, non semel recessere; ut (3) Gardetus etiam professus est. Multa vero loca Vitruvii praetermiserunt, alia pressius indicavere, alia circumscribendo exposuerunt, alia brevibus quasi animadversionibus explicarunt.

Annotationes, post Epitomem adjectae a Gardeto, pertinent ad tres priores Vitruvii Libros, ultra quos ille progressus non est; in Epistola tamen sua ad Lectorem, cum ita allocutus fuerat (4); *nisi tu me deterreas a labore, tui caussa suscepto, persequendo, haec accipies, ceu promissa meliorum.* Ita Gardetus. Cujus Annotationes eruditae sunt, atque commonstrant, Gardetum vidisse quae ad eam diem pro Vitruvii Librorum illustratione prodierant: citat enim Polyphilum, Leonem Baptistam Albertum, hujus interpretem Cosimum Bartolum, Jocundum, Philandrum, Joannem Govionium. Praeterea locis desumtis ex antiquis scriptoribus, praesertim ex Jureconsultis, suas ornat Annotationes. Itaque aliquid bonae frugis cum in ipsa Epitome, tum in Annotationibus inesse, visum mihi est.

* MDLVIIII.

Abel Foulonius (sive *Foulon*) ut narrat (5) Crucimanius, ortum duxit

(1) Gallia Christiana. Opera et studiis D. Dionysii Sammarthani. Tom. V. Parisiis. 1731. pag. 1412.

(2) Eadem Gallia Christiana. Tom. II. Parisiis. 1720. pag. 1350.

(3) In Opere proposito. Annotations. pag. 5.

(4) In Opere proposito. Annotations. pag. 6.

(5) Bibliotheque du Sieur de la Croix du Maine (Crucimanii) pag. 1. et. 2.

in Paroecia de Love inter Aulercios Cenomanos. Fuit hic Poeta Gallus, Philosophus, Mathematicus, et Militaris Architectus, necnon Henrici II. Galliarum Regis Cubicularius.

Varia reddidit Gallice aliorum Opera: *ipse vero* (ut Gallica Crucimanii verba ferunt Latine expressa) *scripsit de usu et descriptione Holometri, nimirum Instrumenti, quod ille invenerat ad quascumque res dimetiendas, quae sub coelo sunt, sive latitudinem, sive altitudinem, sive profunditatem spectes. Liber hic impressus fuit Lutetiae Parisiorum, apud Petrum Beguin, anno* 1567. hic tamen annus vel perperam scriptus fuit a Crucimanio, vel a Typographis depravatus. At certe Verderius errorem eumdem erravit, qui modo allatum Crucimanii locum descripsisse videtur: et (1), postquam Foulonii Librum anno 1567. editum fuisse Lutetiae Parisiorum scripsit, statim subdit, eumdem Librum (*depuis*) *deinde*, in Italicam linguam conversum, prodiisse ex Jordani Ziletti officina Venetiis anno 1564. (idque veritati consentit). Itane igitur, post annum 1567. annus 1564. venire *deinde* potuit? Demum, eumdem Librum, de Gallica Lingua in Latinam conversum, editum in Germania fuisse, refert idem Verderius. Porro Editionem Gallicam (quam non vidi, neque aliam, praeter indicatam, ejus mentionem uspiam inveni) non multo ante annum 1560. lucem adspexisse conjicio; cum, Foulonium circa annum 1559. floruisse (2), Bernardinus Baldus memoriae tradiderit: Petrus vero *Beguin* nullum Librum (3) ante annum 1555. edidisse videatur.

Anno autem 1563. in Aurelianensi urbe (ut idem (4) Crucimanius refert) aetatis annum octavum et quadragesimum, aut quinquagesimum, agens, mortuus est Foulonius, non sine suspicione veneni ab invidis illustrium ejus inventorum propinati.

Nunc vero ut, quae ipsius Foulonii in Vitruvium merita fuerint, appareat, iterum ex (5) Crucimanio desumta (et Latine reddita) addemus haec: *ille* (Foulonius) *de Latina in Gallicam Linguam convertit octo Vitruvii Libros de Architectura, quos cum amicis suis communicasset, hi sibi ipsis eosdem adsciverunt, atque typis aeneis descriptos ediderunt, nulla facta mentione ejus, qui Gallice eos converterat.*

Sed post haec facile praestabit Foulonium ipsum audire; qui in Admonitione, Operi suo praeposita, de plagiario quodam non obscure conqueritur, verbis hisce (quae ex (6) Italica, hanc enim habeo, Editione mutuatus sum, et huc, atque in Latinam linguam, transtuli) *Non modo*, ait Foulonius, *coactus fui Descriptionem hanc* Holometri *dare iis, qui jam id possidebant instrumentum, praesertim viris principibus Regni hujusce, verum etiam veritus sum, ne quispiam me iterum falleret, ut me ante fefellerat quidam: cui ego credebam ex animo, atque ideo communicavi cum illo Libros Vitruvii a me de Latina in Gallicam linguam conversos, et illum etiam docui quanto labore invenerim ea verba, quibus aedium structores, fabri lignarii, artificesque alii, in artibus ac operibus suis quique, utuntur. At ille, perfectae amicitiae specie, curavit, ut per Typographum, qui me ad id opus impu-*

(1) La Bibliotheque. pag. 1.
(2) Cronica de' Matematici. In Urbino. 1707. pag. 129.
(3) Mich. Maittaire. Annales Typographici. Tomi Tertii Pars posterior. pag. 489.
(4) In citata Bibliotheca Crucimanii. pag. 530.
(5) In citata Bibliotheca Crucimanii. pag. 1.
(6) Descrittione et Uso dell' Holometro etc. Ritrovato per Abel Fulone Valleto di Camera del Re di Francia. In Venezia. 1564.

lerat, subdole mihi auferrentur priores octo Vitruvii Libri, quos jam converteram. Itaque fraudatus fui tum honore, tum etiam praemio, quo labor meus dignus esse potuisset.

Cum vero non multo ante, quam de hoc plagio quereretur Foulonius, prodierit Gallice Vitruvius cura Jo. Martini (immo Gallice numquam antea Vitruvii Libri lucem viderant) Martinum plagii illius insimulatum fuisse, quispiam facile posset suspicari. Et Typographus, cujus meminit Foulonius, fortasse fuit *Joannes* ille *Barbè Architecturae studiosissimus*, a quo *se excitatum fuisse* Martinus scribit (ut jam (1) commemoravimus) et cujus Vidua edidit Librorum Vitruvii versionem, quae Martini nomine circumfertur. Habeo manu scriptum primum Vitruvii Librum de Latina in Gallicam linguam conversum; Codex membraneus, et nitidus est; minio et auro pluribus in locis ornatus. Figurae ad textum Vitruvii illustrandum elegantissimae sunt. Videtur ante duo ferme secula scriptus. Verba eo in Codice exarata fere ubique consentiunt cum verbis, quae in Martini editione leguntur. At cum nullum prae se ferat Codex meus Galli interpretis indicium, nihil me juvit ad hanc Foulonii querelam melius dignoscendam.

* MDLX.

Inter eos, qui Vitruvii Libros commentariis illustrarunt, ab F. A. Orlando (2) recensetur Antonius Lupicinus; qui floruit anno 1560. et deinceps, ut colligere est ex ejus Libris, et ex (3) Chronico Baldi. Apud hunc tamen (ut etiam apud alios, quos vidi, Auctores) altum de Lupicini in Vitruvii Libros Commentariis silentium. De quibus neque Lupicinus ipse verbum ullum injecit in Praefationibus ad (4) Libros a se editos *de Anni forma, de Astronomicis virgis, de quorundam locorum Defensione, de quorundam locorum Oppugnatione.* Quamobrem illiusmodi Commentarios aut nuspiam extitisse, aut certe nunquam apparuisse, haud temere opinor.

MDLXV.

EPITOME OV EXTRAIT ABREGE DES DIX LIVRES D'ARCHITECTVRE, DE MARC VITRVVE POLLION.

ENRICHI DES FIGVRES ET POVRTRAITS POVR L'INTELLIGENCE DV LIVRE.

PAR IAN GARDET BOVRBONNOIS, ET DOMINIQVE BERTIN PARISIEN.

Avecqu les annotations sur les plus difficiles passages de l'auteur, dediées à tresillustre Seigneur René de Daillon, Evesque de Lusson, et Abbé de Charroux.

A Paris. Chez Gabriel Buon. 1565. in 4.

Cum de Compendio hoc jam superius dictum sit, ubi Editio anni 1559. est commemorata, nihil hic attinet addere: cum proposita haec Editio vix,

(1) Ad annum 1547.
(2) Abecedario Pittorico. pag. 469.
(3) Cronica de' Matematici. pag. 129.
(4) Lupicini Antonio. Discorso sopra la reduzione dell'Anno. In Fiorenza. 1580. Discorso sopra la fabbrica et uso delle nuove verghe Astronomiche. In Fiorenza. 1582. Discorso sopra la difesa di alcuni siti. Discorsi sopra l'espugnazione di alcuni siti. In Fiorenza. 1587.

aut ne vix quidem, ab illa differat, si frontem excipias mutatam, ut alius annus, ut alius Typographus, fronti ipsi inscriberentur.

* MDLXVII.

Epitomem, jam a nobis pluries commemoratam, Librorum Vitruvii, concinnatam a Gardeto et Bertino, *impressam fuisse Lutetiae Parisiorum a Gabriele Bono anno* 1567. scripsit Crucimanius, nosque ex eo (1) jam retulimus. Et ex eodem facile (2) Antonius Verderius, et (3) Jo. Albertus Fabricius annum illum 1567. descripsere. At nuspiam eam Editionem, nuspiam ejus mentionem certam inveni. Fortasse hic quoque Crucimanius aliquid humani in illa farragine Librorum recensenda passus est. Fortasse in illius *Bibliotheca*, Typographi errore, nota 7. pro nota 5. posita fuit. Fortasse, fraude Typographi, mutata iterum fuit frons Libri illius: quemadmodum vel hodie a nonnullis Librariis fit, qui, recentiore anno adscripto, sibi persuadent, Libros ita reddi vendibiliores. Certe cuicumque ex hisce conjecturis fides danda potius esse videtur, quam putandum, intra annos paucos, novam Editionem propositae Epitomes, nimirum anno 1567. prodiisse.

MDLXVII.

M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM, CVM COMMENTARIIS DANIELIS BARBARI ELECTI PATRIARCHAE AQVILEIENSIS: MVLTIS AEDIFICIORVM, HOROLOGIORVM, ET MACHINARVM DESCRIPTIONIBVS, ET FIGVRIS, VNA CVM INDICIBVS COPIOSIS, AVCTIS ET ILLVSTRATIS.

Venetiis. Apud Franciscum Franciscium Senensem, et Joan. Crugher Germanum. 1567. in fol.

Vitruvii Vita ab ipso Barbaro conscripta (admodum tamen jejune) quae in Italicis legitur Editionibus, in hac desideratur.

Initium fit a Prooemio; in quo multa subtiliter disputantur de Scientiis et Artibus, ut inde Architecturae ratio, finis, et officium dignoscantur: ac tandem concluditur; Artibus ceteris praestare plurimum Architecturam (4); *cujus judicio probantur omnia, quae a ceteris artibus perficiuntur, opera.* Sed inter Prooemium hujusce Editionis, et Prooemium primae Italicae Editioni praefixum, nonnullis in sententiis differentia aliqua reperitur: rerum tamen summa in utroque eadem est. Et utriusque eadem pariter conditio, ut nihil quicquam de eis, ad quas ipse Barbarus aggrediebatur, Librorum Vitruvii emendationibus, et interpretatione, proponatur.

Videtur autem Barbarus in Vitruvii textu secutus praecipue esse Editionem Philandri anni 1552. ita tamen, ut nonnullis in locis variantes quasdam Jocundi Lectiones retinuerit. Praeterea vero pluribus etiam in locis tam ab Editione Philandri, quam ab Jocundi Editione recessit. At cuipiam displicere il-

(1) Ad annum 1559.
(2) La Bibliotheque. pag. 695.
(3) Bibliotheca Latina. Tomus Primus. p. 345.
(4) Vitruvius. Lib. I. Cap. I.

lud facile potest, quod Barbarus neque semper variationes indicaverit, quas adoptabat, neque caussas subjecerit, quibus permotus easdem induxerit in textum mutationes. Porro qui eas perquirat et expendat, non temere credet, plerasque ex ingenio ejus profluxisse: saltem ille non satis declarat, se ex Codicibus manu exaratis profecisse. In Editione prima Italica (1) scribit; *i testi di Vitruvio hanno Dinocrate*; et quaedam pauca alia loca habet, ex quibus conjici possit, eum etiam Codices consuluisse: at quoniam plerumque (ut modo animadvertimus) mutationum caussas non affert; iccirco variis lectionibus, quas in textum induxit, fidere non possumus aeque, ac fideremus, si earundem origines luculentiore ratione cognoscerentur. Adde, in illiusmodi mutationibus primam Italicam Editionem cum Latina hac non ubique consentire.

Observari praeterea hic potest, plura ex verbis iis, quae graece imprimi volucrat Philander, a Barbaro latine scripta reperiri; quod Barbarus haud dubie vel a Vitruvio, vel etiam ab aliis ante Vitruvium, Latio donata fuisse ea verba conjecerit. Sed quod attinet ad hanc scripturae rationem, certe Editio Princeps, et Manuscripti Codices, Barbari conjecturae valde favent. Illiusmodi sunt ea verba, quae in Tabella D, exempli caussa, subjeci.

D Tabella exhibens Scripturas quorundam Graecorum Verborum, ut exstant in Editione Vitruvii cura Philandri 1552, et in Editione Vitruvii cura Barbari 1567.

Verba, ut exstant, in Editione, quæ prodiit cura Philandri. 1552.	*Verba, ut exstant, in Editione, quæ prodiit cura Barbari.* 1567.
Pag. 138 v. 10. ἐμβάτης·	Pag. 131 v. 37. embatis.
Pag. 181 v. 22. ἁρμόνιαν·	Pag. 173 v. 51. harmoniam.
Pag. 181 v. 22. χρῶμα·	Pag. 173 v. 52. chroma.
Pag. 181 v. 22. διάτονον·	Pag. 173 v. 52. diatonum.
Pag. 182 v. 7. φθόγγοι·	Pag. 180 v. 17. phthongi.

Verba, ut exstant, in Editione, quæ prodiit cura Philandri. 1552.	*Verba, ut exstant, in Editione, quæ prodiit cura Barbari.* 1567.
Pag. 182 v. 31. συμφόνιαι·	Pag. 181 v. 55. symphoniae.
Pag. 195 v. 8. λογεῖον·	Pag. 193 v. 54. logium.
Pag. 195 v. 19. κατηχοῦντες·	Pag. 194 v. 37. catichuntes.
Pag. 195 v. 20. περιχοῦντες·	Pag. 194 v. 37. perichuntes.
Pag. 210 v. 19. περιδρόμιδας.	Pag. 201 v. 10. peridromidas.

Quae vero ad illustrationem Librorum Vitruvii protulit Barbarus, ea scripsit illo ferme modo, quo interpretationes, sive (ut nonnulli appellant) perpetui Commentarii a Viris doctis exarari consuevere. Quamobrem, si Barbari opus cum Philandri opere conferatur, Barbarus in eo fuisse videtur, ut omnia Vitruvii loca docte diligenterque explanaret: Philander autem in eo, ut expli-

(1) Pag. 41. lin. 58.

caret difficiliora loca, lucemque iisdem et ornamentum afferret varia eruditione, atque illustrium Scriptorum auctoritate: itaque non eadem scribendi ratio utriusque fuit; uterque tamen suo in genere excelluit, et uterque de Vitruvii Libris meritus optime est.

Porro in hac Editione Barbarus ex Philandro quaedam desumsit, quae conducebant fini suo; et (ut virum nobilem ingenuumque decebat) ferme quadragies Philandrum nominavit. Sed, in prima Italica Editione, haud memini, me uspiam Philandri nomen invenisse.

Quod si prima Editio illa cum hac altera comparetur, haud dubie apparebit, multa Barbarum mutavisse, ut jam (1) alias indicavimus. Immo vero in Editione hac doctrinam de Solaribus Horologiis praetermisit, quam in Italica illa Libro Nono fuse tradiderat, et utiliorem doctrinam de Analemmate ex Ptolemaeo, et Commandino subjecit. Optabile quidem esset nonnullis, ut sustulisset ea quoque, quae de Propugnaculis inventis a recentioribus Militaribus Architectis in Libro Primo reperiuntur; et quae multa de Proportionibus in Libro Tertio sunt; nec non Stellarum Tabulas, quae sunt ad calcem Decimi Libri; et pauca quaedam alia similia. Plurima tamen perutilia ad Vitruvii Librorum explicationem in ejus Commentariis reperiuntur: neque profecto Barbarus ulli eorum, qui in Vitruvii Libris exornandis desudarunt, secundus est reputandus.

Hactenus cum prima Italica comparata est Latina Editio: haec autem eadem cum posterioribus Italicis quamvis conveniat plerisque in rebus; Italicis tamen (ut cuncta uno verbo complectar) omnibus facile praestat.

Demum, ut aliquid addamus de Figuris, indicabimus, eas perelegantes esse, plerasque etiam utiles. Ligneas formas, quibus impressae fuerunt, caelavit Joannes Crugher Germanus, ut colligitur ex Francisci Franciscii Praefatione in (2) Italicam ab eo emissam Vitruvii Editionem. Minores autem sunt illis, quibus Italica prima Editio ornatur, quae itidem elegantia non carent. At haec Latina Editio rerum quarundam utilibus Figuris aucta est; puta (3), Balnearum (4), Palaestrarum (5), Cavorum Ædium.

MDLXVII.

I DIECI LIBRI DELL' ARCHITETTVRA DI M. VITRVVIO.
TRADOTTI ET COMMENTATI DA MONSIGN. DANIEL BARBARO ELETTO PATRIARCA D' AQVILEIA, DA LVI RIVEDVTI ET AMPLIATI, ET HORA IN PIV' COMMODA FORMA RIDOTTI.

In Venetia Appresso Francesco de' Franceschi Senese, et Giovanni Crugher Alemanno, Compagni. 1567. in 4.

Editio haec plerisque in rebus cum Editione Latina consentit; in nonnullis tamen Italicae primae respondet; ita ab utraque profluxisse videtur.

De Latina, et de proposita hac Editione Franciscus Franciscius in Prooe-

(1) Ad Annum 1556.
(2) Anno eodem 1567.
(3) Ad Cap. 10. Lib. V.
(4) Ad Cap. 11. Lib. V.
(5) Ad Cap. 3. Lib. VI.

mio suo, quod eidem praefixit, scribit haec (quae ex Italico in Latinum conversa damus): *Cum ego*, ait ille, *cuperem iterum edere Vitruvii Libros ornatos Commentariis Reverendissimi Danielis Barbari Electi Aquilejensis, atque eidem quo in desiderio essem, significavissem; non me fefellit opinio, quam de illius humanitate praeconceperam. Non modo enim annuit, verum etiam mihi ipse narravit, esse sibi in promptu eosdem Libros et Commentarios latine scriptos, hosque rebus novis, novisque figuris auctos. Addidit, se horum quoque copiam mihi esse facturum. Quamobrem, Lectores Benevoli, constitui Vitruvium utrumque (communis utilitatis caussa) in publicam lucem proferre.* At quaenam ex duabus Editionibus prior publici juris facta fuerit, non apparet: sufficit tamen novisse, utrique uno ferme tempore operam datam esse, et utramque anno 1567. prodiisse.

Figurae formis iisdem impressae fuere in Editione utraque: itaque, de Figuris ipsis quae jam diximus, ubi de Latina agebamus Editione, hic quoque dicta intelligantur (1).

* MDLXVIII.

In Lipenii (2) Bibliotheca legere est haec: *M. Vitruvii Lib. X. de Architectura, ex Castigatione Jo. Jocundi* etc. *Venet. f.* 1568. At prorsus credo numerum 1568. positum esse mendose, vel errore Operarum, vel Lipenii incuria, et legendum esse 1511. illius enim Editionis anni 1568. nullum aliud indicium uspiam inveni.

MDLXXII.

ARCHITECTVRE, OV ART DE BIEN BASTIR, DE MARC VITRVVE POLLION AVTHEVR ROMAIN ANTIQVE: MIS DE LATIN EN FRANCOYS, PAR IAN MARTIN SECRETAIRE DE LENENCOVRT.

POVR LE ROY TRESCHRESTIEN HENRY II.

A Paris. De l' Imprimerie de Hierosme de Marnef, et Guillaume Cavellat. 1572. fol.

In hac quoque nova Editione Operis (3), de quo jam antea commemoravimus, iterum impressa fuit Nuncupatoria (ex qua duntaxat mentio Jo. Barbè demta est) Henrico, nominis secundo, Galliarum Regi; qui jam objerat anno 1559. atque iterum etiam impressum Martini Monitum, in quo (praeter cetera) Martinus scripserat haec: *espere si ie viens à y remetre la main*

(1) Hujusce editionis exemplar valde pretiosum possidebat vir egregius Leopoldus Cicognara (nunc in Vaticana) de quo ille: in suo *Catalogo ragionato de' libri d' arte*, Pisa 1821. 8. pag. 133.: *Questo è l' esemplare autografo sul quale studiò per diversi anni Vincenzo Scamozzi, ed è tutto postillato di sua mano con incredibile ricchezza di osservazioni critiche, e preziosissime: sonovi pagine intere d' illustrazioni, e da questo prezioso manoscritto sarebbesi tratta una nuova e singolar edizione, in cui si sarebbero viste in conflitto le opinioni degli uomini più dotti.* Nota Edit.

(2) M. Martini Lipenii Bibliotheca Realis Philosophica. Tom. I. Francofurti ad Moenum. 1682. pag. 96.

(3) Anno 1547.

pour la seconde fois, faire etc. Quamobrem illa Nuncupatoria, et Monitum hoc, iterata hujusmodi impressione, satis ostendunt, eos, qui Editionem hanc curaverunt, nihil novi afferre voluisse. Et sane ex collatione liquet, Editionem hanc haberi posse pro ea Operis propositi Editione principe, de qua jam (1) supra dictum est: itaque ergo haud foret operae pretium, si hic loci crambe eadem recoqueretur.

MDLXXV.

VITRVVIVS TEVTSCH NEMLICHEN DES ALLER NAMHAFFTIGISTEN VND HOCHERFARNESTEN, MARCI VITRVVII POLLIONIS, ZEHEN BVCHER VON DER ARCHITECTVR VND KVNSTLICHEN BAVEN etc.

PER D. GVALTHERVM H. RIVIVM MEDIC. ET MATHEM. etc.

Basel. Per Sebastian Henricipetri. 1575. fol.

Integer hujusce Operis titulus in secunda hac Editione (si locum, Typographum, et annum excipias) omnino respondet titulo Operis ejusdem editi anno 1548. quem totum (2) supra descriptum dedimus.

Editio haec (quemadmodum de Titulo dictum est) omnino respondet Editioni primae, quae prodiit An. 1548. nihil additum, nihil demtum, nihil mutatum.

Immo Figurae in secunda hac Editione haud dubie fuerunt impressae iisdem ligneis formis (Norimberga Basileam translatis) quibus Jo. Petrejus in prima Editione usus fuerat: id profecto cuicumque, Figuras Editionis utriusque comparanti, manifeste apparebit.

MDLXXXIIII.

I DIECI LIBRI DELL' ARCHITETTVRA DI M. VITRVVIO,

TRADOTTI ET COMMENTATI DA MONSIG. DANIEL BARBARO ELETTO PATRIARCA D' AQVILEIA, DA LVI RIVEDVTI ET AMPLIATI; ET HORA IN PIV COMMODA FORMA RIDOTTI.

In Venezia, Appresso Francesco de' Franceschi Senese. 1584. in 4.

Editio haec fideliter ex Editione Italica anni 1567. descripta fuit; aeque ac illa emendata est: Figuraeque ex iisdem illis ligneis formis provenere.

MDLXXXVI.

M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM, AD CAES. AVGVSTVM, OMNIBVS OMNIVM EDITIONIBVS LONGE EMENDATIORES, COLLATIS VETERIBVS EXEMPLIS.

ACCESSERVNT, GVLIELMI PHILANDRI CASTILIONII, CIVIS ROMANI, ANNOTATIONES CASTIGATIORES, ET PLVS TERTIA PARTE LOCVPLETIORES.

Adjecta est epitome in omnes Georgii Agricolae de mensuris et ponderibus libros eodem auctore.

(1) Ad Annum 1547. (2) Ad Annum 1548.

1582. Urrea. Los diez libros de architectura de Marco Vitruvio Polion - traducidos del idioma latino y original de su autor por Miguel de Urrea impreso en Alcala de Henares (Castilla) por Juan Gracian.
Le privilege daté de 1569 il se pourrait qu'il y ait eu une édition antérieure.
[illegible] 1573 à 1582, [illegible]

Cum Graeco pariter et Latino indice locupletissimo.
1586. *Apud Joan. Tornaesium, Typogr. Reg. Lugd.* in 4.

Joannem hunc Tornaesium, ex cujus Typographia prodiit proposita Editio, fuisse Joannem secundum, filium primi Joannis, prorsus existimo. De utroque mentionem (1) supra jam fecimus (2). *Hic* autem *Joannes Tornaesius secundus patrem superavit quidem doctrina, sed typographica arte minime aequavit*; ut a Cel. Maittaire scriptum est, a cujus judicio haud differunt quae de ejusdem Tornaesii ingenio atque doctrina (3) *P. de Colonia* litteris mandavit. Hic tamen constituit, eum Tornaesium Joannem secundum migravisse Genevam circa annum 1584. cum Maittaire (quamvis retulerit haud dissimilem assertionem auctoris notarum in Adr. Baillet, ut (4) supra vidimus) de eo migrationis anno (5) dubitaverit. At proposita Editio non dubie ostendit, Joannem secundum anno 1586. adhuc Lugduni fuisse.

Editio haec ex Editione quae prodierat e Typographia Joannis Tornaesii primi anno 1552. descripta est fideliter, atque satis emendate; nusquam aucta, nusquam imminuta. Duntaxat nitore tantillum cedit illi. Figurae tamen iisdem, ac in illa, formis impressae. Itaque quod de illa dictum est, de hac quoque plane dictum intelligatur.

MDLXXXX.

DELLA ARCHITETTVRA DI GIO. ANTONIO RVSCONI.
CON CENTOSESSANTA FIGVRE DISSEGNATE DAL MEDESIMO.
SECONDO I PRECETTI DI VITRVVIO, E CON CHIAREZZA E BREVITA' DICHIARATE.
LIBRI DIECI. AL SERENISSIMO SIG. DVCA D'VRBINO.
In Venetia. Appresso i Gioliti. 1590. in fol.

De hoc Jo. Anto. Rusconio pauca litteris mandata inveni. Ea vero pauca expositurus, ordiar ab epistola ad Lectorem, huic Operi ab Jo. Jolito praemissa. Liquet ex hac, id Opus posthumum esse; neque ei ultimam admovere manum potuisse Auctorem; qui doctrinae Architectonicae, rerumque ad Architecturam pertinentium, peritissimus fuisse dicitur.

Tum etiam ex eadem constat, Jolitos proprio aere, et precibus, Figurarum plurium schemata et delineationes ab Auctore, hoc est a Rusconio, obtinuisse: sed animadvertam, haec proculdubio esse referenda ad tempus, quod non brevi spatio praecesserat propositam Editionem hanc; quandoquidem cuidam Claudii Ptolomaei (6) Epistolae, anno 1554. a Gabriele Jolito editae, praefixum legitur Lemma, quod latine redditum hujusmodi est: *Ptolomaeus Sansovino respondet, se in Vitruvii Libris non percipere veram formam Machinarum Hydraulicae et Catapultae. Sed qui haec intelligere velit, legat*

(1) Ad Annum 1552.
(2) Annales Typographici. Tomi Tertii Pars Posterior. pag. 493.
(3) Histoire Litteraire de la Ville de Lyon etc. Par le P. de Colonia. A Lyon. 1730. Tom. II. pag. 610.
(4) Ad Annum 1552.
(5) In Tomo jam citato pag. 494.
(6) Lettere di diversi Eccellentissimi Uomini. In Vinegia. Appresso Gabriel Giolito. 1554. pag. 364.

Vitruvium conversum ab Jo. Antonio Rusconio excellentissimo, summoque ingenio praedito, Architecto; cujus opus intra paucos menses prodibit in lucem. Et Petrus Laurus (anno ante quam Lemma, modo citatum, ederetur) in (1) Epistola ad eundem Rusconium data, mentionem iniicit de ipsius Rusconii diligentia et studio in Vitruvii Libris e Latina in Italicam linguam convertendis; additque: *le difficultà* di Vitruvio (*quanto odo*) *havete snodato in guisa, che non sarà più ripreso Vitruvio di oscurità*: hoc est; *intelligo, Te difficilia Vitruvii loca ita explanavisse, ut in posterum nemo futurus sit, qui Vitruvium obscuritatis insimulet.* Quae Epistola cum edita fuerit anno 1553. ex ea quoque patet, Rusconium circa medium decimisexti saeculi floruisse: quamquam ejus Opus, ad exitum seculo illo vergente, demum prodierit.

Adde, inter Quaesita edita a Nicolao Tartalea, duo (2) exstare (quae, ut ex aliis liquet, circa annum 1540. proposita fuere) quibus *Jo. Antonius Rusconius Pictor et Architectus* (quemadmodum in Quaesitis iisdem legitur) quaerit abs Tartalea methodum inveniendae proportionis inter lapidum proiiciendorum pondera, et foramina Balistae; ut Vitruvii loca quaedam in Libri X. Capite XVII. restitueret. Quibus ex Quaesitis, tum de tempore, quo floruit Rusconius, tum de ejus Vitruvii studio, conjicere iterum licet.

In memorata Joliti Epistola legitur, ligneas formas, quibus elegantissimae Operis Figurae impressae fuere, sumptibus eorundem Jolitorum fuisse scalptas: et, quoniam opere adhuc immaturo e vivis excesserat Rusconius, inde evenisse, ut neque Figuras omnes delineare, neque Figurarum explicationes ullas dare ille potuerit: quamobrem, cum mens Auctoris divinando attingi non posset, opus fuisse, brevibus annotationibus indicare Vitruvii verba illa, quae referenda esse ad singulas Figuras probabiles conjecturae suaserunt. Additur, praetermissas tamen fuisse explicationes litterarum Figuris appositarum ab Auctore, earundemque usum inveniendum Artis peritis relictum esse.

De hisce hactenus: nunc de Opere ipso Rusconii, qui neque ex Jocundi, neque ex Caesariani, neque ex aliorum Libris Figuras suas mutuatus est; sed, Vitruvii verba (ut res ipsa satis declarat) attendens, Figuras plane novas delineavit: quarum aliae magis sunt utiles, aliae minus, omnes vero elegantes.

Figurae minus utiles (non tamen ineptae) censeri possent, caussa exempli, arborum (3) delineationes (4), delineationesque aliae pertinentes ad ruderationem, ad calcis macerationem, ad albaria opera et tectoria perficienda, ad cameras, ad trullissationem, et ad quaedam his affinia.

Ut tamen concludam paucis: negari profecto non potest; inter eos, qui utiliter ad illustrationem Vitruvii desudarunt, etiam Rusconio locum dandum esse; et locum quidem meritus ille fuisset clariorem, si Opus suum ad umbilicum perducere potuisset.

(1) Delle Lettere di M. Pietro Lauro Modonese il Primo Libro. In Venezia. Nel 1553. pag. 104.

(2) Quesiti, et Invenzioni diverse de Nicolò Tartaglia. In Venezia. 1606. Libro Secondo. Quesito 10. et 11.

(3) Pag. 41. . . . 44.

(4) Pag. 96. . . . 116.

* MDCII.

Michael de Urrea (ut in (1) Antonii Bibliotheca legere est) *domo ex oppido Fuentes dioecesis Toletanae, Architectus, vertit in vulgarem sermonem, Los diez libros de Arquitectura de Marco Vitruvio Pollion. Compluti apud Joannem Gratianum.* 1602. in folio. Librum hunc non vidi. Qualis igitur sit versio haec, et qua ratione differat ab ea, de qua (2) supra dictum est, cum ostendere non possim, sufficiet titulum indicasse.

MDCXII.

SCAMILLI IMPARES VITRVVIANI, A BERNARDINO BALDO VRBINATE NOVA RATIONE EXPLICATI;

Refutatis priorum Interpretum, Gulielmi Philandri, Danielis Barbari, Baptistae Bertani sententiis.

Augustae Vindelicorum. Ad insigne pinus. Apud Joannem Praetorium. Anno 1612. in 4.

Natus est Bernardinus Baldus Urbini nobilibus Parentibus anno 1553. ut (3) Scarloncinus habet, a quo plura mutuati sumus. *Genus traxit* (ut etiam (4) Vossius refert) *e nobili Familia Cantagallina, inter Perusinas illustri.* Adhuc adolescens ita profecerat, ut Arati Phaenomena in Italicam linguam converterit. Graecis autem litteris multam operam dedit Patavii, usus Emmanuele Margunio praeceptore: ubi Libellum de tormentis bellicis, et eorum inventoribus scripsit. At pestilentiae grassantis Patavii timore percitus, rediit in Patriam anno 1575. ibique, integrum quinquennium, Commandinum audivit; omnesque Matheseos partes perlustravit, eodem Federico Commandino duce, cujus mortem aegerrime tulit; susceptoque ejus vitam scribendi consilio, subinde ad recensendas omnium Mathematicorum vitas animum adplicuit.

Amisso itaque praeceptore Commandino arctam deinde inivit, et coluit cum Guido Ubaldo e Marchionibus Montis, amicitiam; quam juvabat ipsa studiorum similitudo: eoque tempore Commentarios latine in Mechanicam Aristotelis, et Italica lingua de re Nautica Poema, scripsit. Propter quae cum ejus nomen celebraretur, Ferrandus Gonzaga, Molfettae Princeps, et Guastallae Dominus, opera Curtii Arditii Baldum accivit, apud quem cum moraretur, persuasionibus *Vespasiani Gonzagae* (Scharloncini verba sunt) *Sablonetae Ducis ad explanandos Vitruvii Libros adductus fuit. Quare tunc natus de Verborum Vitruvianorum significatione Commentarius; in quo minime mirandum, si minuta quaedam prosequutus fuit, quae viro magno minus esse digna videantur: illi enim Principi morem gessit.*

(1) Bibliotheca Hispana. Tom. II. pag. 118.

(2) Ad Annum 1546.

(3) De Vita et Scriptis Bernardini Baldi ex litteris Fabricii Scharloncini. Exstat cum Bern. Baldi in Mechanica Aristotelis Probl. Exercitationibus. Moguntiae. 1621.

(4) De Universae Matheseos natura et constitutione. pag. 303.

Anno 1586. Guastallae Abbas renunciatus est: a quo tempore Juris Canonici, Conciliorum, et Sanctorum Patrum studiis animum operamque convertit.

In linguis etiam, Hebraea, et Chaldaica, addiscendis, triennio curam suam posuit: tum vero plura opera scripsit. At sexagesimoquarto suae aetatis anno, reparatae salutis 1617. posteaquam dies quadraginta vehementi distillatione vexatus fuisset, spiritum Deo reddidit.

Haud ignoro (1), Ghilinum retulisse Baldi nostri mortem ad annum 1597. et a Konigio ambigue esse scriptum (2): *Baldus obiit* 1617. (*aliis* 1597.) At certum est, Baldum anno 1612. duos Libros, alterum *de Scamillis Imparibus Vitruv.* alterum *de Verborum Vitruv. Significatione* edidisse. Recte vero (3) Cl. Isidorus Grassi ita scribit: *Baldus natus anno* 1553. *vixit annos* 65. *ergo obiit circa annum* 1617. Quin ab eodem Isidoro refertur sepulcralis Inscriptio, quae Ghilinum decepit; in ea enim (praeter cetera) legitur anni nota haec:

SALVTIS MDXCVII.
HEV SVBLATO

e vivis Baldo: at ita legitur ob *Scalptoris errorem*, qui incidit X *ante* C, *cum contrarium facere debuisset.*

Non autem omnia a nobis indicata sunt Opera, quae Baldus noster composuit. *Syllabus* omnium Baldi Librorum editorum, ineditorumque, Vitae ejus, quam Fabricius Scharloncinus, et deinde Isidorus Grassi, litteris mandavere, subjectus est.

De hoc autem Opere quidpiam dicturi, animadvertemus, Vitruvium (4) bis Scamillorum Imparium fecisse mentionem: atque, primo loco (qui materiam praebuit Operi huic) nominavisse *Scamillos impares*; tum addidisse: *uti Scamilli* impares *ad id convenienter fiant, item in extremo Libro forma et demonstratio erit descripta.* At forma illa, illa demonstratio periere. Divinatione igitur veluti quadam opus est, ut quid essent *Scamilli impares* a Vitruvio propositi definiatur. Haec est materia hujusce Libelli a Baldo scripti; quid vero praeterea Baldus sibi in hoc proposuerit, satis ostendit ipsius Libelli titulus, ubi refutati a Baldo Auctores indicantur.

MDCXII.

DE VERBORVM | VITRVVIANORVM SIGNIFICATIONE. SIVE PERPETVVS. IN M. VITRVVIVM POLLIONEM COMMENTARIVS.

AVCTORE BERNARDINO BALDO VRBINATE, GVASTALLAE ABBATE.

ACCEDIT VITA VITRVVII, EODEM AVCTORE.

Augustae Vindelicorum. Ad insigne pinus. 1612. in 4.

Ex Baldi nuncupatoria Operis hujusce ad Marcum Velserum liquet, Edi-

(1) Teatro di Huomini Letterati. Tom. II. pag. 44.

(2) Bibliotheca vetus et nuova Georgii Matthiae Konigii. Altdorfi. 1678. pag. 81.

(3) Baldus Redivivus, sive Bernardini Baldi Vita ab Isidoro Grassi exarata. Parmae. 1717.

(4) Lib. III. Cap. III. et Lib. V. Cap. VIIII.

tionem Opusculi *de Scamillis Imparibus* praecessisse huic Editioni, quamvis utraque ad annum 1612. pertineat.

Vitruvii verba, quae in hoc Libro explicantur, prope quadringenta et triginta sunt. In eorundem significationibus explanandis saepe Gulielmi Philandri et Danielis Barbari, interdum Adriani Turnebi (quorum nomina ubique ingenua fide commemorat) commentariis et observationibus usus est. Occasione explicandarum vocum a Vitruvio adhibitarum, multa addidit doctissimus Baldus; quae, etsi fortassis ad Vitruvii sententias percipiendas minus faciunt, certe ad eruditionem augendam, Lectoribus haud exiguam afferre possunt utilitatem.

Ceterum, non materiae, sed alphabeti ordinem persecutus est Baldus in verbis, quorum exposuit significationes, digerendis. Sed res minime eo modo cohaerent, deficitque materiae ordo, atque adeo non facile apparet quomodo verbi unius explicatio explicationi alterius lucem possit afferre.

Vix autem undecim Figuras adposuit, quibus totidem Verborum explicationes illustrarentur, cum plurimis opus fuisset. Itaque Figurarum deficiente lumine, res multas haud levi in obscuritate relinqui, fatendum plane est.

Sed pergamus ad Vitruvii vitam, conscriptam quidem a Baldo diligentius, quam a Philandro. Ille enim plura loca ex Vitruvii Libris excerpsit, quae in describenda vita Auctoris ejusdem, quasi lumen aliquod, adhiberet. Nonnullas tamen res a Philandro observatas Baldus praetermisit.

Addemus etiam, Baldum neque in hoc Libro, neque in altero *de Scamillis Imparibus*, judicia de (1) Gulielmo Philandro, de (2) Daniele Barbaro, et de (3) Caesare Caesariano, minus propria tulisse. Cum Philandrum, nulli quidem secundum, Baldus tamen (4) *in illustrando Vitruvio ceteris omnibus longe praestantiorem* dixerit; Barbarum, doctissimum hercle eruditissimumque virum, atque de Vitruvio egregie meritum, aut parce, aut omnino non laudaverit; Caesarianum vero, qui certe aliquid conatus est, non modo illaudatum, sed etiam, si Diis placet, contumeliose dimiserit.

* MDCXIIII.

Opusculum Bernardini Baldi *De Scamillis Imparibus Vitruvianis* (ut ex (5) *Bibliotheca Draudii* comperio) de Latina in Germanicam Linguam conversum, edidit cum sua (6) *Perspectiva*, anno 1615. Joannes Cuneters.

MDCXIIII.

VITRVVIVS DES ALLER NAMHAFFTIGISTEN VND HOCHERFOLNNESTEN, ROMISCHEN ARCHITECTI, VND KVNSTREICHEN VVERCK ODER BAVVMEISTER, MARCI VITRVVII POLLIONIS, ZEHEN BVCHER VON DER ARCHITECTVR VND KVNSTLICHEN BAVEN. etc. PER D. GVALTERVM H. RIVIVM MEDIC. ET MATHEM. etc.

(1) In Opere proposito. pag. 51. 66. 70. 94. 105. 127. 164. 206. et alibi.

(2) In Opere proposito. pag. 90. 110. 111. 195. 206. et alibi.
Et in Scamillis Imparibus pag. 10.

(3) In Opere proposito. pag. 67. 85. 164. 206. et alibi.

(4) In Scamillis Imparibus. pag. 23.

(5) Bibliotheca Librorum Germanicorum Classica. Per M. Georg. Draudium. Francofurti ad Moenum. 1625. pag. 648.

(6) Perspectiva. (Germanice) Augustae Vindelicorum. 1615.

Basel. Per Sebastian Henricipetri. 1614. fol.

Titulus Operis hujus tertia in ista Editione (exceptis notis loci, Typographi, et anni) idem prorsus est ac titulus Editionis, quae prodiit An. 1548. et alterius Anno 1575. de quibus (1) scriptum suis locis est.

Sunt qui tradiderint, Editionem hanc tertiam duabus prioribus antecellere; quos secutus esse videtur Celeberrimus Fabricius, cujus haec sunt verba (2) *Germanice per Gualterum Henricum Rivium prodiit Vitruvius Norimb. et Basil.* 1575. *fol. atque aliorum nova cura perpolitus* 1614. *fol.* Revera tamen (nisi perexiguae, perque pauceae perpolitiones intersitae sint) ex trium hujusce Operis Editionum collatione, non quidem instituta eundo per singula omnino verba, at non indiligenti, haud repertae sunt in tertia hac Editione mutationes ullae, aut ullae varietates. Sed tertia haec Editio visa est prorsus similis primae, atque secundae.

Ut etiam Figuras iisdem ligneis formis, ad priores Editiones jam adhibitis, impressas fuisse, facile potuit agnosci.

* MDCXVI.

In Lipenii Bibliotheca legitur titulus hic (3): *M. Vitruvii Optica. Teutsch. Augspurg.* (hoc est, *lingua Germanica, Augustae Vindelicorum*) f. 1616. Librum hunc, quamvis non viderim, credibile tamen mihi fit, esse unum ex Libris *Institutionis* illius *accommodatae ad Vitruvii Doctrinam*, editae ab *G. H. Rivio*; de qua jam a nobis (4) supra est commemoratum.

MDCXVIII.

ARCHITECTVRE, OV ART DE BIEN BASTIR DE MARC VITRVVE POLLION, MIS DÉ LATIN EN FRANCOIS, PAR IEAN MARTIN, SECRETAIRE DE MONSEIGNEVR LE CARDINAL DE LENONCOVRT.

AV ROY TRES-CHRESTIEN HENRY II.

A Cologny, Par Jean de Tournes. 1618. in 4.

Ex duabus, quas (5) superius recensuimus, Editionibus Vitruvii a Martino Gallice redditi, descriptus est textus Editionis hujusce; hujus enim verba verbis illarum plane respondent: alicubi tamen in litteris verba componentibus differentia aliqua intercedit; cum in hac Editione sit adhibita melior formula ratioque scripturae.

Ceterum Jo. Tornaesius, cum edidisset (ut (6) jam commemoravimus) Vitruvii Libros ornatos Annotationibus et Figuris Gul. Philandri, huic etiam Editioni praefixit Vitam Vitruvii, ab eodem Philandro olim conscriptam, sed

(1) Ad Annum 1548. et ad Annum 1575.
(2) Bibliotheca Latina. Tom. I. pag. 545.
(3) Bibliotheca Realis Philosophica. Tom. II. pag. 1046.
(4) Ad Annum 1548.
(5) Ad Annum 1547. et ad Annum 1572.
(6) Ad Annum 1586.

Gallice redditam, itidemque Gallice redditam *Digressionem* illam, *qua Philander universam columnationis, et trabeationis rationem explicat*, adposuitque hanc ante Caput tertium Libri tertii, quemadmodum *Digressio* eadem *Latina* ante idem Caput exstat in Latina Tornaesiana Editione.

Frustra vero quaeras, non dicam omnes, sed unam ex Figuris, quibus instructa est in duabus Parisiensibus Editionibus proposita Vitruvii Gallica versio. In hac enim Editione eaedem illae Figurae (iisdemque formis impressae) quae in Latina Tornaesiana Editione sunt, conspiciuntur. Idque unum notandum est, quod Gallicae huic Editioni ut paullo melius accommodarentur illae Figurae, super plures ex illis leguntur tituli indicantes quid Figurae ipsae sint.

Post Vitruvii Libros sequitur Gallica illa Explicatio nominum propriorum, verborumque difficilium, quae in commemoratis prioribus duabus Editionibus reperitur: at Govionii Dissertatio, sive Epistola desideratur.

Refert autem Jo. Alb. Fabricius (1), *Crucimanium disseruisse de Jo. Martini Vitruvio Gallice Paris* 1572. *et postea Genev.* 1618. 4. *vulgato*: at nullus dubito, quin Editio illa *Genev.* 1618. 4. sit eadem ac illa superius proposita, quamvis, *A Cologny*, in propositae fronte perspicue legatur.

MDCXXVIIII.

I DIECI LIBRI DELL' ARCHITETTVRA DI M. VITRVVIO, TRADOTTI ET COMMENTATI DA MONSIG. DANIEL BARBARO PATRIARCA D' AQVILEIA, DA LVI RIVEDVTI, ET AMPLIATI.

Et hora in questa nuova Impressione per maggior commodità del Lettore, le materie di ciascun Libro ridotte sotto Capi.

Nel I. Libro si contiene il fondamento dell' Architettura etc.

In Venezia Appresso Alessandro de Vecchj. 1629. fol. min.

Editio haec descripta fuit ex Editione Anni 1667. de qua supra verba fecimus, minus tamen emendata est.

Figurae vero iisdem formis, quibus in illa impressae fuere, in hac quoque impressae sunt: quamobrem, a Francisci heredibus Typographum illum *de Vecchi* eas acquisivisse credibile est; sed tamen non omnes. Pagina enim decima septima, loco elegantis Figurae Persarum, qua Barbari prior Editio exornatur, in hac Editione aediculae cujusdam figura est, nihil faciens ad rem: et in paginis tricesima secunda, centesima decima quarta, centesima decima nona, una eademque Figura cernitur, nusquam ad rem Vitruvianam pertinens, nusquam utilis, et plane diversa a tribus illis, quas Barbarus delineari curaverat; atque ita porro alibi etiam hujusmodi supposititiae ineptaeque Figurae reperiuntur, quas totam Editionem hanc foedare dixeris.

Sed ut appareat, quam praepostere, atque imprudenter hac in Editione actum sit (praetermissa insulsa illa propositione, qua, in hujusce Editionis fronte, *materiae* cujuscumque Libri ad summa capita adductae dicuntur) sufficiet animadvertisse; Alexandrum *de Vecchi* Typographum praeposuisse nomen suum Prooemio illi, quod Franciscus Franciscius Editioni Anni 1567.

(1) Bibliotheca Latina. Tom. I. pag. 314.

praeposuerat : cujus Prooemii partem quandam jam (1) protulimus, in qua Franciscius de Vitruvii Libris edendis se collocutum cum Daniele Barbaro narrat. Itaque Alexander, dum sibi anno 1629. adtribuit Prooemium illud, eadem itidem narrat, quasi de iisdem cum Daniele Barbaro fuisset collocutus, atque ita de Barbaro adhuc vivente loqui videtur, cum tamen Barbarus ante annos quinquaginta novem mortuus esset.

Quapropter mirari subit, a nonnullis Editionem hanc pluris factam fuisse: sed facile Tituli et Prooemii promissa attenderunt, nec quidquam amplius quaesivere.

MDCXXVIIII.

CLAVDII SALMASII PLINIANAE EXERCITATIONES IN CAII IVLII SOLINI POLYHISTORA. ITEM CAII IVLII SOLINI POLYHISTOR EX VETERIBVS LIBRIS EMENDATVS.

Parisiis. 1629.
Quaedam exempla habent,
Apud C. Morellum.
Quaedam vero habent,
Per Hieronymum Droüard.

Mutuo enim quodam pacto duos illos Parisienses Bibliopolas convenisse, credibile est. Certe, quocumque ex duobus illis, Morelli, seu Droüard, nominibus instructa exempla propositi Operis (editi anno 1629.) reperiantur, editionem tamen esse omnino eandem, semper liquet.
Tomi duo. fol.

Benignus de Salmasiis Claudii nostri (2) parens fuit, Eques et Consiliarius Regius, Taliaci Dominus, qui in Suprema Burgundiae Curia (*Parlamentum* vocant) Senatoris, dum vixit, locum obtinuit: ejus mater fuit Elizabetha Virota nobilissimi amplissimique Viri Gulielmi Viroti Domini *de Viry*, et in supremo quoque Burgundiae Senatu Consiliarii, filia. His itaque parentibus editus est Claudius, partu septimestri, anno, a Virginis Partu, nonagesimo tertio supra millesimum quingentesimum (ut Clementius, vir sane diligens, ostendit, refellitque scribentes annum 1688.) in Suburbano Avi sui, prope Semunum in *Alexio Balivatu*. Unde et *Alexium* alibi se inscribit.

Prima (3) litterarum tyrocinia ductu Parentis, atque auspiciis peregit. Casaubonum ante alios, et eruditiores viros convenire, et frequentare consuevit, quos consulebat etiam de dubiis, ac de optima methodo, qua sese indagandis antiquitatibus dedere posset (4). Annum aetatis quartum decimum agens Heidelbergam profectus est; ubi maximorum Virorum Dionysii Gothofredi, Jani Gruteri, et Joachimi Lingelshemii amicitiam sibi et familiaritatem conciliavit.

Reversus (5) deinde Salmasius in Galliam est, quo tempore Rex Henricus IIII. detestanda Regicidae Ravaillaci manu occubuit. At (6) circa annum ejusdem seculi decimi septimi tricesimum, de Salmasio in Bataviam arcessendo co-

(1) Ad Annum 1567.
(2) Elogi degli Huomini Letterati di Lorenzo Crasso. Parte Seconda. 1666. in Venezia. pag. 205.
Et Claudii Salmasii Epistolae. Accedunt de Laudibus, et Vita ejus Prolegomena. Accurante Antonio Clementio. Lug. Bat. 1656. pag. 17.
(3) Idem Clementius. pag. 18.
(4) Idem Clementius. pag. 22.
(5) Idem pag. 31.
(6) Idem. pag. 40.

gitari coeptum est, urgente in primis Nobilissimo Erssenio (1). Post varios (ut ajunt) casus, quia instabant perpetuo Curatores, easque proponebant conditiones, quae sine fastus suspicione recusari non posse videbantur, assensit Claudius, et circa exitum anni 1632. Lugdunum Batavorum cum Familia appulit; ubi in ejus amicitiam plures viri seu nobilitate, seu dignitatibus, seu doctrina illustres, se adjunxerunt.

Inde vero plura suscepit itinera (2). Anno 1642. Lutetiam Parisiorum profectus, ab ea deinde Urbe in Burgundiam pertransivit; et insequenti anno Lutetiam cum rediisset, permagna in gratia fuit apud Armandum Richelium, et Julium Mazarinum S. R. E. Cardinales. Tum (3) vergente anno illo 1643 se iterum recepit in Bataviam. At post annos septem (nimirum (4) anno 1650.) iter habuit in Sveciam, ubi Christina Regina Svecorum, viris doctis eruditisque mirabiliter favens, et quae Salmasium jam plurimi faciebat, ipsum benigne excepit, multisque beneficiis ornavit.

Sed, postquam ad Batavos redierat (5), anno (teste laudato Clementio) 1652. Spadam profectus, praesertim valetudinis caussa, ibi graviore morbo correptus, vitam cum morte commutavit III. Non. Septemb. ejusdem anni 1652.

Libros plurimos, dum viveret, edidit, plures alios reliquit, partim paratos jam olim, ut typis aeneis descripti in manus hominum irent, partim affectos et inchoatos: quorum omnium Catalogum legere est ad (6) calcem vitae Salmasii, a Clementio conscriptae; ex quo, tamquam ex diligentiori Scriptore vitae illius, pleraque huc allata, descripsimus.

In eximio Opere hoc ferme octoginta Vitruvii locis utitur Salmasius; explicatur autem vel emendatur Vitruvius fere quadragies. Itaque, etsi Salmasius haec praestitit, prout illi sese occasiones obtulere, neque Annotationes in Vitruvii Libros contexere instituit; nihilo tamen minus, quoniam Jo. de Laet in titulo famigeratae suae Editionis Librorum Vitruvii luculenter posuit, *Cum Notis, Castigationibus, et Observationibus Claudii Salmasii passim insertis*; iccirco haud abs re futurum existimavimus, si hic loci de Salmasii Opere hoc ageretur.

MDCXXXXVIII.

TRAITTE' DE L'ARCHITECTVRE SVIVANT VITRVVE,

Où il est traittè de cinq Ordres de Colomnes, scavoir: Toscane, Dorique, Jonique, Corinthe, et Composite; divisées en sept Chapitres:

Qui enseigent leurs differentes Proportions, Mensures, et Noms propres suivant la pratique des plus anciens Architectes Grecs et Romains: comme aussi de tous leurs membres generaux et particuliers, necessaires à la construction des Temples, Palais, Chasteaux, Forteresses, et tous autres bastimens, avec leur dependance.

Comme Portes, Arcs-triomphaux, Fontaines, Sepultures, Cheminées, Croisées, Vestibules, Pla-fonds, et autres ornemens, servans tant à l'embellissement des Edifices des Villes, qu'aux fortifications necessaires d'icelles.

(1) Idem. Clementius. pag. 42.
(2) Idem. pag. 44.
(3) Idem. pag. 43.
(4) Idem. pag. 51.
(5) Idem. pag. 53.
(6) Idem. pag. 64.

Desseignez par Maistre Julien Mauclerc, Sieur du Ligeron-Mauclerc, la Brossardiere et Remanguis.

Où il a estè adiouté les diverses mesures et proportions de ces fameux Architectes Scamozi, Palladio, et Vignole, et quelques regles de Perspective.

Le tout representé en cinquante grandes Planches en Taille-douce, enrichies des plus rares ornemens de l'Antique, et Chapiteaux d'extraordinaire grandeur.

Et mis en lumiere par Pierre Daret Graveur ordinaire du Roy. Oeuvre necessaire aux Architectes, Peintres, Sculpteurs, Graveurs, Ingenieurs, Orphèures, Mennisiers, et tous autres, qui se delectent du dessein.

A Paris. Chez Pierre Daret. 1648. fol. maj.

In imo primae Figurarum Tabulae (in qua Juliani Mauclerc imago picta est) leguntur haec : *Premiere Planche des Oevvres de Architecture de Julien Mauclerc Gentilhomme Poitevin Seigneur du Ligneron Mauclerc contenent sa Devise et Effigie en l'an de son aage* 53. *de son invention despeint de sa main et parachevée d'estre taillée au burin au mois de Septembre* : in forma vero, hoc est in lamina aerea sculptos fuisse etiam numeros indicantes annum, et deinde contusum fuisse aes, ne numeri apparerent, diligenti Tabulae inspectione perspicue cognoscitur. Ex reliquis tamen quibusdam numerorum illorum signis conjici aliquo modo potest, hunc Julianum seculo decimosexto floruisse. Idque probabilius ex eo fit, quod in Juliani Opere neque Andreas Palladius, neque Vincentius Scamotius, nominantur. Ubi enim horum leguntur nomina, si res attenditur paullo diligentius, ea additamenta esse, vel supplementa, a Petro Daret emanata, credibile plane videtur.

Epistolae nuncupatoriae subscribitur nomen Petri Daret : sed ex ea nec de Juliano, nec de Petro ipso, nec de Operis Juliani fatis, quidquam innotescit.

Ceterum tam amplus, et diligens, atque ad opus ipsum accommodatus est hujusce Libri titulus, ut jure meritoque ceu specimen totius operis haberi queat. Pauca itaque adjiciemus, animadvertentes, multa ad mentem Vitruvii explicata esse, quidpiam tamen obscuritatis nonnullis in explicationibus offendi : praeterea vero haudquaquam attingi res difficillimas ; exempli caussa nihil de Imparibus Scamillis afferri, et Volutae Jonicae praecepta tradi duntaxat ex Jacobo Barocio desumta. Totum autem opus in septem tribuitur Capita ; quorum primum ad Ordinem Tuscanum, secundum ad Doricum, tertium et quartum ad Jonicum, quintum et sextum ad Corinthium, septimum ad Compositum, referuntur.

Figurae autem satis elegantes sunt. Si quinque excipias, quae numeris insigniuntur, 44. 45. 46. 47. 48. a Petro Daret, ut puto, in hunc Librum invectas. Figurae enim reliquae acceptae referendae sunt Juliani Mauclerc eleganti industriae. Hae vero signo hoc B distinguuntur. Quinque signo carent, quamvis (1) Petrus Daret signo Ð saepe uti soleret.

(1) F. Pel. Ant. Orlandi Abcedario Pittorico. pag. 498.

MDCXXXXVIII.

ΣΚΙΟΓΡΑΦΙΑ VITRVVII : QVAM Θεȣ̃ συνεργȣ̃ντος SVB PRAESIDIO VIRI CL. CHRISTIANI GVEINTZII I. V. C. HALLENSIS AD SALAM GYMNASII CELEBERRIMI RECTORIS VIGILANTISSIMI, EVERGETAE ET PRAECEPTORIS SVI AEVITERNVM HONORANDI PVBLICAE DISQVISITIONIS PALAESTRAE PROPONIT AVGVSTVS HAVSMAN HITZAKARA LVNEBVRGICVS.
Ad diem 19. *Maii loco consueto.*
A. O. R. 1648.
Hallis Saxonum. Typis Oelschlegelianorum. in 4.

Ex Konigio comperi de vita Gueintzii pauca haec (1). *Gueintzius (Christianus) anno* 1650. *obiit, collegit Delicias dominicales et aestivales*: apud alios autem Germanicos Scriptores (quos viderim) aut nullam, aut prorsus jejunam Gueintzii mentionem inveni. At jam alias laudatus Daniel Doppelmair, et Jo. Erhardus Kappius, in Lipsiensi Academia Eloquentiae Pub. Prof. vir humanissimus, et de politioribus litteris egregie meritus, impertiti mihi plura sunt: ex his ergo, quae subjicio, depromsi.

Christianus Gueintzius in vitam venit *Kolae* (sive *Kolaviae*) in Agro Gubenensi anno 1592. III. Id. Octob. *Scholasticus fuit Colbusianus, Gubenensis, Crosnensis, Budissinensis* anno 1612. et insequenti anno *Stetinensis*; ac demum studiis operam dedit *Vittebergae* anno 1615. qua in Urbe, post annum Philosophiae Magister VIII. Kal. Octob. renunciatus est. Deinde *Cothenam vocatus, ut Methodi Ratichianae Director* esset, ibi triennio mansit, quo peracto, *Vittebergam* rediit anno 1622. At anno 1627. *Hallam Saxonum* arcessitus, mense Aprili, ut illius *Hallensis Gymnasii Rectoris* munere fungeretur, mense Augusto in ejusdem muneris possessione positus est. Quo in munere versatus per annos viginti tres, de vita decessit III. Non. April. anno 1650. aetatis vero suae anno 58.

Quod attinet ad ejus scripta: praeter propositum hoc loco Opusculum, alia edidit, et quidem plurima; cum in horum Indice mihi misso a Cel. Kappio, recenseantur Opuscula tercenta et triginta latine, et insuper triginta et octo germanice, exarata. Talium vero Opusculorum ut specimen aliquod hic habeatur, sectabimur nonnulla veluti summa capita (quae etiam Cel. Doppelmair est persecutus) atque referemus, Gueintzium *in Studiis Philosophicis et Humanioribus edidisse Exercitationes Ethicas; Lib. de natura Physices; de natura Politices; Synopsim Politices Aristotelis; Synopsim Geographiae Strabonis; Analysim dichoromicam operis Ciceronis; Exercitationem de Stipendiis Militum; Lusatographiam: In Theologicis, Systema Theologicum; analyticas formulas concordiae; Delicias Evangeliorum Dominicalium; Delicias Epistolicas: In Jurisprudentia, Jus feudale; Dispositionem Institut. Justiniani.*

Propositum autem Sciographiae Opusculum in partes tribuitur duas. In prima presse agitur de Architectonicae significatione atque natura, de Architecturae vocabulis, de *materia* aedificii, de forma, fine, utilitateque Architecturae, et de *requisitis* in Architectonica spectandis. Altera vero parte *brevis*

(1) Bibliotheca vetus et nova Georgii Matthiae Konigii. Altdorfi. 1678. pag. 369.

(brevissima etiam dici potuisset) *descriptio Vitruviani Operis* exhibetur, qua nonnulla quasi specimina rerum contentarum Libris Vitruvii de Architectura perstringuntur.

MDCXXXXVIIII.

M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM.
CVM NOTIS, CASTIGATIONIBVS, ET OBSERVATIONIBVS
GVLIELMI PHILANDRI INTEGRIS;
DANIELIS BARBARI EXCERPTIS; ET
CLAVDII SALMASII PASSIM INSERTIS.

Praemittuntur Elementa Architecturae collecta ab illustri Viro Henrico Wotono Equite Anglo.

Accedunt Lexicon Vitruvianum Bernardini Baldi Urbinatis Guastallae Abbatis; et

Ejusdem Scamilli Impares Vitruviani.

De Pictura Libri tres absolutissimi Leonis Baptistae de Albertis.

De Sculptura excerpta maxime animadvertenda ex Dialogo Pomponii Gaurici Neapolitani.

Ludovici Demontiosii Commentarius de Sculptura et Pictura.

Cum variis Indicibus copiosissimis.

Omnia in unum collecta, digesta, et illustrata a Joanne de Laet Antverpiano.

Amstelodami. Apud Ludovicum Elzevirium. Anno 1649. in fol.

De Laetio haec habet Georgius Matthias (1) Konigius: *Joannes de Laet Antverpiensis anno 1649. obiit (2). Indiam Occidentalem Libris decem et octo illustravit. Ad Dissertationem II. Grotii de origine Gentium Americanarum notas et responsionem reposuit. Ejusdem opera et studio respublicae et regna orbis praecipua prodierunt.*

Et Konigium, et (3) Valerium Andream viderat diligentissimus Niceronius, qui (4) Vitam Auctoris nostri dum scriberet, ingenue tamen, de ea vix quidquam sciri nunc posse, professus est. Tum ait, Joannem de Laet ortum habuisse vergente ad finem seculo decimo sexto. Addit (ex (5) *Constantino l'Empereur*) eum Rebus Indiae Occidentalis fuisse Praefectum; et ob Linguarum, Historiae, atque Geographiae peritiam claruisse. Demum quindecim ejus Opera enumerat, quorum postremum Editio Vitruvii est.

Haec autem ab eodem Jo. de Laet inscripta fuit Christinae Svecorum Reginae: nuncupatoria Epistola *data est XV. Maii.* 1649. Hinc probabile fit, peractam fuisse Editionem hanc ante mortem Joannis ipsius; quamvis hoc eodem anno 1649. is e vita migraverit, ut jam vidimus.

(1) Bibliotheca vetus et nova.
(2) Ejus Operis hic titulus est. Novus Orbis, seu Descriptionis Indiae Occidentalis Libri XVIII. Authore Joanne de Laet Antverp. Lugd. Batav. Apud Elzevirios. 1633.
(3) Bibliotheca Belgica de Belgis Vita Scriptisque claris.
(4) Memoires pour servir a l'Histoire des Hommes Illustres etc. Tome XXXVIII. A Paris. 1737. pag. 339. et seqq.
(5) In Praefatione ad Itinerarium Beniamini de Tudele.

Neque vero ex Carmine Danielis Heinsii, quod Indiae Occidentalis Descriptioni jam indicatae praefigitur, neque ex Epistola, qua ipsa Indiae Descriptio Carolo I. Magnae Britanniae Regi dedicatur, neque ex Epistola illa, qua Vitruvii Libri nuncupantur Christinae Sveeorum Reginae, lumen ullum habetur earum notionum, quae ad vitam ac studia ejusdem Joannis de Laet dispicienda facere queant.

Ab Cl. (1) Stolio *optima* vocatur *Editio* (haec) *quae Amstelodami* 1649. *fol. prodiit, cui praeter Commentarios Philandri aliorumque, Bernardi* (Bernardini) *Baldi Lexicon Vitruvianum, et Vitruvii Vita adcessit*; hactenus Stolius: haec tamen *Vita* eadem illa est concinnata a Philandro. At (praeter Stolium) a pluribus aliis doctis viris Editionem hanc fieri plurimi certum est; recte ne vero hi, an perperam, judicent, liquebit (opinor) ex dicendis. Res narrabo accurate, cum in hujuscemodi expositionibus non ut a poeta, sed ut a teste veritas exigatur. Ordior a Praefatione, qua initium Voluminis ornavit idem Jo. de Laet: in ea, *secutus sum*, ait, *accuratissimam editionem Gulielmi Philandri*: et haec haud dubie ea est, quae anno 1552. lucem aspexit. At conferendo cum hac propositam Joannis de Laet Editionem, et excerpendo duntaxat loca quaedam sparsim ac intercise, animadverti, plura ex utraque Editione desumta, et inter se comparata, differre. Quod vel ex apposita nostra Speciminis Tabella E satis perspicue constabit. Praeterea Philandri Lectiones praestantiores quidem sunt, et Codicibus magis consentientes. Verum si quis dicat, Variantes ab Operarum incúria ortas esse, de aliquibus non repugnabo: at multae sunt, quae Operis imputari non possint. Porro textus a Philandro sumi diligentissime debuisset, cum Editor noster, se Lectiones quasdam e Veteribus Tabella

(1) Gottlieb Stolii Introductio in Historiam Litterariam etc. Jenae. 1728. pag. 392.

E Tabella exhibens specimen differentiae inter nonnullas Lectiones Editionis Vitruvii cura Philandri 1552. et Editionis Vitruvii cura Jo. de Laet 1649.

Loca Editionis, quæ prodiit cura Philandri. 1552.	*Loca Editionis, quæ prodiit cura Jo. de Laet.* 1649.
Pag. 3 v. 11. poenas pendere viderentur.	Pag. 2. v. 42. poenas dare viderentur.
Pag. 18 v. 36. coloreque sunt temperata, minusque habent terreni.	Pag. 9 v. 29. coloreque habent terreni.
Pag. 19 v. 2. Itaque etiam atque etiam veterum.	Pag. 9 v. 35. Itaque etiam veterum.
Pag. 23 v. 19. difficiliter defenditur.	Pag. 11 v. 10. difficulter defenditur.
Pag. 27 v. 10. restituuntur in salubritatem.	Pag. 12 v. 20 restituuntur in sanitatem.
Pag. 28 v. 34. lineae ab extremis ad extremas circinationes.	Pag. 14 v. 1. lineae ad extremas circinationes.
Pag. 30 v. 7. ponendum in meridiana linea, quae tangit rotundationem, ubi est littera E.	Pag. 15 v. 27. ponendum in meridiana linea, ubi est littera F.
Pag. 79 v. 30. vocitaverunt.	Pag. 40 v. 5. nominaverunt.
Pag. 113 v. 13. epistilium: sin autem sigilla designari oportuerit, quarta parte altior, quam epistylium, ut autoritatem habeant scalpturae.	Pag. 57 v. 31. epistilium, ubi autoritatem habeant scalpturae.

Loca Editionis, quæ prodiit cura Philandri. 1552.	*Loca Editionis, quæ prodiit cura Jo. de Laet.* 1649.
Pag. 125 v. 7. eruditum esse rebus Architectum oporteat.	Pag. 59 v. 7. eruditum esse Architectum oporteat.
Pag. 132 v. 28. eorumque projecturas sinuaverunt.	Pag. 63 v. 18. eorumque prominentias sinaverunt.
Pag. 139 v. 1. spatia, quod latiores sunt metopae.	Pag. 67 v. 13. spatia, quod longiores sunt metopae.
Pag. 187 v. 17 synemmenon, quartis diatessaron ad diatonon meson, quintis.	Pag. 87 v. 11. synemmenon, in quartis ad diatessaron ad chromaticen synemmenon, in quintis.
Pag. 213 v. 19. inter eas ex transtillis inferior pars.	Pag. 100 v. 10. inter eas inferior pars
Pag. 346 v. 7. non satis oblita.	Pag. 171 v. 7. non oblita.
Pag. 410 v. 19. sed ad onerandas et exonerandas naves.	Pag 210 v. 11. sed ad onerandas naves.
Pag. 443 v. 15 ad nostra scripta hostes comparaut.	Pag. 236 v. 27. ad nostra hostes comparant.
Pag. 444 v. 12. Terebratur terebra foramen semidigitale.	Pag. 237 v. 16. Terebratur foramen semidigitale.

Manuscriptis, *non quidem in ipso Textu, sed ad marginem addidisse*, profiteatur. Hae vero Lectiones perpaucae sunt, praesertim postremis in Libris, cum vix decem ad quattuor postremorum Librorum oras numerentur.

Idem Jo. de Laet in nota, quam apposuit ad ea Vitruvii verba (1), *corpus*

(1) Lib. III. Cap. I.

his sex altitudinis terminando, haec profert; *ita est in omnibus editis ; in MS. autem Arundeliano legitur, corporis sexies altitudinis terminavit*; sed haec eadem verba, *corporis sexies altitudinis terminavit*, leguntur etiam in principe Editione; probabile igitur omnino est, Editionem primam (nempe illam perutilem) nequaquam innotuisse Joanni de Laet, qui *omnibus editis* lectionem duntaxat eam, quae in suo textu est, adtribuit.

In fronte autem hujusce Editionis promittuntur Gulielmi Philandri Notae, et Castigationes *integrae*: ac Daniel Georgius Morhofius rem (1) confirmat asserens, in Editione hac haberi *integras Guil. Philandri Notas.* Sed, si (exempli caussa) in Primo Libro examen instituas, invenies, Editionem Philandri centenis circiter ornatam annotationibus, harum vero vix quartam partem in Editione hac Jo. de Laet esse descriptam. Et quod fortasse magis miraberis, eae ipsae, quae descriptae sunt, integrae omnes non existunt; sed quaedam ex iis ipsis mutilatae fuere. Quin praetermittitur ea (praetermissa etiam in Baldi Opere *de verb. Vitruv. significatione*) in qua Philander de *Orthographia* verba facit, et subiicitur subsequens illa de *Sciographia*, quam Philander exorditur ita: *Quod de Orthographia dictum est, id etiam velim de Sciographia dictum.* At, ubi praetermissum fuit quod de Orthographia afferebatur, qui fieri poterit, ut spectantia ad *Sciographiam* cognoscantur? Hoc satis est, nec ulterius progrediar.

Danielis vero Barbari, cujus perampli perque utiles sunt in Vitruvium Commentarii, et ex quo *excerptae Notae* in fronte hujusce Editionis promittuntur (atque adeo praestantiores Barbari annotationes te in Editione hac inventurum esse existimas) Danielis, inquam, Barbari vix quinquies in proposito Libro mentio reperitur.

Et quamvis nonnulla Joannes de Laet ex Philandro, et Barbaro in Baldi Lexicon Vitruvianum retulerit, in quo jam plura ex duobus illis Auctoribus desumta reperiebantur (ut (2) supra demonstratum est) valde tamen ambigo, num ea cum praetermissis ita possint comparari, ut servata esse (saltem tolerabili compensatione) promissa dici queant. Sed de primi Libri comparatione, tamquam de specimine, satis dictum est. Aliis quoque in Libris inter Editionem ipsam, et ejusdem tituli promissa, nec difficilis, nec valde dissimilis esset comparatio.

Demum quod attinet ad illas in fronte Voluminis promissas Notas Claudii Salmasii *passim insertas*; animadvertere praestat, eas nihil aliud esse, nisi loca carptim desumta ex ejusdem Salmasii *Exercitationibus Plinianis*, de quibus jam (3) diximus.

Ad Vitruvii autem Libros nullae aliae Figurae adpositae sunt, praeter aliquas, quarum exstant in Philandri Annotationibus exempla. Non tamen Figurae omnes, quae Philandri Commentariis subjectae sunt, in hanc Editionem fuere translatae: sed, si illas, atque hasce numeres, Philandri fere dimidio plures esse reperies. Ut vero in Philandri Editione, ita in hac Figurae sunt ligneis formis (satis eleganter) impressae. Quamobrem minus caute (4) Daniel Georgius Morhofius scripsit: Editionem hanc esse *multis iconibus aeri*

(1) Polyhistor Litterarius. Lib. 4. Cap. 11. pag. 872.
(2) Ad Annum 1612.
(3) Ad Annum 1629.
(4) Lib. et pag. jam citatis.

incisis exornatam : porro, si Libri Frontem excipias, Figuram in aes incisam toto in Volumine nullam invenies.

Sed antequam de Figuris dicendi finem facio, animadvertam id, quod excusari qua ratione possit, plane non video. Desunt in hac Editione Figurae iis in locis, in quibus Figuras ipse Vitruvii textus omnino efflagitat. Scripserat, exempli gratia, Vitruvius (1): *ubi est littera A; gnomonis autem antemeridiana umbra ubi est B*; sic pergens Figurae litteras indicare; quamobrem verbis, litterisque illis convenientem Figuram restituerant dederantque Jocundus, Barbarus, Rusconius, alii. At in Editione proposita Jo. de Laet Figuram nullam adjecit (quo defectu etiam Philandri Editio laborat, quemadmodum jam (2) animadvertimus) quapropter totus ille Vitruvii locus mancus quidem remanet, atque imperfectus. Quod autem de hoc loco diximus, idem plane intelligendum est de octavo Capite Libri Noni: alibique etiam desiderantur Figurae, quae prorsus necessariae sunt; illae nimirum, quae a Vitruvio ipso expressis verbis, ceu appositae ad extrema Librorum, indicantur: quae saltem aut a Barbaro, aut a Rusconio, aut aliunde desumi poterant.

Quod vero attinet ad opera reliqua in hoc Volumen inserta, quae plus quam dimidiam partem ejusdem occupant, alia magis utilia sunt, alia vero minus. Inter prima numerabimus Philandri Epitomen in Agricolae Libros de Ponderibus et Mensuris. Deinde Meibomii Notas, quibus nonnulla loca Vitruvii ad Musicam pertinentia illustrantur. Item Goldmanni Volutam Jonicam restitutam, ut ipse Goldmannus ait; sed num vere alias erit dicendi locus. Tum vero Baldi Lexicon Vitruvianum, in quo nonnullos articulos decurtavit: exempli gratia ad verbum *Lysis* deest potior pars explicationis; deest figura; ac ubi legendum esset, *numquam nisi inversa*, legitur, *numquam inversa*. Nonnulla etiam vocabula praetermisit, sed totidem ferme adjecit Jo. de Laet; qui (3) praefatur ita: huic Lexico *nunc quamplurimas interpretationes adjecimus e scriptis Doctissimorum et Celeberrimorum Virorum, atque in primis summi Viri Claudii Salmasii, et nonnumquam nostrum quoque judicium adiecimus, ita ut novum opus videri possit*: num tamen novum opus, num etiam melius opus, dici queat, aliis judicandum relinquo. Numerabimus demum Baldi Scamillos Impares Vitruvianos; quod opus ubi recudi Jo. de Laet sua in Editione curavit, non omnes tamen a Baldo propositas Figuras in eandem transtulit.

Opera reliqua non adeo ad illustrationem Vitruvii facientia, quibus propositum augetur Volumen, sunt Wottonii Elementa Architecturae; Leonis Baptistae Alberti de Pictura Libri tres; Pomponii Gaurici de Sculptura Excerpta ex ejusdem Dialogo; Ludovici Demontiosii Commentarii de Sculptura et de Pictura. Quae singula neque ab Auctoribus illis cum in finem scripta fuere, ut Vitruvii Libri illustrarentur; neque reapse ad Vitruvii illustrationem valde conducunt. Opera tamen ipsa sunt, suo quaeque in genere, satis praestantia.

MDCLX.

I DIECI LIBRI D' ARCHITETTVRA DI GIO. ANTONIO RVSCONI.

(1) Lib. I. Cap. VI.
(2) Ad Annum 1552.
(3) Propositae Editionis pag. 2. secundae numerationis.

SECONDO I PRECETTI DI VETRVVIO NOVAMENTE RISTAMPATI, ET ACCRESCIVTI DELLA PRATTICA DEGLI HOROLOGI SOLARI.

In Venezia 1660. *Appresso il Nicolini.*

Ad extremum autem Voluminis leguntur haec.

In Venezia. Per Francesco Valvasense. 1660. *Adi* 25. *Maggio.*

Quod attinet ad textum, Editio haec paullo minus emendata est, quam Editio illa Joliti (1) superius commemorata, ex qua descripta haec ita fuit, ut illius paginis paginae hujusce respondeant.

Figurae autem pleraeque illis iisdem ligneis formis, quae adhibitae fuerant in Editione illa anno 1590. in hac etiam impressae sunt; sed in veteri illa Editione impressio multo diligentius nitidiusque ab Jolitorum operis peracta fuit.

Praeterea in novae hujusce Editionis pagina quarta, loco duarum Rusconii Figurarum, Figura Caryatidum Danielis Barbari reperitur: in pagina sexta et vicesima duae desunt Figurae: in pagina quadragesima prima, loco inferioris Figurae Rusconii, alia conspicitur, quae non pertinet ad rem: perperam vero repetita est in pagina centesima undecima, loco convenientis Figurae, Figura paginae centesimae septimae: Figurae, quae cernitur in pagina centesima vicesima quarta, novam formam ab imperitiore artifice scalptam fuisse, manifeste apparet: in centesima tricesima nona pagina, loco triremis, quae habetur in veteri Editione, cernitur schema triremis similis earum, quae seculo superiore fabricabantur.

Ad cujus calcem quod positum est additamentum *de Praxi Horologiorum Solarium* (quattuor pagellis contentum) vulgare est; et ad Vitruvii doctrinam illustrandam nequaquam facit.

Mirum itaque non est, si Editionem hanc docti viri quodammodo despexere. Quod vel ipse Salustius Plobbicius, qui eam procuraverat, aperte fatetur. In sua enim Praefatione ad Editionem Architecturae Sebastiani Serlii ((2) prodiit haec quoque opera et cura Plobbicii) habet haec: *Cum typis mandari olim curassem Jo. Antonii Rusconii, inter neotericos praestantissimi Architecti, opera . . . et adversam admodum expertus fuissem fortunam*; reliqua non addo.

Ceterum nihil de Plobbicio isto praemisi, quoniam nihil de eodem inveni. Duntaxat ex nuncupatoria Epistola, Serlii Architecturae praeposita, cognovi, fuisse Urbinatem, et circa illud tempus, quo commemoratam modo Serlii edidit Architecturam, eum floruisse, res ipsa declarat.

* MDCLXVIIII.

Librum Gallicum, cui titulus: *Traittè de l'Architecture suivant Vitruve . . . Par Maistre Julien Mauclerc* etc. (de quo jam (3) commemoravimus) ex Gallica lingua in Anglicam translatum fuisse, indicat Lipenii Bibliotheca,

(1) Ad Annum 1590.

(2) Opere di Architettura di Sebastiano Serlio. Italice et Latine. Venetiis. 1663.

(3) Ad Annum 1648.

in qua leguntur haec (1) : *Juliani Mauclerii Novus Tr. Architectonicus ad ductum Vitruvii ; in quo V. Ordines Columnarum 7. Capitibus. Anglice Lond. f.* 1669.

MDCLXXIII.

LES DIX LIVRES D'ARCHITECTVRE DE VITRVVE, CORRIGEZ ET TRADVITZ NOVVELLEMENT EN FRANCOIS, AVEC DES NOTES, ET DES FIGVRES.

A Paris, Chez Jean Baptiste Coignard, ruë Saint Jacques, à la Bible dor. 1673. fol. maj.

Claudius Perraultius, Operis propositi auctor, Petri, origine Turonici, in *Parlamento* (ut appellant) caussarum actoris, filius, in lucem editus fuit Lutetiae Parisiorum anno 1613. ut in ejus (2) vita legere est. Adscitus Claudius fuit in Medicorum Parisiensium Collegium, et in ipsa Regiae Scientiarum Academiae Institutione inter primos Academicos cooptatus. Cum autem observasset attendissetque sectiones brutorum animalium, eadem in Academia studio diligenti peractas, Commentarios conscripsit, Animalium Historiae perficiendae plurimum conducentes.

Plura etiam edidit Physica Opera (Tentamina appellavit) in quibus perscrutatus praesertim est naturam elaterii, soliditatis, gravitatis, peristaltici motus, circumitionis sebi per plantas, insertionis Thoracici Canalis, tonorum antiquorum, Animalium mechanicae, sensuum exteriorum, congelationis, atque transfusionis sanguinis ; praeterea vero indagavit diligenter proprietates aliarum quarundam rerum naturalium ; in quarum omnium explicatione, quamvis hypothesibus (ut ea ferebant tempora) nimis addictus fuisse, hoc tempore videri queat ; ejus tamen physicarum doctrinarum peritia, cjusque ingenii acumen, luculenter apparet.

Quin hanc illius Physicarum rerum doctrinam laudibus extulit etiam Nicolaus *Boileau Despréaux* ; qui tamen deinde subdidit haec magis ad nostram rem pertinentia) (3) *Messieurs de l' Academie des Sciences neanmoins ne conviennent pas tous de l'excellence de sa traduction de Vitruve, ni de toutes les choses avantageuses que Monsieur son Frere rapporte de lui* : id est : *Nihilominus inter Regiae Scientiarum Academiae Socios haudquaquam convenit de excellentia versionis*, quam (Perraultius) dedit Librorum *Vitruvii, neque de rebus singulis commendationi ejus conducentibus, quas refert ejus Frater.*

Excelluit etiam Claudius noster in Mechanicis. Exstat enim ejus (4) Opus posthumum continens plurium Machinarum descriptiones, ex quibus industria eximia Perraultium fuisse praeditum, colligi facile potest.

Sed Architectonicis rebus maxime studuit. Lutetiae Parisiorum, praeter cae-

(1) Bibliotheca Realis Philosophica. Tom. I. pag. 95.

(2) Ea vita exstat in Libro ita inscripto, Ouvres diverses de Physique et de Mechanique de M. C. et P. Perrault. Volume Premier. A Leide 1721. pag. 9. 18.

(3) OEuvres de Nicolas Boileau Despréaux. Tome Troisieme. A Amsterdam. 1717. pag. 192.

(4) Recueil de plusieurs Machines, de nouvelle invention. Ouvrage posthume. De M. Perrault etc. A Paris. 1700.

tera, architectatus est et *Regium*, ut appellant, *Observatorium*, aedificium oppido magnificum; et quadam in parte, frontem Regiae, quae *Lupara* dicitur.

Quae autem praestiterit in Vitruvii de Architectura Libris convertendis atque illustrandis, suo loco (1) dicemus. Id unum hic adjicietur (2), eum in Architectonicis schematis pingendis adeo excellentem fuisse, ut Tabulae in aes incisae, quibus ejus Vitruvii Editio ornatur, quamvis perpulchrae, Tabulas tamen illius manu delineatas, hoc est Tabularum in aes incisarum exemplaria non aequarint.

Vita functus est Perraultius noster Lutetiae Parisiorum, anno 1688. VII. Id. Octob. aetatis anno septuagesimoquinto.

De proposito Opere, concinnato adornatoque a Perraultio, ac magnifice edito, verba fient accommodatius eo loci, ubi secunda ejusdem Editio, quae prodiit anno 1684. erit recensenda.

MDCLXXIIII.

ABREGÉ DES DIX LIVRES D'ARCHITECTVRE DE VITRVVE.
A Paris, Chez Jean Baptiste Coignard 1674. in 12.

Philibertus *de l'Orme*, natione Gallus, S. Sergii Abbas, qui doctum Opus de Architectura gallice scripsit, eam habuit sententiam, ut (3) *quod ad Vitruvii recognitionem attinet, vellet ut ii, qui in illius Libris legendis docte et diligenter sunt versati, dispicerent quam necessaria ea foret, ut iidem Libri ad facilem integram et certam methodum adducerentur.* Tum ad eos orationem hoc modo convertit: *enixe*, ait, *eos oro, ut velint tempus aliquod insumere in eo, ut colligant et apte resuant partes Operis Auctoris hujusce magni atque incomparabilis, disiectas, hic et illic dispersas, non sine patenti ordinis perturbatione; quas tamen haud difficile erit ad concinnum ordinem, doctorum ope industriaque redigere.*

Claudius Perraultius, propositi Operis auctor, modo commemorato consilio Philiberti (ut innuit in Praefatione) permotus scripsit hoc Architecturae Compendium, doctum sane, atque elegans. Prima in parte res exposuit pertinentes ad Architecturam, quae non modo erant priscis temporibus, verum etiam nunc sunt in usu: itaque principio Architecturam tractavit generatim, tum vero egit de Ædificiorum firmitate, deinde modum docuit, quo ratio habenda est utilitatis; demum de Ædificiorum venustate, et de eorundem ornamentis verba fecit.

In altera parte, agens de Architectura propria Antiquorum, publica Ædificia primum, deinde privata, demum res utrique illorum Ædificiorum generi communes, persecutus est.

Adhaesit rebus, quas in suo Vitruvio Gallice edito anno 1673. proposuerat, Vitruvii ipsius doctrinam (non autem ordinem) servans. Ad extremum vero Compendii ejusdem, undecim elegantes Tabulae subjectae sunt, quibus adpositae cernuntur convenientes, perspicuae, utilesque explicationes.

(1) Ad Annum 1684.

(2) Jam citat. Oeuvres diverses de Physique etc. p. 10.

(3) Architecture de Philibert de l' Orme. A Paris. 1626. Liv. III. Cap. 6. pag. 62.

MDCLXXV.

COVRS D'ARCHITECTVRE ENSEIGNÉ DANS L'ACADEMIE ROYALE D'ARCHITECTVRE, PREMIERE PARTIE.

Ou sont expliquez les Termes, l'Origine, et les Principes d'Architecture, et les Pratiques des cinq Ordres suivant la doctrine de Vitruve et de ses principaux Sectateurs, et suivant celle des trois plus habiles Architectes qui ayent écrit entre les Modernes, qui sont Vignole, Palladio, et Scamozzi.

Dedié au Roy Par M. Francois Blondel de l'Academie Royale des Sciences, Conseiller, Lecteur, et Professeur du Roy en Mathematique, Professeur et Directeur de l'Academie Royale d'Architecture, Maréchal de Camp aux Armées du Roy, et cy-devant Maitre de Mathematique de Monseigneur le Dauphin.

A Paris. De l'Imprimerie de Lambert Roulland. Se vend chez Pierre Auboin, et Francois Clousier. 1675. fol.

Franciscus Blondel, natione Gallus, rerum Mathematicarum scientia, virtute rei Militaris, et laude ingenii, superiore saeculo, floruit. Datus (ut refert (1) Baylius) fuerat morum Magister Aloysio Henrico *de Lomenie* Brenae Comiti, nobilissimumque Juvenem comitatus est in itineribus, quae ille Julio Mense anni 1652. suscepit, peregitque mense Novembri anni 1655. Tum vero itinerum eorundem descriptionem edidit Blondellus. Deinde in militiam profectus, illustria munia, terra, marique obivit: quamobrem *Marescalus* (uti appellant) *Campi* creatus fuit: deinde etiam inter illos, qui Regi a sanctioribus dicuntur Consiliis, est adnumeratus. Addictus praeterea fuit Regio Delphino, ut ipsi Mathematicas Disciplinas demonstraret; cujus collatione muneris, honore maxime auctus est. Plura Gallico idiomate Opera scripsit; Mathematicum Cursum; Artem projiciendi ignivomos globos; Historiam Romani Kalendarii; Methodum novam Urbium muniendarum. Praefectus fuit Architectonicae, quae Parisiis erat instituta, Academiae, interque Socios (ut ex propositi Libri titulo apparet) Regalis Academiae Scientiarum adscitus. Mortem obiit Kal. Febr. 1686.

In prima hac Architectonici Cursus Parte egit Blondellus de Architecturae origine; et Vitruvii narrationem de ligneis Ædificiis, quae tamquam exempla veteres Architecti, in pulchrioribus constituendis Ædificiis ad imitandum ratione aliqua, sibi proposuerunt, optimo in lumine collocavit.

Persecutus postea est doctrinam quinque Ordinum Architecturae, secundum Vitruvii, aut veterum illius imitatorum praecepta. Deinde idem praestitit, Ordines illos universim considerando, et singillatim spectando rationes varias in Ordinibus illis formandis adhibitas ab Jacobo Barozzio, a Vincola, ab Andrea Palladio, atque ab Vincentio Scamotio.

Nunc veniamus ad nonnullas observationes, quae non modo ad Partem per-

(1) Dictionaire Historique et Critique. Ad vocem: Blondel (Francois.)

tinent hanc, verum etiam ad reliquas. Quibus de reliquis Partibus cum (1) infra agemus, intelligenda de iisdem quoque erunt haec.

Porro quae scripsit Blondellus ad illustrationem plurium Vitruvii locorum spectantia, non eodem ordine, quem secutus fuerat Vitruvius, exhibentur. Praeterea, neque citantur eadem Vitruvii loca; neque latina eorundem verba subjiciuntur: quorum alterutrum si praestitisset Blondellus, quaerentibus Vitruvii loca minus quidem fuisset laboriosa locorum eorundem comparatio.

Perutilia tamen multa sunt, ubi ad textum Vitruvii referantur, digeranturque. Insuper autem nonnulla ex Blondello seligi utiliter possunt ad emendandas reddendasque meliores Figuras aliquas ex iis, quae pro illustratione textus Vitruvii adhibentur.

Quaedam vero sunt, quae Blondellus deprompsit ex Philandro, ex Barbaro, aliisque, qui in Vitruvii Libris explicandis elaboraverunt, nonnulla etiam ab his tractata, effecit ille meliora.

MDCLXXXI.

ARCHITECTVRE GENERALE DE VITRVVE REDVITE EN ABREGÉ, PAR M. PERRAVLT DE L'ACADEMIE DES SCIENCES A' PARIS.

DERNIERE EDITION ENRICHIE DE FIGVRES EN CVIVRE.

Amsterdam, Aux dèpens des Huguetan, Et se vend chez George Gallet. 1681. in 12.

Ex Editione illa, quae prodiit anno 1674. sub titulo hoc, *Abregè de dix Livres d'Architecture de Vitruve*, proposita haec Editio (levi duntaxat tituli mutatione) desumpta fuit: illiusque paginae respondent hujusce paginis. Satis haec etiam emendata est: primae tamen Editionis Tabulae in aes incisae, aliquantulo praestant Tabulis, in aes itidem incisis, Editionis hujusce secundae.

MDCLXXXIII.

COVRS D'ARCHITECTVRE.

SECONDE ET TROISIEME PARTIES.

QVATRIEME, CINQVIEME ET DENIERE PARTIE.

Quarta Pars, cui adjungitur Quinta, quae ultima est, peculiarem habet Frontem sive Titulum; sed, excepto Partium numero, simillimum Tituli Partis secundae, cui tertia est adjuncta.

Par M. Francois Blondel de l'Academie Royale des Sciences etc. (sunt enim tituli iidem, qui in (2) Parte prima recensiti fuere)

A Paris. Chez l'Auteur, au Faux-Bourg Saint Germain, et chez Nicolas Langlois rüe S. Jacques. 1683. fol.

In Parte operis Secunda (de Prima jam (3) supra dictum est) egit Blondellus de Columnis, de Stylobatis, de Trabeatione, tum singillatim de Epi-

(1) Ad Annum 1683.
(2) Ad Annum 1675.
(3) Ad eundem Annum 1675.

stiliis, de Zophoris, et de Coronicibus, deinde de Fastigiis, de Columnis quadratis, atque de Caryatidibus. Quarum rerum et universalem doctrinam tractavit, et peculiari quadam ratione praecepta exposuit Baroccii, Palladii, Seamotii, nec non Vitruvii nostri.

Neque secus egit in Parte Tertia, cui identidem Vitruvii placita rationesque interseruit, dum verba fecit de Intercolumniis, ac de Columnarum Ordinibus, quorum alter alteri superimponitur.

Arcuum autem sive Fornicum, Porticuum, Fenestrarum, Portarumque structuras varias, varias mensuras, multiplices rationes, ac ornamenta persequitur diligenter in Parte Quarta Blondellus, raro praetermittens ea, quae ex Vitruvio, ad res suas spectantia, desumi utilius poterant.

Demum in postrema, seu Quinta, Parte agitur de Pontibus, de Aquaeductibus, de Cloaeis, de Scalis, de Perspectivae usu in Architectura, atque de Proportione partium, quae in rebus Architectonicis adhibentur. Ubi vero res tales sunt, quales etiam Vitruvius in suis Libris attigerit, Vitruvii doctrina de rebus iisdem saepe locum obtinet principem, explicatur, illustraturque.

MDCLXXXIIII.

LES DIX LIVRES D'ARCHITECTVRE DE VITRVVE CORRIGEZ ET TRADVITS NOVVELLEMENT EN FRANCOIS AVEC DES NOTES ET DES FIGVRES.

SECONDE EDITION REVEVE, CORRIGÉE, ET AVGVMENTÉE.

PAR M. PERRAVLT DE L'ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES, DOCTEVR EN MEDECINE DE LA FACVLTE DE PARIS.

A Paris. Chez Jean Baptiste Coignard, Imprimeur ordinaire du Roy, rüe S. Jacques, à la Bible d'or 1684. fol. maj.

In Editione hac, magnifica profecto et emendata, eadem Nuncupatoria, eademque Praefatio (si pauca verba excipias) leguntur, quae Editioni anni 1673. praefigebantur. Breve duntaxat, pro nova hac Editione, Monitum adjectum est.

Etsi alias ab Joanne Martinio, de Gallica lingua in Latinam conversi editique exstarent Vitruvii Libri (opem ei Editioni tulit Joannes Govion, ut jam (1) innuimus) versio tamen haec Perraultii nova omnino est. Libertate autem quadam in versione hac usus est idem Perraultius (quemadmodum etiam ipse in Praefatione ad Opus suum profitetur) *Je ne fais*, scribit, *point d'excuse de la liberté que j'ay prise de changer les phrases . . . j'ay fait consister toute la fidelité que je dois à mon Auteur, non pas a mesurer exactement mes pas sur les siens, mais à la suivre soigneusement où il va.*

Stylus, quo usus est Perraultius in Gallica versione, habita etiam ratione genii (ut loquuntur) Gallicae linguae, magis quidem ornatus et copiosus, minus vero pressus et gravis, quam Latinus Vitruvii stylus esse videtur. Quam vero Latinam Editionem secutus potissimum sit Perraultius, non liquet; sed meliores ei fuisse ad manus dubitandum non est. Neque tamen de variantibus Lectionibus sollicitus admodum fuit, rationemque ipse (2) affert, a nobis nullo

(1) Ad Annum 1547.

(2) Ad calcem suae Praefationis.

modo praetermittendam (de qua tamen alii viderint) *cette traduction*, scribit ille, *n' est pas tant faite pour les doctes curieux, que pour les Architectes Francois, que l'on n'a pas voulu faire attendre aussi long-temps qu'il avroit estè necessaire pour chercher les diverses lecons dans les Manuscripts de toutes les Biblioteques du Monde*: hoc est: *Vitruvium in Gallicam linguam converti, non tam in gratiam doctorum, qui res, et verba curiose persequuntur, quam in Gallorum Architectorum gratiam: neque vero opus meum expectari volui tamdiu, quamdiu fuisset expectandum, si prius variantes lectiones quorumcumque Manuscriptorum, in omnibus Mundi Bibliothecis delitescentium, quaerendae fuissent.*

Quod autem attinet ad ipsam Vitruviani textus versionem utriusque a Perraultio exhibitae Editionis; vix, aut ne vix quidem, quidpiam interest differentiae inter Editionem primam et hanc.

Sed quod ad Annotationes spectat, quas Vitruvii Libris ille subjecit, non exigua differentia inter hanc, primamque Editionem intercedit: scribit tamen suo in Monito: *il est pourtant vray que ce ne sont pas tant les corrections qui font la difference de ces deux Editions, comme les augmentations des Notes*: idest: *verum itaque est, differentiam inter duas hasce Editiones, non tam oriri ex emendationibus, quam ex additionibus Annotationum.* Fatetur praeterea, se egisse de pluribus rebus, quae non tantum pertinent ad illustrationem Vitruviani textus, verum etiam ad utilitatem eorum, qui Scientiis, melioribusque Artibus delectantur.

Et quidem Perraultii Annotationibus res plurimae vel ad illustrationem locorum Vitruvii, vel ad doctrinas varias, variamque eruditionem, facientes continentur. Harum alias de penu suo ille depromsit, plures vero ex doctioribus Vitruvii Interpretibus, atque ex Auctoribus melioris notae desumsit. De quorum allegationibus, animadvertere hercle debemus, cum ita in Praefatione sua statuisse: *Pour ce qui est des Auteurs alleguez dans les Notes, on s'est contente de les nommer, sans marquer l'endroit de leurs ouvrages, d'où sont pris les temoignages que l'on leur fait rendre: parce que l'on n'a pas tant affecté l'apparence d'erudition que la netteté et l'eclaircissement des choses que l'on a expliquées: Car le discours auroit paru plus confus et plus embarassé, s'il eust esté interrompu par des citations et par des renvois importuns.* Nimirum, Auctorum nomina referre, eorundem vero locorum citationes praetermittere satius, ait, se duxisse, quam citationibus pluribus res implicare: itaque videtur timuisse, ne rerum ipsarum expositiones ex citationibus fierent obscuriores. Nullus tamen dubito, quin plerisque rem ille facturus fuisset multo gratiorem, si Auctorum loca (quod satis perspicue fieri potuisset) distincte diligenterque indicasset.

Neque deerunt fortasse qui nimis obscuram putent illam, in eadem Praefatione, sententiam, qua idem Perraultius profitetur se esse *bien loin d'approuver la modestie de ceux qui n'ont osé toucher au texte de Vitruve*: hoc est: *sibi non probari modestiam eorum, qui, nihil ausi, intactum Vitruvii textum reliquerunt*: optarint enim clarius haec explicata; idest quatenus, et quibus regulis, verba textus Vitruvii ipse mutari posse arbitraretur. Non deerunt etiam qui nonnullas alias ipsius opinationes non sint amplexuri; et alii fortasse erunt, quibus satisfecisset ille quidem magis, si variis in locis Vitru-

vii menti perscrutandae operam tam sedulo dedisset, quam dedit regulis quibusdam Architectonicis constituendis.

Figurae autem sunt perelegantes. Minores formis ligneis impressae, ut commódius suis locis aptarentur; majores in aes incisae, et respondentes ubique explicationibus, quas iisdem adjecit, ubi textui et annotationibus non satis commode Tabulae essent appositae. Aliae autem solis lineis formatae sunt ad indicandas mensuras et proportiones a Vitruvio praescriptas: aliae quibusdam pictorum artificiis haudquaquam carent.

In utraque a Perraultio adornata Editione Figurae eaedem sunt, si excipias Tabulas tres, quae Editioni huic secundae accessere; prima ad Cap. V. Libri VI. altera ad Cap. XVII. Libri X. tertia ad Cap. XVIII. ejusdem Libri; et si itidem excipias Figuram II. Tabulae IIII. quae de novo addita est; et Figuram I. Tabulae V. quae mutata fuit; atque loco prioris, alia ex Rusconio desumta: ut desumta fuerat etiam Figura II. Tabulae ejusdem. Quin etiam paucarum quarundam aliarum ideae ex ipso Rusconio videntur profluxisse. Sed tamen illud dissimulandum non est, haud dubie Claudium Perraultium ad quamdam magnificentiam (ut ita dicam) ampliorem ea, quam ante ipsum Rusconius, Barbarus, aliique appetierant, felicissimis auspiciis contendisse.

Ubi vero Danielis Barbari mentio incidit, monebo; jam laudatum Apostolum Zenum, illustrandae litterariae historiae semper acuteque intentum, quaedam nuper detexisse, et mecum hisce ipsis diebus communicasse, monumenta (vel praestantiora Necrologio, de quo supra, commemoratum est) ex quibus colligi facile potest, Danielem Barbarum ex vivis excessisse pridie Id. April. anni, jam a nobis indicati, 1570.

Sed ut eo revertar, unde discessi: licet quaedam sint, quae in hac quoque Perraultii Editione desiderari quidem posse videantur; concludam tamen, Editionem hanc inter utiliores adipiscendae Vitruvii Librorum intelligentiae, jure meritoque esse reputandam.

MDCLXXXVIIII.

CLAVDII SALMASII PLINIANAE EXERCITATIONES IN CAII IVLII SOLINI POLYHISTORA. ITEM CAII IVLII SOLINI POLYHISTOR EX VETERIBVS LIBRIS EMENDATVS.

Accesserunt huic Editioni de Homonymis Hyles Jatricae Exercitationes antehac ineditae, nec non de Manna et Saccaro.

Tomi duo.

Trajecti ad Rhenum. Apud Joannem vande Watter etc. 1689. fol.

Quae huic Editioni additae sunt Exercitationes nihil pertinent ad nostrum institutum. At scire juvat (praeter additiones illas) in hac Editione suis locis inserta fuisse *Addenda Exercitationibus in Solinum*, quae in priore (1), jam recensita, Editione ad extremum secundi Voluminis omnia reperiebantur, complebantque paginas plus quam triginta. Praeterea vero in Editione priore *omissa* atque *commissa*, quorum editae adjunctaeque *correctiones*, sex integras

(1) Ad Annum 1629.

paginas occupabant, jam suppleta, atque correcta omnia, suis in locis in nova hac Editione reperiuntur.

In hac etiam Indices purgati, emendati, reconcinnati, et (ubi opus fuit) aucti sunt, cura et diligentia Samuelis Pitisci; ut ex ipsius Praefatione, quae sub propositae modo Editionis initium legitur, colligere est. Itaque hisce de caussis alteram hanc Editionem, pro re nostra, priori illi esse praeferendam, nemo dubitabit.

* MDCLXXXXVI.

In Libro, cui titulus (1): *La Galleria di Minerva*: habentur haec (quae latine reddidi) *Celeberrimus* Godfr. Guil. *Leibnitzius eruditissima epistola sua, scripta die* 11. *Junii, missaque ad* Antonium *Magliabecchium, nuntiat* quae *sequuntur* . . . inter cetera, *Abbatem Nicasium Lutetia Parisiorum ipsi Leibnitzio scripsisse*, Abbatem Franciscum *Nazarium, celebrem Auctorem Ephemeridum Litterariarum Romae prodeuntium, in eo esse ut Typographis tradat Annotationes in Vitruvium, et in Frontinum.* Quin Jo. Albertus Fabricius (quem locus modo descriptus non latebat) addidit praeterea (2): *De Adriani Auzuti sive Azovii, commentariis in Vitruvium, et Frontinum, vulgandis a Francisco Nazario jam spes facta fuit in Tentzelii Dialogis menstruis A.* 1692. *pag.* 825. 1010.

Porro inter Abbatis Nazarii Libros, qui ad ejus fratris filium, Bartholomaeum Nazarium, ornatissimum virum, Medicinae Doctorem, pervenere; Libri involucrum quoddam erat, plures chartulas schedulasque continens, inter se minime compactas; in quibus annotationes, sive scripta alia ad Vitruvium spectantia, exaraverat Abbas Nazarius, ac quasi in adversaria quaedam conjecerat. Quas schedas, domi ejusdem Bartholomaei, in Tertio, Vico (qui distat Bergomo M. P. XIIII. ad Eurum) viderat olim vir doctissimus eruditissimusque Antonius Tertius Bergomensis, in hoc Gymnasio Juris Caesarei interpres eximius; qui, pro egregia sua erga me humanitate, nulli investigationi, nulli diligentiae pepercit, ut schedae illae reperirentur: at labores omnes in cassum cecidere; cum laudatus Bartholomaeus Nazarius, post diuturnam perquisitionem, certo compererit, ac testatus sit, domesticorum incuria, schedas illas laceras atque dispersas periisse.

MDCLXXXXVIII.

COVRS D' ARCHITECTVRE ENSEIGNÉ DANS L' ACADEMIE ROYALE D' ARCHITECTVRE.
PREMIERE PARTIE.
SECONDE, ET TROISIEME PARTIES.
QVATRIEME, CINQVIEME ET DERNIERE PARTIE.

Aliquae ex his partibus Frontes, sive Titulos, habent peculiares quidem, sed tamen (exceptis Partium numeris) similes Tituli Partis Primae.

Ou sont expliquez les Termes, l' Origine, et les Principes d' Architectu-

(1) In Venezia, pag. 236. (2) Bibliotheca Latina. Tom. I. pag. 341.

re, et les Pratiques de cinq Ordres suivant la doctrine de Vitruve etc. (ut (1) alias descripsimus.)

Dedié au Roy. Par M. Francois Blondel de l'Academie Royale des Sciences etc.

A Paris, chez l'Auteur. Et se vend a Amsterdam chez Pierre Mortier. 1698. fol.

Quamvis in propositis titulis hunc Architectonicum cursum venalem fuisse apud Auctorem anno 1698. scribatur; is tamen (nimirum Franciscus Blondellus) ad plures, anno 1686. transierat, ut (2) jam narravimus. Sed, hic scribi de Auctoris Haeredibus, intelligendum est.

Quos Haeredes plura exempla Cursus ejusdem, ab Francisco Blondello editi, dedisse Petro *Mortier* Bibliopolae Amstelodamensi, verisimile prorsus arbitror. Neque enim Editio haec, quae praefert annum 1698. nova est, sed est eadem, quae partim anno 1675. partim anno 1683. prodierat. Renovati quidem fuere tituli, tum ut Cursum illum etiam Amstelodami prostare apud Petrum *Mortier* innotesceret; tum ut (ad hosce Libros reddendos vendibiliores) novis in titulis appellaretur *Editio* haec *Secunda*, atque ideo signaretur anno 1698.

Praeterea ab hac proposita Editione fuere adempta folia, quibus Regis (ut appellant) Privilegia continebantur: quibus in foliis si qua alia erant, haec iterum fuerunt impressa. Impressae item fuere in nonnullis Figurarum Tabulis paucae quaedam novae litterae inservientes ordini foliorum indicando. In Parte Quinta folium signatum numeris 695. 696. impressum recens fuit. Una etiam aut altera ornamentorum figura commutata videtur. Sed haec, et perpauca similia, si excipias, concludendum est, propositam hanc Editionem (ut jam innuimus) non novam esse, sed eandem illam, quae annis 1675. et 1683. lucem adspexerat. Quamobrem consequitur, ut quae scripta a nobis (3) supra jam fuere, ad hunc quoque locum omnino pertineant.

MDCCIII.

THE THEORY AND PRACTICE OF ARCHITECTVRE: OR VITRVVIUS AND VIGNOLA ABRIDG'D.

The first, by the famous M. Perrault, of the Royal Academy of Sciences in France (and carefully done into English) And the other by Joseph Moxon and novv accurately publish'd the Fifth Time.

London: Printed for R. Wellington, at the Dolphin and Crown in St. Paul's Church Yard: 1703. in 12.

Ex nuncupatoria Epistola, qua hic Liber *Domino Murrey* inscribitur ab *A. Boyero*, colligendum esse videtur, hunc *Boyerum* de Gallica lingua in Anglicam Compendium Perraultii convertisse. In Praefatione tamen legitur, Com-

(1) Ad Annum 1675.
(2) Ad eundem Annum.
(3) Ad Annum 1675. et Ad Annum 1683.

pendium illud, non modo Gallice, sed Anglice etiam scriptum, magno in pretio habitum, quamvis in Anglicam linguam fuisset conversum non sine erroribus plurimis, a quibus haec purgata fuit editio: unde licet suspicari, Anglicam aliam hujusce Compendii Editionem ante hanc exstitisse.

Porro Praefatio illa habet pauca quaedam e Perraultii Gallico Prooemio desumta, pleraque tamen alia fluxere ab Auctore, qui Anglicam hanc Editionem adornavit. Qui etiam principio nonnulla Perraultii, minus necessaria, praetermisit: ac toto in opere non servili quadam ratione, sed ea libertate, qua facilius posset Anglice reddere Perraultii Librum, usus est. Quin etiam ordinem omnino eundem divisionum Perraultii in Capita, sive in Articulos, non est persecutus, opus tamen suum concinne divisit.

Figurae in aes incisae, atque earundem explicationes, prorsus Perraultii Figuris explicationibusque respondent.

* MDCCV.

Jo. Alb. Fabricius, postquam nominavit (1) *Perraultii Epitomem Vitruvii*, subdit: *quae in Anglicam linguam e Gallico translata vidit lucem Lond.* 1705. Sed fortasse *cifram* 5 pro *cifra* 3. posuit Typographus; atque Editio haec eadem est, ac illa (2), de qua superius est commemoratum. At, praeter illam, exstitisse aliam Anglicam (ante annum 1703.) versionem *Vitruvii contracti a Perraultio*, suspicionem efficiunt (ut alias indicavimus) ea verba a nobis (3) relata, quibus adseveratur, Compendium idem jam *in Anglicam linguam fuisse conversum non sine erroribus plurimis.*

MDCCXI.

COMPENDIO DELL' ARCHITETTVRA GENERALE DI VITRVVIO OPERA DI MONS. PERRAVLT.

DI NVOVO COMPENDIATA, E RISTRETTA NELLA PRESENTE TRADVZIONE ITALIANA DA C. C. C.

Con le figure in Rame delineate, ed intagliate da Filippo Vasconi Architetto e Cittadino Romano.

Venezia 1711. *Appresso Girolamo Albrizzi.* in 8.

Sub tribus illis litteris C. latet nomen hoc, *Comes Carolus Cataneus*: quam notitiam erui non sine difficultate. Difficilius vero mihi fuit ab eodem clarissimo Viro (qui admodum juvenis in concinnando Compendio illo est versatus) impetrare, ut ejus nomen detegerem; neque enim est modestia ejus minor virtutibus ceteris doctrinaque, quibus ornatus est.

Opus hoc ex Vitruvii Compendio, jam a nobis (4) commemorato, quod Perraultius dederat, maxima ex parte provenit; ut vel ipse fert Libri titulus. *Iterum compendiatum* dicitur, quia nonnullae res, praesertim vero ad milita-

(1) Bibliotheca Latina. Tom. I. pag. 345.
(2) Ad Annum 1703.
(3) Ibidem.
(4) Ad Annum 1674. Et ad Annum 1681.

rem artem pertinentes, praetermissae fuere; cum doctissimus Auctor propositae versionis solam Civilem (ut appellant) Architecturam spectaret. Porro Italis, hujuscemodi Architecturae studiosis, sane utile Compendium hoc esse potest.

* MDCCXV.

Vitruvius Britannicus. Ou l' Architecte Britannique, contenant les Plans, Elevations, et Sections des Batimens Reguliers, taut Particuliers que Publics de la Grande Bretagne. Compris en 200. *grandes Planches gravez* etc. *Par le Sieur Champbell.* Anglice, et Gallice. London. 1715. fol. Tomi duo. Porro *Vitruvii* nomen aliquid etiam ad res Vitruvii nostri spectans indicare posse videretur: at Voluminibus hisce nullae res aliae, nisi schemata et descriptiones Ædificiorum insignium, quae in Magna Britannia sunt, continentur.

* MDCCXXVIII.

Roberti Castelli Propositum convertendi Vitruvii Libros de Latina in Anglicam Linguam, eosdemque explicandi colligimus ex (1) *Actis Eruditorum Anno* 1731. *Lipsiae publicatis*; in quibus (2) Operis ab eodem Castello de Villis Antiquorum (Anglica Lingua) scripti, specimen exhibetur, cujus verba prima sunt haec: *Cum statuerit Auctor Vitruvium transferre Anglice et explicare, hanc quasi praeexercitationem, aut promulsidem esse, quod docet in Praefatione, voluit.*

Hactenus de M. Vitruvii Librorum Editionibus, atque de illustribus eorundem Editoribus ac Interpretibus, satis, aut plus etiam satis, dictum est.

Itaque nihil quicquam adjiciam de doctis Viris, qui aut res Architectonicas pertractantes, aut aliud (ut ita dicam) agentes, nonnulla Vitruviana loca, cum aliqua objiceretur occasio, attigere. Inter quos numerandus sane esset Poliphilus (seu, si verum ejus nomen cognomenque sequimur, Franciscus Columna) quem Architecturae quasi instauratorem Andreas Felibienus, historiae Architecturae peritissimus, nobis ante oculos ponit; cuique praeconium singulare tribuit his verbis (3): *Car* (ait ille) *quelque idée avantageuse que Vitruve ait donné de l' Architecture ancienne, Poliphile semble encore la reprèsenter avec plus de majesté et de grandeur: il la fait envisager comme la seule science qui regit tous les Arts et qui embrasse elle-même les notions les plus sublimes. Il rapporte a cette science non seulement l' ordonnance et la construction de toutes sortes d' édifices, mais encore l' intelligence parfaite de ce qui doit décorer et accompagner ces grands ouvrages.* Ac ut de Poliphilo hoc alia dicenda suppeditassent, ita etiam de Leone Baptista Alberto, de Serlio, de Palladio, de Scamotio, deque pluribus aliis: veruntamen videri possim, munere satis defunctus, qui diligenter intulerim in annotationes plura Auctorum illorum loca, quae quidem ad Vitruvii Libros pertinerent.

(1) Pag. 109.

(2) The Villas of the Ancients illustrated by Robert Castell. London. 1728. fol.

(3) Les Plans et les Descriptions de deux Maisons de Campagne de Pline le Consul. A Londres. 1707. pag. 122.

Ex dictis autem cernere hujusmodi rerum peritos facile posse, opinor, qualis pateat rerum campus volenti, quae in Vitruvianis Libris lucem etiam nunc desiderant, illustrare. Saltem visus ego mihi sum haud obscure vidisse, praesto esse adjumenta multa ad adornandam novam Librorum Vitruvii Editionem; neque sane futuram inutilem operam, quae in ea conficienda augendaque poneretur. Nimirum dari posse Vitruvii Libros sedulo emendatos, castigatosque, et ad antiquam fidem restitutos; nec non observatioues, seu annotationes, quibus indicentur emendationum, castigationum, ac restitutionis ad antiquam fidem, caussae atque rationes: his autem variantes Lectiones; praesertim ex Codicibus manu scriptis desumtas, adjici oportere, etiam me tacente, intelligit quilibet. Manifestum itidem est, curam in primis esse habendam Figurarum, quibus (ut ex ipso Librorum contextu facile constat.) instruxerat Vitruvius ornaveratque Libros suos: iuterciderant illae quidem injuria temporum, sed a viris doctis ferme sunt restitutae.

Dictionarium praeterea Vitruvianum percommodum perque utile habendum satis apparet: quod posset novo concinnari et digeri ordine; ordine scilicet scientiae rerumque; ut staret Institutionum Doctrinarum Vitruvianarum loco; quemadmodum Perraultius in sua Vitruvii Gallica Epitome quodammodo tentavit. Diversa autem ratione adhibita, possent distribui per ordinem Alphabeti verba. Quin etiam possent, modo alio, vocum singularum explicationes sub textu loco suo quaeque inseri. At distinctius digerens ea varia ac multiplicia, quae conquisivi atque mihi jam comparavi, melius perspiciam, opinor, methodum aut unam, aut plures, quae conducibiliores esse videantur.

Ubi vero quae viri doctissimi dederint, attendautur, facile liquet, haud exigui quidem momenti esse reputandas Annotationes ad illustranda Vitruvii loca illa, quae illustratione indigeant, neque tamen possint ad Vitruvianum *Dictionarium* proprie referri. Sed hae textuine subjiciendae sint, an in unum sejunctum corpus redigendae, tum demum dispiciendum veniet cum de *Dictionario* constituam. Illi vero et hisce Figuras, pertractatis rebus aptas, perspicuitatem eximiam conciliaturas esse, nemo non videt.

At praeter haec omnia considerandae profecto sunt nonnullae explicationes quorundam Vitruvii locorum, necnon res quaedam ad Vitruvii Libros illustrandos apprime facientes, quae a viris doctissimis singillatim aut scriptae aut editae sunt; non illae quidem nimis longae, sed tamen quae inter Annotationes, vel infra Vitruvii textum, nullo laudabili modo locum queant obtinere. Cujusmodi (caussa exempli) sunt, Amicissimi Collegae nostri, Viri Celeberrimi, Jo. Baptistae Morgagni Epistola de quodam Vitruvii loco ad Rem Medicam attinente, Anonymi Compendium Architecturae, Bernardini Baldi Vita Vitruvii, Ejusdem Scamilli Impares Vitruviani, Jo. Baptistae Bertani obscurorum et difficilium Vitruvii locorum de Jonico Opere Explanatio, Claudii Ptolomaei Epistola de rebus pluribus ad absolutam Librorum Vitruvii Editionem conducentibus, et alia hujusmodi; quae omnia uno Vitruvianarum Exercitationum vocabulo comprehendi posse opinor. Eae itaque (ut jam a nobis fieri coeptum est) seorsim ut proferantur, suapte natura requirunt; idque libere profecto exequi datum erit, nulla ordinis temporisve ratione servata. Quando enim certum sit, eas editum iri, atque una cum Vitruvii Editione haberi posse; haud dubie etiam in Annotationibus illas, vel illarum utilia loca, indicare plane licebit; quod unum necessarium esse videtur.

Et ad eas Exercitationes insuper accedere quaedam possent (ut ita dicam) Additamenta. Nimirum Henrici Wotonii Elementa Architecturae, Leonis Baptistae de Albertis de Pictura Libri tres, et similia Opuscula quaedam alia, quae Jo. de Laet suam in Vitruvii Editionem (an. 1649.) nunc magno in pretio habitam, intrusit. Quae Opuscula, quamvis minus pertinentia ad Vitruvii illustrationem, si nova in Editione desiderarentur; satis haberent caussae nonnulli, cur judicarent, veterem illam Editionem novae, eo saltem nomine, praestare.

Demum utiles forent Indices duo. Alter Vocum omnium Vitruvianarum, similis Indicum, qui Libris ad usum Serenissimi Delphini egregie fuere accommodati. Alter Auctorum atque Rerum in universum Opus. Sed haec quoque indicavisse satis modo est.

Nunc autem quando de manu scriptis Codicibus paullo supra sermo incidit, in extrema hac nostri Commentarii parte, loco sive utilis parergi, sive necessariae Appendicis, nonnulla de Codicibus, quorum variantes (ut appellant) Lectiones mihi erunt usui, subjiciam. Ac, praetermissis iis multis, quae eorundem occasione, de antiquorum Codicum varia scriptura observaveram, et in mea adversaria conjeceram; paucis indicabo quid in meum agellum ex Codicum fontibus sit derivatum; idque adhibitorum Codicum recensione conficiam: qua peracta, fastigium quoque Commentario huic nostro recte videri poterit impositum.

I. Elegans Librorum Vitruvii Codex, qui decimoquinto seculo scriptus facile fuit, Venetiis in publica Divi Marci Bibliotheca asservatur. Pertinuit ad S. R. E. Cardinalem Bessarionem, cujus manu in fronte Voluminis apposita est nota haec: *Vitruvius de Architectura, et Vegetius de Re Militari. Liber meus B. Car. Tusculani.* Ex eo variantes aliquot Lectiones descripsi: tum vero themata veluti quaedam capitum; quae, loco Indicis, ante Libros Vitruvii leguntur. Vitruvii tamen Libri in Capita secti minime sunt, sed in crebros breves articulos, partitione sane non inconcinna: itaque tria quattuorve prima verba ex singulis articulis excerpsi, ut mihi, divisionem in articulos meditanti, aliquo essent adjumento.

II. Venetiis itidem, in Bibliotheca Viri Nobilissimi Girardi Sagredi, Ædis Marciae Procuratoris, alius Codex Librorum Vitruvii est: ad ejus extremum exstant quae subjeci:

1404. Τέλος IO. NY.

quare Codicis aetas perspicue apparet. Contuli diligenter eum Codicem cum Editione Vitruvii Tornaesiana anni 1586. atque ad hujus margines variantes cunctas Lectiones, et quae alia notatu digna visa sunt, adscripsi.

III. In Gulielmi Philandri Annotatione ad Vitruvii Libri V. Cap. IIII. verba illa, *In diatono vero tonum*, legeram haec: *In manuscripto exemplari; quod Bononiae in D. Salvatoris Bibliotheca vidimus*: et etiam prius in iisdem Annotationibus, ad Caput I. Lib. III. *Codicis Manuscripti Bononiensis* (hoc est, ut arbitror, ejusdem illius, qui in Bibliotheca D. Salvatoris est) mentionem inveneram. Tum vero, cum de eodem notitiam quaesivissem, comperi, hoc idem Exemplar (scriptum, ut videtur, paullo post finem seculi decimi tertii) adhuc in Bibliotheca eadem reperiri: ad ejus autem calcem ita scriptum est: *Liber Joannis Tinti in maxima frequentia scriptus Florentiae.* Itaque nonnullas variantes lectiones, et integras quasdam periodos, quibus

praesertim indigere me posse arbitratus sum, petii; ac diligenter ex eodem descriptas exemplari habui, partim a celeberrimo Viro Francisco Maria Zanotto, Publico in Bononiensi Gymnasio Professore, Scientiarum autem et Artium Instituto atque Academiae a Secretis; partim ab eruditissimo D. Joanne Chrysostomo Trombellio, quorum humanitati eas acceptas me referre par est.

IIII. Librorum Vitruvii Codex (qui non multo ante inventam artem Typographicam scriptus esse videtur) exstat Caesenae in Bibliotheca Coenobii, Divo Francisco Sacri, *Fratrum* (ut appellant) *Conventualium*; quam Leander Alberti, in sua (1) *Italiae Descriptione*, Bibliothecam sumptuosam, pluribusque magni pretii, ac raris Libris ornatam, appellat: et Joannes Blaeu in suo (2) *Geographiae Volumine Octavo*, quo Italia continetur, habet haec: *Videre est* (Caesenae) *ad D. Francisci Bibliothecam insignem, Malatestae Novelli opus, omnis generis MSS. Libris, inter quos quidam rarissimi, abunde instructam.* Ex eo Codice descriptum Septimum integrum Librum, et nonnullas aliorum partes, nec non dubiorum locorum requisitas omnes collationes mihi suppeditavit Carolus Antonius Serra, Vir eruditus, qui Caesenae, hoc est in Patria sua, medicinam facit magna cum laude.

V. Aloysius Antonius Muratorius Serenissimi Mutinensium et Regiensium Ducis Bibliothecae Praefectus, Vir et doctrinae copia, et politiore humanitate, et meritis in litterariam Rempublicam egregiis, ornatissimus, me juvit Codice scripto circa finem seculi decimiquarti, sed excellentis quidem notae. In eo multa observatu plane digna mihi objecta sunt. Integrum vero Codicem attente contuli cum Librorum Vitruvii editorum Amstelodami anno 1649. exemplari uno ex meis (plura enim habeo) in quo scripsi tum variantes omnes Lectiones, tum nonnullas animadversiones, persequens methodum, qua Stephanum Baluzium, de quo infra dicam, usum fuisse, observaveram.

VI. Uberem copiosamque segetem variantium Lectionum ex MS. Codice collectam, diligenterque eleganti digestam in Libro (cujus fronti adscripta sunt haec: *Vitruvii opus de Architectura ed. Amstel. Elziv.* 1649. *collatum cum MS. Eton.*) ex Anglia accepi, liberali ultroneo dono Richardi Meadii Viri de melioribus litteris ac Scientiis optime meriti, celeberrimique: cui, hoc etiam nomine, me plurimum debere profiteor.

VII. Nec non aliam itidem variantium Lectionum integram collectionem ex Codice MS. seculi noni, cum eadem Editione Elziviriana collati, mihi redux ex Anglia attulit Vir summus, qui studia mea semper adjuvit enixe, Marchio Scipio Maffejus.

VIII. Post haec dicam de variantibus Lectionibus excerptis ex Florentinis Codicibus. Vir Praestantissimus D. Seraphinus Tansius Abbas Monasterii Divae Mariae dicati Florentiae, ut litteris, quas adamat, mihique etiam faveret, suscepit in se onus hoc conferendi diligenter manu scriptos Codices cum Vitruvii Editione: itaque partim integra Capita, et integros contulit Libros; partim vero excerpsit Variantes pro omnibus locis iis, quae ego illi longissimo in indice annotata transmiseram. Suae vero Collationi adposuit laudatus Abbas Tansius praefationem hanc: *Vitruvius editus Florentiae anno* 1522. *collatus*

(1) Edizione di Bologna dell'anno 1550. pag. 265. vere 271

(2) Pag. III. col. 2.

cum tribus MSS. existentibus in Bibliotheca Laurentiana Florentiae (nullus in Bibliotheca Sanctae Crucis Codex Vitruvianus inventus fuerat) *Pluteo signato numero XXX. Quorum primus Codex signatus numero* 10. *scriptus videtur circiter annum* 1300.

VIIII. *Codex etiam, qui numeri* 13. *notam praesefert, ejusdem (aut perexiguo temporis intervallo diversae) aetatis esse videtur.*

X. *Codicem vero signatum numero* 11. *scriptum crediderim post annum* 1400. *Exstat etiam Codex alius Vitruvianus in eodem Pluteo, signatus numero* 12. *qui concordat cum Codice* 11. *sed passim scatet erroribus; itaque hujus Codicis nulla habita est ratio.*

XI. Debeo autem eruditissimo et variae doctrinae laude celeberrimo Sigeberto Havercampio, Professori Historiarum, Eloquentiae, et Linguae Graecae in Academia Lugd. Batava, Lectiones varias, quas ille, ut rem mihi gratam faceret, excerpsit ex duobus Codicibus Bibliothecae Lugduno-Batavae, persequens Vitruvii varia loca, visa mihi aut dubia, aut difficiliora; iudicem quorum ad illum miseram. De Codicum eorum primo, in (1) *Catalogo Bibliothecae Publicae Lugduno-Batavae* scriptum est ita: *Vitruvii de Architectura Libri X. Vetustiss. man. . . . In Membr.* 88. Fuit Johannis Episcopi Varmien. ut in fine scriptum est.

XII. Alter, quem secundum Havercampius nominat, in (2) *Catalogo* eodem recensetur modo hoc: *Vitruvii de Architectura Libri decem integri, et vetustiss. manus. In membr.* 107. Porro *uterque* (scribit Havercampius ipse in litteris ad me datis) *Vossii fuit, et uterque in folio: is, qui MS.* 2. *nomine mihi venit, satis diligenter cum Editione Philandri a Vossio fuit comparatus, praesertim Lib. V. et seqq.*

XIII. Hasce vero comparationes Vossii annotationesque, pro eximia sua humanitate, mecum communicavit idem laudatus Havercampius; ita ad me scribens: Est *in Bibl. Publica Codex, cujus oras plurimis notis, et emendationibus felicissimis, impleverat sua manu Isaacus Vossius. Eas omnes diligenter descriptas do et mitto. Malui autem ipse in omnibus illud taedium devorare, quam alienae fidei committere.* Liber hic in (3) *Catalogo* jam citato refertur verbis hisce: Vitruvii *de Architectura Libri . . . Lugduni.* 1552. *Liber quintus et sequentes ab Isaaco Vossio collati cum MS. emendationibus etiam adscriptis. In quart. Math.* 15.

XIIII. Atque ut idem Havercampius benefacta sua cumularet, misit mihi etiam Josephi Justi Scaligeri notas accurate descriptas, de quibus citatus (4) *Catalogus* sic habet: *Vitruvius (Marcus) Pollio de Architectura . . . Florentiae* 1522. *Cui multa adscripsit Scaliger. In oct. Math.* 60.

XV. Sequitur, ut de Codicibus Mediolanensibus nonnulla dicam. Quorum quot petii loca, totidem eorundem diligentes collationes perhumaniter perque benigne mihi suppeditavit Josephus Antonius Sassius, Ambrosianae Bibliothecae, quae Mediolani est, Praefectus, Vir eruditione, atque doctrina clarissimus. Sunt autem ea in Bibliotheca Codices tres. Primus scriptus fuit a Bonnino Mambritio, anno 1462.

XVI. Secundus vero pertinuit ad Joannem Vincentium Pinellum. Hic quo-

(1) Pag. 374. col. 2.
(2) Pag. 376. col. 1.
(3) Pag. 171. col. 2.
(4) Pag. 171. col. 2.

que temporis indicio ornatus est; ex quo apparet, ejus scripturam ad annum 1474. esse referendam.

XVII. Ultimus spectavit ad Federicum Borromeum S. R. E. Cardinalem: scriptus est circiter annum 1500. Fortasse quia Vitruvii Libros ex aliquo alio Codice manu scripto describere voluerint potius, quam adhibere typis aeneis editos, qui eo tempore jam prostabant.

XVIII. Secundum haec revertar ad benefacta pluries jam jure meritoque laudati Marchionis Maffeji. Is cum Lutetiae Parisiorum degeret, rem facturus mihi utilem atque gratam, cum Editione Elziviriana an. 1649. loca plura eidem a me indicata, contulit cum tribus Regiis manu scriptis Codicibus, qui distincti sunt numeris hisce; 4157. 5438. 5439. Fere omnibus collatis in locis Codices illi inter se ad unguem consentiunt: neque ego sane utar nisi locis, quae in singulis illis eodem plane modo leguntur. Itaque tres illos Codices habiturus sum tamquam Codicem unum.

XVIIII. Sunt praeterea mihi in promptu variantes illae Lectiones, quas Vir doctissimus, Stephanus Baluzius, Vitruvii Libris (editis Amstelodami 1649.) propria manu, diligentissime adposuerat: ad quorum Librorum calcem leguntur haec: *Contuli cum vetustissimo Codice MS. qui fuit V. C. Petri Pithoei. Absolvi III. Kal. Sept. MDCLXXXIX. Steph. Baluzius.* Pretiosum hoc exemplar, nulli sane manu scripto Codici posthabendum, mihi dedit, pro summa sua erga me benevolentia, Apostolus Zenus, Sac. Caes. et Cat. Majes. Historiographus atque Poeta, qui optimis litteris non modo plane eruditus, verum etiam aliorum in litterarum studio versantium fautor eximius est.

XX. Plurimum autem me obstrinxerat Jo. Albertus Fabricius, Professor Publ. in Gymnasio Hamburgensi; qui, quousque vixit, de litteraria Republica mereri optime numquam destitit; e vivis autem (proh dolor!) non sine magna meliorum litterarum jactura pridie Kal. Majas ann. MDCCXXXVI. ereptus est. Annotationes ille mihi largitus est, quas in (1) *Bibliotheca* sua *Latina*, a Viro Clarissimo Christiano Falstero se habuisse, scripserat; ubi etiam specimen quoddam earundem vulgaverat; addens, se integras daturum alias, quam primum ferret occasio. Itaque nullo adhibito interprete rogavi ego ipse ab eo, ut easdem mecum vellet communicare. Ille autem, nihil cunctatus, eas mihi integras misit, petitioni meae indulgens humanitate tanta, ut ejus perfectissimum fuerit beneficium. Ceterum plane existimo, ex citata Latina Bibliotheca hic esse describenda quae de Annotationibus iisdem in Epistola ad eundem Fabricium data, praefatus fuerat idem Falsterus: sunt autem hujusmodi: *Recognoscere non ita pridem coeperam Bibliothecam a nobilissimo Civitatis nostrae Praeside Castano Worm, scholae nostrae Cathedrali (Ripensi) legatam, cum in manus incideret rara et perantiqua Editio Florentina Vitruvii impressa A.* 1523. *in forma quam vocant octava. Excusseram porro unam alteramve paginam, cum laetum in oculos spectaculum incurreret, antiqua eruditi Viri manus, qui Vitruvium partim (ut coniicio) ex ingenio, partim ex vetustis Codicibus ad oram emendaverat. Est autem Liber ex Italia per Joannem Pouchium allatus. Inspexi Lectiones singulas penitus. Contuli cum Editione praestantissima de Laet Amstelodamensi* MDCXLIX. *in fol. exscripsi fideliter, et quam potui curatissime.*

(1) Tom. I. pag. 342.

XXI. Gratiam itidem debeo Viro doctissimo Petro Thomae Cacciario, qui, in hoc Coenobio ejus Sodalium Carmelitarum, Theologici studii Magister ac Moderator eximius olim fuit; deinde Romam se contulit, ubi docet magna cum laude in Congregatione ad Catholicam propagandam fidem instituta. Is bene multis petitionibus meis benigne satisfaciens, raros perquirendo Libros, Codicesque notae melioris, pro me praestitit egregie multa, quorum grata memoria meo ex animo numquam delebitur. Hoc autem loco dicendum a me est de diligenti ejus opera, qua mihi procuravit variantes omnes Lectiones, quae inventae sunt conferendo Codicem, signatum numero 1504. in Bibliotheca Alexandrino-Vaticana, cum Elziviriana Editione anni 1649. Qui Codex pertinuit olim ad Christinam Reginam Svecorum. Quamvis autem haud facile sit de Codicum aetate conjecturam facere, cum tamen viris doctis atque harum rerum peritis visus plane sit perantiquus, ac fortasse exaratus circa finem seculi octavi, certe minime scriptus post seculum nonum, ideo inter praestantiores Vitruvianos Codices eum esse habendum egregii illi viri non dubitarunt; eoque magis opinationem hanc sunt amplexati, quod etiam admodum emendatus Codex ille esse videatur. Itaque non modo variantes Lectiones, verum magnam quoque partem septimi Libri, et aliorum Librorum Capita quaedam (quae sunt obscurioribus locis referta) describi idem laudatus P. Cacciarius curavit. Qui peramanter cuncta persequens, res etiam descriptas saepe ipse iterum contulit cum Codicibus, unde fuerant desumptae.

XXII. Omnes itidem Variantes, et primis illis paria excerpta, opera ejusdem egregii Viri habui ex Codice Vaticano (qui numerum praefert 2229.) aetatis paullo inferioris illa Regii Codicis aetate, membranacei tamen, antiqui, ac bonae quidem notae. Praeterea vero cum quibusdam aliis Codicibus, in Bibliotheca exstantibus Vaticana et Palatina, Vitruvii nonnulla loca collata cum eadem illa Editione anni 1649. qua semper ad me juvandum usi Romae sunt, petii, atque obtinui; at reor, de Codicibus illis (cum pauca loca sint) apte magis in Annotationibus mentionem fieri oportere.

FINIS.

ADDITAMENTA
EDITORIS PRÆSENTIS
AD EXERCITATIONEM I. JO. POLENI.

MDCCXXX.

M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM, CVM ANGLICA VERSIONE ET VARIORVM COMMENTARIIS TAM EDITIS, QVAM INIGO JONES ET ALIORVM INEDITIS, MVLTISQVE FIGVRIS ET ICONIBVS AERE AFFABRE DESCRIPTIS, CVRANTE ROBERTO CASTELLO.

Lond. 1730. *vol.* 2. *fol.*

Roberti Castelli Propositum de convertendo Vitruvio in Anglicam linguam noverat Polenus ex actis eruditorum (Anno 1731.) Lipsiae; ut in sua prima Exercitatione ad annum MDCCXXVIII.

De hac editione vid. Fabricium Biblioth. lat. edita ab Ernesto, Lipsiae 1773. tom. 1. p. 492.

MDCCXLVII.

M. VITRVVIO POLLIONE, L'ARCHITETTVRA GENERALE RIDOTTA IN COMPENDIO DAL SIG. PERRAVLT, TRADOTTA DAL FRANCESE.

Venezia 1747. 12. *fig.*

Duodecim sunt tabulae non omnino inelegantes in hac editione. Ad calcem exstat Lexicon verborum, quae difficiliora in Vitruvio occurrunt.

MDCCLVII.

VITRVVII ARCHITECTVR, IN DAS KVRZE VERFASSET DVRCH HRN. PERRAVLT.

Nürnberg. 1757. 8.

MDCCLVIII.

L'ARCHITETTVRA DI M. VITRVVIO POLLIONE COLLA TRADVZIONE ITALIANA E COMENTO DEL MARCHESE BERARDO GALIANI ACCADEMICO ERCOLANENSE etc.

In Napoli 1758. *nella Stamperia Simoniana fol.* cum textu latino.

De hac sic Carolus Fea in liberculo, cui titulus: *Progetto per una nuova edizione dell' Architettura di Vitruvio*, Roma 1788. 8. pag. 6. *Forse è stato ingannato* (il Galiani) *da chi li consultò* (i due manuscritti Vaticani); *poichè non ha avuta neppure la terza parte di quelle che vi sono* (varianti lezioni) : *e di quelle che ha avute, alcune sono la metà soltanto della lezione; altre sono alterate; altre applicate fuori di luogo, e perciò inutili: altre sono evidentemente erronee; e di quelle poche buone egli non ha saputo profittarne per mancanza di critica e di pazienza nel rileggere i contesti.*

Contra doctus Vir Jo. Bottari in epistola ms. ad Polenum data Romae die

23. Decembris anni 1758. hanc affert de Galianea Vitruvii editione sententiam: *Il Sig. Marchese Galiani ha fatto una bella opera, perchè la traduzione sua di Vitruvio è elegante, e di pura lingua senza affettazione; e le note sono molto istruttive, e il testo latino corretto per quanto si poteva.*

Non parvi facienda sunt haec a judice aliquando nimium severo asserta, ubi agitur de linguae italicae castigatione. Certe et Polenus et Stratico in propriis scriptis opus Galiani pluribus in locis summa laude prosequuntur: imo idem Stratico in sua Exercitatione prima Vitruviana paragrapho 13. de hac versione ita scribit: ,, Galiani versio omnibus absoluta videtur numeris, quae- ,, que si difficultates excipiantur, quae ab ipsa doctrina aut stili Vitruviani ,, obscuritate dependent, aut vocum aliquot incerta significatione, perspicua ,, est, ac lectorem docendo delectat, nullaque stili asperitate fatigat ''.

MDCCLXXI.

THE ARCHITECTVRE OF M. VITRVVIVS POLLIO, TRANSLATED FROM THE ORIGINAL LATIN BY W. NEVVTON, ARCHITECT.

London, Dodsley. fol. maj. c. Annott. et figg. 2. voll.

Primum volumen prodiit anno 1771., alterum vero 1791. Laudatur haec editio propter diligentiam Interpretis, qui usus est optimis antiquioribus libris editis et codicibus manuscriptis. De eadem bene sentire videtur cl. Schneider in praef. ad suam editionem Vitruvii pag. 25.

MDCCLXXXVII.

LOS DIEZ LIBROS DE ARCHITECTVRA DE M. VITRVVIO POLLION, TRADVCIDOS DEL LATIN Y COMMENTADOS POR DON JOSEPH ORTIZ Y SANZ, PRESBITERO.

Madrid, 1787. fol. maj.

De hac editione sic Fea in citato opusculo *Progetto* ecc. *L' ultima traduzione, che è quella del signor abate D. Giuseppe Ortiz, in qualche parte è migliore delle precedenti, ma per lo più sembra una traduzione di quella del Galiani; sebbene egli dica di aver avuto in vista sei codici, quattro della Biblioteca Vaticana, e due di quella dell' Escuriale, non ne ha profittato se non che in poche e piccole cose; come anche ha fatto delle edizioni precedenti. Le sue figure hanno lo stesso difetto di quelle degli altri; d' essere cioè quasi tutte ideali, e quasi tutte senza fondamento.*

A quo judicio dissentiunt plurimi in arte Architecturae atque Hispanicae linguae peritissimi viri, qui nonnulla laude dignissima in Ortiz commentariis, atque interpretatione sunt admirati. Etenim ipse aliud dedit suae doctrinae specimen in Vitruvio explicando; quod praestitit in opere, cui titulus: *Abaton reseratum, seu genuina declaratio duorum locorum c. ult. l. III. Architecturae M. Vitruvii Pollionis.* Romae 1781. 8. fig.

MDCCLXXXVIII.

PROGETTO PER VNA NVOVA EDIZIONE DI VITRVVIO DELL' AVVOCATO CARLO FEA.

A S. E. il sig. D. Francesco Baldassare Perrone ministro di S. M. il re di Sardegna. Roma 1788. 8.

Multa sane in hoc prospectu asserta non probata, multa promissa non impleta facile est observare; praesertim ubi auctor loquitur de editione Poleni et Stratico, quam nunquam in lucem exituram videtur arbitrari, imo se novam hac meliorem daturum pollicetur.

MDCCLXXXIX.

THE RVDIMENTS OF ANCIENT ARCHITECTVRE, IN TWO PARTS.
Containing an historical Account of the five Orders, with their Proportions and Examples of each, from the Antiques. Also Vitruvius on the Temples and Intercolumniations of the Ancients. Calculated for the use of the science of Architecture. With a Dictionary of terms. Illustrated with ten plates.
London. Taylor. 1789. 8. *maj.* Auctius repetita ibid. an. 1794.

MDCCXC.

MARCO VITRVVIO POLLIONE, L'ARCHITETTVRA TRADOTTA E COMENTATA DAL MARCHESE GALIANI.
Napoli 1790. *fol.*
Secunda Editio.

MDCCXCII.

THE ARCHITECTVRE etc.
Londini 1792. *apud Taylor, vol.* 2. *fol.*
Est altera editio Nevvtoni auctior et accuratior.

MDCCXCIV.

L'ARCHITETTVRA GENERALE DI VITRVVIO.
Venezia, Zatta 1794. 8. fig.
Est repetitio editionis 1747. apud Albrizzi.

MDCCXCVI.

DES MARCVS VITRVVIVS POLLIO BAVKVNST. AVS DER ROEMISCHEN VRSCHRIFT VBERSETZT VON AVGVST RODE. ZWEY THEILE.
Leipzig. 4. *bey Goeschen.*
De hoc opere sic in notitia litteraria M. Vitruvii Pollionis, quae exhibetur in editione Vitruvii Argentorati 1807. pag. 36.
,, Prius volumen incipit a vita Vitruvii. Utrique autem volumini adjecta ,, sunt varia germanice versa, veterum auctorum loca ad illustrandum aut supplendum Vitruvium, n. ex Julio Polluce cap. 19. lib. IV. de theatro ejusque partibus, cum obss. Boettigeri; Plinii descriptiones villarum suarum ,, Laurent. et Tuscul. tum cap. 5. lib. 3. ex Terent. Varrone de ejus villa, ,, et cap. 11-15. lib. 1. Additum est Lexicon Vitruvianum, plenius eo, quod

„ Baldus concinnarat, cum Indice generali. In notis uberioribus textus latinus
„ critice tractatur ".

MDCCC.

M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM

Ope codicis Guelferbytani, editionis principis, caeterorumque subsidiorum recensuit, et Glossario, in quo vocabula artis propria Germ. Ital. Gall. et Angl. explicantur, illustravit Augustus Rode Dessaviensis. Berolini sumtibus. *Aug. Mylii.* 1800. 4.

Huic editioni adduntur *Formae ad explicandos Vitruvii libros de Architectura, omnes fere ad ipsa antiqua monumenta delineatae, cum brevibus explicationibus latinis et Germanicis, cura Aug. Rode. Berolini* 1801. *fol.*

Editionem Berolinensem quam dedit Rode valde improbat vir clariss. Jo. Gottlob Schneider in praefat. suae edit. Lips. 1807. pag. 27. Inter alia haec sunt adnotanda: *Veram scripturam raris in locis aliquot Vitruvii ex doctorum admonitione restituit; quod laudo; sed multo pluribus in locis vulnera Vitruvio inflicta a Jocundo non solum non vidit et sanavit, sed lectionem vitiosam etiam conjecturis vel suis, vel alienis temere incrustavit, passim etiam soloecismis et barbarismis cumulavit* etc.

Quae quidem Schneideri sententia magna ex parte sana nobis videtur; negandum tamen non est ex Rod. labore quaedam desumi posse ad Vitruvii intelligentiam non inutilia; quod praecipue novimus ex ejus Lexico Vitruviano ad calcem voluminis posito.

MDCCCII.

ARCHITETTVRA DI VITRVVIO POLLIONE LIBRI X. RESTITVITI NELL' ITALIANA LINGVA DA BALDASSARE ORSINI.

Vol. 2. *Perugia* 1802. 8. *fig.*

Huic editioni adhaeret opus, cui titulus: *Dizionario Universale d'Architettura e Dizionario Vitruviano, accuratamente ordinati da Baldassare Orsini. vol.* 2. *Perugia* 1801. 8. *fig.*

De istis operibus ita sentit vir egregius Leopoldus Cicognara in suo *Catalogo Ragionato dei libri d'arte e d'Antichità.* Pisa, 1821. 8. pag. 138. 139.

Ventitrè tavole ineleganti, intagliate in rame trovansi nel Vitruvio. L' edizione non è pregevole. L' Orsini avea molte cognizioni, una critica poco flessibile e nessun gusto: i due Dizionarj poi sono ben compilati, e possono esser utili alli studiosi dell' arte.

MDCCCVII.

MARCI VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI DECEM

Ex fide librorum scriptorum recensuit, emendavit, suisque et virorum doctorum Annotationibus illustravit Jo. Gottlob Schneider.

Lipsiae sumtibus et litteris G. J. Göschen. vol. 3. 8. *ann.* 1807. 1808.

Propositum viri clarissimi fuit praesertim restituendi textum Vitruvii ad pu-

ritatem originis, ope codicum manuscriptorum, et adnotandi omnes lectionum varietates, quae in iis reperiuntur. Ipse enim lectionem plerumque saniorem, ni fallimur, maxima sagacitate sequutus est, optimisque commentariis philologicis et criticis suam in Vitruvio corrigendo et interpretando confirmavit sententiam. Quamobrem operae pretium existimavimus hanc edit. accurate cum textu a Poleno et Stratico accepto comparare, et notas praestantiores excerpere, ad opus illustrandum apud viros doctos summopere celebratum. Fatemur tamen huic praestantis viri labori non parum deesse, dum liber ab eo editus schematibus omnibus caret, ad utilitatem studiosorum artis architectonicae necessariis.

MDCCCVII.

M. VITRVVII POLLIONIS DE ARCHITECTVRA LIBRI X. CVM OPTIMIS EDITIONIBVS COLLATI STVDIIS SOCIETATIS BIPONTINAE.

Accedit anonymi scriptoris veteris Architecturae compendium, cum indicibus. *Argentorati. Ex typographia societatis.* 8.

Haec edit. textui Rodianae 1800. maxime inhaeret.

MDCCCXII.

VITRVVIVS (OF) CIVIL ARCHITECTVRE COMPRISING THOSE BOOKS OF THE AVTHOR VHICH RELATE TO THE PUBLIC AND PRIVATE EDIFICES OF THE ANCIENTS.

Translated by William Wilkins M. A. F. A. S. Illustrated by numerous engravings etc.

London. Longman 1812. *fol. fig.*

Hujus operis duae tantum sectiones usque adhuc in lucem prodierunt. Sed studia doctissimi Wilkins magni faciunt viri in architectonica arte valde periti, ita ut haec editio numeris omnibus absoluta undique desideretur.

Hisce editionibus a me recensitis addendus est codex I. R. Bibliothecae Marcianae sign. num. XXIII. class. VIII., a nemine antea, ut mihi constat, collatus. Hoc ms. in pergamenis exaratum, figuris minio depictis charactere satis nitido, et, ut puto, scriptum initio Saeculi XV. in 4. Praestat plurimis variantibus lectionibus, partim novis, partim cum pretiosioribus libris tam scriptis, quam editis concordantibus; ut videre quisque facile poterit in notis a me variorum commentariis sparsim insertis.

EXERCITATIONES

VITRVVIANAE SECVNDAE

HOC EST

JO. BAPTISTAE MORGAGNI

EPISTOLA

IN QUA AGITUR DE QUODAM VITRVVII LOCO AD REM MEDICAM ATTINENTE

M. VITRVVII POLLIONIS

VITA CONSCRIPTA

A BERNARDINO BALDO VRBINATE

CUM ANNOTATIONIBVS IOANNIS POLENI

ANONYMI SCRIPTORIS

COMPENDIVM ARCHITECTVRAE VITRVVII

CVM ANNOTATIONIBVS IOANNIS POLENI

IO. BAPTISTAE MORGAGNI

EPISTOLA

IN QVA AGITVR DE QVODAM

VITRVVII

LOCO AD REM MEDICAM ATTINENTE

JO. BAPTISTA MORGAGNVS
S. P. D.

ORNATISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO MARCHIONI
JOANNI POLENO
MATHESEOS PROFESSORI CELEBERRIMO.

Mittis ad me, Vir Clarissime, M. Vitruvii locum ex Libro I. *de Architectura* Cap. VI. in quo postquam plateas et angiportus improbavit ventorum flatibus ita patentes, ut apud multos, et Mitylenaeos nominatim, animadverterat, tum nonnullis interjectis, haec subjicit, ut ab Iocundo quidem edita habemus: *Vitia autem sunt, quae difficulter curantur, in regionibus quae sunt supra scriptae, haec, gravitudo, arthretis, tuscis, pleuritis, phthisis, sanguinis ejectio, et caetera, quae non detractionibus, sed adjectionibus curantur.* Qua de lectione quid mihi videatur, quaeris eo diligentius, quod aliter scripta plerorumque istorum vitiorum nomina in principe editione, atque adeo in codicibus calamo exaratis legisti. Ego vero ut obsequar voluntati tuae, quo nihil mihi esse potest jucundius, illud primum censeo, in quatuor postremis nominibus, unum modo, idque manifestum, typographi quidem esse erratum, quod *tuscis* pro *tussis* descripsit. Sic etiam quod editio princeps habet *pleuresis, thisis*, codices autem *tiphisis*; nimirum evidentius est, quam ut cuiquam, non modo tibi Viro Eruditissimo, ostendi debeat, haec indoctis atque oscitantibus librariis accepta esse referenda, sive *phthisis* cum Jocundo, sive *ptysis*, de quo mox videbimus, scribendum credas.

II. Verum ut in postremis nominibus Iocundum probo, aut certe non improbo; sic contra vereor, ne cum *arthretis* rescripsit, quantum a vestigiis codicum, primaeque editionis, tantum a Vitruvii sententia recesserit. Quid enim *arthretis*, sive, ut scribere voluit, *arthritis* loci habeat inter vitia ista caetera, ad thoracem, pulmones, asperam arteriam, et proximam, ad summum, pituitariam membranam attinentia, eademque saepe inter se adeo connexa, ut Coelius Aurelianus libro *Morborum Chronicorum* II? (1) *Influxioni* ex ordine subjiciat *Tussiculam, Sanguinis fluorem*, et *Phthisicam Passionem*. Influxionis autem nomine et *coryzam*, et *branchon*, et πτύσιν complectitur, hoc est et gravedinem, et raucitatem, et ad pulmones factam defluxionem; cum Aretaeus (2) quidem πτύσεως nomine *sputionem* acceperit, ut sanguinis, guttatim, aut non ex partibus saltem quae infra os sunt, erumpentis: nam si ex his erumperet; tum ἀναγωγή, id est *rejectio* vocabatur. Quam sanguinis ejectionem cum Vitruvius diserte memoret; a veri similitudine non abhorret, ptysin quoque, hoc est ejus exspuitionem memoravisse, aut; si hanc vocem, ut

(1) Cap. 7.

(2) De Caus. et Sign. Acut. Morb. l. 2. c. 2.

Aurelianus, intelligas; ad pulmones factam defluxionem. Vtravis certe non modo ante sanguinis ejectionem melius ponitur, quam phthisis; sed praeterea ejusmodi est, ut in certis quibusdam *regionibus difficulter curetur*; nam phthisis, vel inter initia, utique in omnibus difficulter curatur: quamquam in iis multo difficilius quas Vitruvius describit. Cave autem credas, si phthisin scripsit, inveteratam confirmatamque designavisse; quis enim, aut qua in regione curaret? Sed quamvis illis in civitatibus ea vitia *ideo difficulter medicari*, dixerit, *primum quod ex frigoribus concipiuntur: deinde quod defectis morbo viribus eorum, aer agitatus ex ventorum agitationibus extenuatur, unaque a vitiosis corporibus detrahit succum, et efficit ea exiliora*; tamen defectas vires intellige non a phthisi, sed ab alio aliquo caeterorum morborum, qui, ut fit, et sua ipse enumeratione indicat, phthisis initium anteverterit, diuque aegros maceraverit. Sane priores illos morbos quam non recentes intelligat, illud argumento est, quod eos, id est ipsam quoque pleuritidem, *non detractionibus* ait, *sed adjectionibus curari*.

III. Caeterum sive *ptysis* rescribas, sive *phthisis* cum Iocundo retineas; utralibet vox quam istum in locum conveniat, vides. Contra, articularis morbus, sive ut is edidit, *arthretis* neque ita convenit, et a vulgata ante ipsum scriptura discrepat. Nam princeps editio sic habebat: *gravitudo arteriarum, ac tussis*; codices vero alii quidem: *gravitudo arteriace, tussis*: alii *gravitudo arteriacae tussis*. Erat autem *arteriace*, sic sine alio quopiam nomine positum, recentioribus quidem Medicis, arteriae medicamentum, ut Galenus docet initio libri VII. *de compositione medicamentorum localium*, quo in libro plurimas ejusmodi *Arteriacas* describit: eaque significatione ab latinis quoque Rei Medicae Scriptoribus *Arteriace* usurpata est, ut apud Scribonium (1), Celsum (2), Plinium (3), Marcellum (4) videmus. Quo quidem modo cum in proposito Vitruvii loco non posse accipi, constet; quaerendum esset, an pro raucitate posset, quo intellectu mirifice conveniret, si modo exemplum aliquod idonei Auctoris haberemus qui sic accepisset. Verum ne *Arteriacon* quidem sic a Paulo absolute, ut ajunt, positum credo; tametsi Prosper Alpinus (5) Vir caeteroquin doctissimus id videatur significare. *Si humor distillans ex capite (Paulo auctore) in nares decumbat, affectum facit, qui Graecis* κόρυζα, *et Latinis gravedo dicitur: si in fauces et palatum, Graecis* σάρ'ρ'ον, *et nostris destillationem vocatam inducit: si guttur et asperam arteriam, ut etiam membranam interiorem, quae hanc integit, exasperaverit,* βράγχον, inquit, ἀρθηρίακον *Graecis itidem vocatum, atque Latinis vocis raucitatem: demum si in asperam arteriam, et in pulmones fluxio irruat, tussim excitat.* Favere utique Alpino videtur Andernacus, qui illa Pauli verba ex libro VII. *de Re Medica* cap. XXVIII. latine sic reddidit: *rauca vox efficitur, vocaturque malum Graece* βράγχον, *et* ἀρθηρίακον, *Latinis raucitas.* Janus tamen Cornarius, qui suam Pauli interpretationem post Andernacum emisit, sic potius credidit interpretanda: *raucosa vox fit, et raucedo, et arteriaca affectio appellatur.* Ac certe Joannes Gorraeus (6), et Joannes item Scapula (7), cum hunc eundem uterque locum ex Paulo indicent (hujus

(1) Composit. Med. 74. et 75.
(2) De Medicina l. 5. c. 25. n. 17.
(3) Natur. Hist. l. 20. c. 19. et l. 33. c. 7.
(4) De Medicam. c. 14.
(5) De Medicina Method. l. 10. c. 12.
(6) Defin. Med. ad Α'ρτηριακόν.
(7) Lexic. Graeco Lat.

enim graeco exemplari, cum haec ad te continuo rescriberem, carebam) neuter; sine adjuncto nomine appellativo; ἀρτηριακὸν, sed ambo pariter ad hunc modum scribunt ἀρτηριακὸν πάθος.

IIII. Igitur si *arteriace*, aut *arteriaca* per se arteriae asperae affectionem non significat, sed aut medicinam, aut indefinite rem quampiam, ad arteriam hanc attinentem; illud sequitur ut videamus, an cum alterutra earum vocum conjuncta, quas inter in Vitruvii loco posita est, commodam possit significationem habere. Et primum, si legamus *arteriaca tussis*, aut *arteriacae tusses*; erit sententia haud aliena ab iis quae olim quoque de tussis discriminibus Medici non ignorabant. Nam et tussire quibus a jecore aqua inter cutem incepit, animadvertit Hippocrates (1), Galenus autem (2), id repetendum esse, duxit ab *jecoris mole incidente praecordiis*, ac *faciente angustiam in pulmone*, et nonnulli fuerunt, eodem testante Galeno (3), qui *lumbricos intestinorum, cum ad ostiolum ventriculi repentes, ipsum mordeant, aridas tusses excitare*, dicerent; ut vel hinc pateat, non omnino accipienda esse quae ab Ettmüllero (4), multae alioquin lectionis Viro, scripta sunt, negante, *de Tussi ex stomacho orta ullum Practicorum aliquid habere, praeter Lindanum.* Sed haec alias; nunc vero quod dicere institueram, cum veteres etiam Medicos, ex iis aliisque ejusmodi locis appareat, quasdam cognovisse tusses, quarum praecipua causa in arteria aspera non esset; apparet simul, quarum causam in illa arteria potissimum esse constaret, eas vero arteriacas tusses, ut ab hepaticis, stomachicisque, atque aliis ejuscemodi distinguerentur, vocari potuisse.

V. Quod si tibi haec forte paulo subtiliora quam pro captu, non Medici, sed Architecti, esse videantur; age, *gravitudo arteriaca* lege, aut potius quod ipsa habet princeps editio, *gravitudo arteriarum*, id est gravedo asperae arteriae. *Solent* enim, id quod Turnebus (5) admonuit, *et Latini quaedam efferre interdum non inscito rusticoque sermone numero multitudinis, quae frequentius singularia sunt, ut* arterias *pro* arteria aspera *dicunt*, non tam ut aliquis videtur credere, quia reapse plures sunt, cum mox truncus dividatur in ramos, quam quia sic ipsi amant loqui, ut cum M. Cato (6), quem etiam Turnebus produxit, *si lienes*, inquit, *turgent, et si cor dolet, et si jecur.* Sed Latinos *arterias*, pro *arteria aspera* dixisse, prolatis Plinii locis ostenderem, ut puta cum scripsit (7): mentam *arterias humidas siccare, siccas astringere*, nisi idem Turnebus occupasset productis ex Tranquillo (8), et ex eo quem duodecim in versibus quater sic locutum animadverti, Auctore ad Herennium (9) hisce: *astante Phonasco, qui moneret, parceret arteriis:* et *ictus fit, et vulnerantur arteriae acuta atque attenuata nimis acclamatione.* Gravitudo autem idem, opinor, Vitruvio fuit quod gravedo, qui pariter cum acredinem fortasse et salsedinem dicere potuisset, maluisse videtur dicere (10) *acritudinem*, et (11) *salsitudinem*, quorum hoc deinde Plinio in isto ipso capite quo de menta verba fecit, illud vero placuit A. Gellio eo in loco

(1) Prognost. n. 8.
(2) Comment. 2. in Progn. n. 3.
(3) Comment. in l. 6. Epid. Sect. 2. n. 17.
(4) Prax. l. 1. Sect. 14. c. 3. art. 3.
(5) Adversar. l. 10. c. 19.
(6) De Re Rust. c. 157. n. 7.
(7) Nat. Hist. l. 20. c. 14.
(8) In Neron. c. 25.
(9) L. 3.
(10) L. 8. c. 3.
(11) L. 1. c. 5.

quem mox producemus. Porro gravedinem non modo absolute dictam invenio, ut apud Celsum (1), atque adeo apud optimos Scriptores latinos, verum etiam *gravedinem capitis*, *gravedines oris*, *gravedinem ventris* apud Marcellum (2) quidem, et iis in locis ubi nonnunquam sensum potius, ut fere apud Aurelianum (3), ponderis cujusdam significare videatur, non tamen semper; ut mirum admodum non esset, si arteriarum quoque gravitudinem, id est asperae arteriae gravedinem Vitruvius scripsisset.

VI. Quod si hac sententia non scripsit; alterutrum relinquitur, ut aut alia scripserit, aut aliam vocem. Quanam autem alia gravitudinem significatione dixerit, quam gravitatis? Hoc enim licuisse indicat A. Gellius (4). *Sicut*, inquit, *nihil quicquam interest*, *suavitudo dicas*, *an suavitas*, *sanctitudo*, *an sanctitas*, *acerbitudo*, *an acerbitas*, *acritudo*, *an (quod Accius in Neoptolemo scripsit) acritas: ita nihil rationis dici potest*, *qui necessitudo et necessitas separentur.* Et sane Apicius (5) *gravitudinem* dixisse videtur pro *gravitate*, cum rationem docuit qua *sine ructu*, *et gravitudine teneriores sentiantur* cucumeres, qui aliter, ut Plinius (6) ait, *vivunt hausti in stomacho in posterum diem*, *nec perfici queunt.* Attamen ut persaepe de stomachi, aut capitis, interdum vero et de pectoris, sive pulmonum gravitate aegrotantes queri audias; ita aut perraro, aut nunquam audies, legesve de ipsius arteriae asperae gravitate querentes. Quid, inquiet aliquis, si totius corporis gravitatem intelligamus? Minime id vero. Haec enim inter signa potius futurae aegrotationis a Medicis, et nominatim a Galeno (7), quam inter aegrotationes ipsa numeratur: aut si aegrotatio est; non ita diuturna est, nec difficilis curatu: denique a Galeno eodem (8) inter eas corporis affectiones refertur quae vacuatione indigent. Vitruvius autem, ut supra memoratum est, sermonem istic habet de morbis qui et *difficulter*, nec *detractionibus*, *sed adjectionibus curantur*. Huc illud accedit quod si *gravitudo* pro totius corporis gravitate accipiatur; non amplius apparet, quid voce illa proxima faciamus *arteriace*, aut *arteriarum*.

VII. Igitur ad illud alterum redeundum est, ut quaeramus, num forte non *gravitudo*, sed vox alia quaepiam a Vitruvio posita sit, quam librarii depravarint. Petrus Victorius (9) cum *gravidinosos* pro *gravedinosos* apud Nonium, ut etiam in scriptis libris melioribus M. Tullii, in Catulli autem, *gravido* pro *gravedo* animadvertisset; *videtur*, inquit, *gravido dicta esse*, *ut libido*, *formido*, *cupido.* Quod si ita est, sique etiam Vitruvius non *gravedo*, scripsit, sed *gravido*; intelligis, quam proclive librariis fuerit, quid *gravido* esset, non assequentibus, reponere *gravitudo.*

VIII. Aut si neque hoc, neque omnino id totum placet *gravedo arteriarum*; videamus tandem, an ex ista codicum, primaeque editionis scriptura: *haec: gravitudo arteriacae*, aut *arteriarum*, extundi aliquid possit quod minus displiceat. Quid igitur, si ita legamus: *haec: raucitudo arteriae*, aut *arteriarum*? Quid, si: *haec: ravitudo*, nulla propemodum scripturae mutatio-

(1) De Medicina l. 4. c. 2. n. 4. et alibi.
(2) De Medicam. c. 1. 14. et 16.
(3) Acutor. Morb. l. 2. c. 24. l. 3. c. 20. et Chronicor. l. 2. c. 14. l. 5. c. 10.
(4) Noct. Attic. l. 13. c. 3.
(5) De Re Culin. l. 3. c. 4.
(6) Nat. Hist. l. 19. c. 5.
(7) Art. Medicin. c. 82.
(8) De curandi rat. per sangu. miss. c. 4.
(9) Var. Lect. l. 4. c. 8.

ne, eademque tamen sententia. *Ravim* enim, ut Festus (1) est auctor, *dicebant pro raucitate, unde et verbum ravio*: quo Plautus in *Poenulo* (2) usus est: et *ravus* etiam, ut Barthius (3) in Sidonio interpretatur *ravos cantus*. Idem Barthius in Eligii verbis: *linguam meam tarditatis ligatam nexibus absolvet*, legendum conjiciebat *raviditatis*: quanquam verum fortasse fuit *tarditatis*, praesertim cum illa antecedant: *more infantium balbutientium quasi imperfecta verba formare*. Itaque, ut ad propositum redeam, *ravitudo arteriae* idem Vitruvio esset quod Scribonio (4) *raucitas arteriae*; si modo illam vocem *ravitudo* probare auderes sine idonei Scriptoris auctoritate: quanquam ut *mollire* habemus, et *mollitudo*: *pavire* (nam et sic Veteres, atque in iis Ennius, declinabant (5)) et *paritudo* sic non est adeo fortasse absonum, ut cum Plautinum verbum extet *ravire*, *ravitudo* quoque dici potuisse videatur: aut siquis malit, derivari a *molli mollitudinem*, non secus atque a *gravi gravitudinem*, vel certe ab *ampli amplitudinem*, a *magni magnitudinem*; idem pariter ab *ravi* poterit *ravitudinem* derivare.

VIIII. Sed dum tibi, Vir doctissime, obsequi studeo, jam satis pro mediocritate hac mea in omnem partem videor propositum Vitruvii locum versasse. Tu singula acerrimo examinabis judicio tuo. Ego, siquid forte in his inveneris quod non omnino displiceat, gaudebo. Vale, et me, ut amas, ama.

D. Kalendis Sextil. MDCCXXXVII. ex Foro Livii.

(1) De verbor. veter. signific. l. 16.
(2) Act. 3. Sc. 5.
(3) Adversar. l. 29. c. 4.
(4) Compos. Med. 74.
(5) Apud Priscian. de octo partib. orat. l. 10.

F I N I S.

IOANNIS POLENI
IN NOVAM
VITAE VITRVVII
EDITIONEM
PRAEFATIO.

Gulielmus Philander suis Annotationibus (editis an. 1544.) in decem Vitruvii Libros de Architectura, praeposuit *Vitruvii Vitam, quam ex ipso opere collegerat*; eandemque paullo auctiorem iterum edidit (an. 1552.) una cum Vitruvii Libris. In hac, nonnullis animadversionibus adductis, ut refelleret Alciatum, paucisque ex ipso Vitruvio desumtis notitiis, contentus fuit Philander.

Jejune tamen magis, quam Philander, Vitruvii vitam conscripsit Daniel Barbarus. Ea legitur in Italicis Librorum Vitruvii Editionibus, quae studio et cura ejusdem Barbari (an. 1556. et an. 1567.) lucem adspexere: in Latina vero (haec semel prodiit an. 1567.) editione desideratur.

M. Vitruvii Pollionis Architecti Vita, Bernardino Baldo Urbinate Auctore, edita est (an. 1612.) ad calcem Operis alterius, cui Baldus *de Verborum Vitruvianorum Significatione*, titulum fecerat. In exordio autem (quod vitae huic praeposuit) Vitruvii *vitam*, ait Baldus, *quod a nemine ante nos pro dignitate est factum, scribere aggredimur.* Ego vero, num satis pro dignitate fecerint qui Baldum praecesserunt, non inquiram: dicam tamen, Baldum certe diligentius et copiosius in ea conscribenda vita esse versatum.

At nihil novi, nec omnia, quae ab aliis jam tradita fuerant, habet in Vitruvii Vita, quam in *Tractatus de Virili Ætate Linguae Latinae Parte altera* (edit. 1730. pag. 295.) protulit Cl. Jo. Nicolaus Funccius.


Ornatissime vero de Vitruvii Vita in eximio Opere, quod inscribitur, *Verona Illustrata* (*Parte seconda*, edit. 1731. fol. pag. 11.) scripsit vir, ut nobilitate, sic eruditione in plurimis disciplinarum generibus insignis, ac celeberrimus, Scipio Marchio Maffejus. Quae tamen attulit, ad conjecturas de patria Vitruvii praesertim pertinent, ut propositum ejus plane ferebat.

Vitruvii Vitam scripsit etiam Abb. Joannes Amicus in Libro, cui titulus est: *L'Architetto Prattico* (editio Panormi, 1726. pag. 103.) sed ex hac nullum omnino fructum percipere potui.

Hactenus autem recensitos aliorum de Vitruvii Vita commentarios, nec non complures observationes ad rem camdem spectantes, mihi comparaveram; ut possem, ejusmodi collectionis ope, Vitam eandem de integro concinnare. Sed collectionem ipsam perpendenti mihi diligentius, visum est conducibilius futurum, si uterer Vita illa jam a Baldo exarata, eidemque in modum Annotationum subjicerem quaecumque ego collegeram, aut ab illo praetermissa, aut

post illius aetatem animadversa. Facile enim comperi, ab Annotationibus quae Vitis ipsis subjiciuntur (quemadmodum, inter ceteros, fecit eruditissimus Petrus Baylius) perspicuitatem quandam progigni: cum in plures veluti distinctas partes narrationes et observationes discernuntur; atque adeo explicatiores redduntur, facilioresque.

Et rationem hanc persecutus sum eo libentius, quod compereram, res quasdam in Vita Vitruvii vel positas, vel annotatas, inservire quoque posse et titulo, et locis nonnullis Librorum Vitruvii, illustrandis: quamobrem operam dedi, ut rebus iisdem (ubi res postularet) modo faciliore uti possem.



VITRVVIVS

M. VITRVVII POLLIONIS
VITA

Omnes fere artes natura ita constitutas esse scimus, ut non satis commodo tractari valeant, si qui in illis versantur, ingenio pariter et manu non fuerint exercitati. Etenim contemplatio, quam θεωρίαν Graeci appellant, oculus quidam est, πρᾶξις vero, hoc est ipsa operatio, manus sibi locum atque officium vendicat. Quamobrem is, meo judicio, qui sola meditatione fretus, operationem negligit, non inepte cuipiam componi posset, qui visu pollens, mancus esset et scaevus. Is vero qui usu tantum praestat, ei qui oculis captus, manus ipsas haberet incolumes. Itaque ut in homine ad perfectam integritatem oculos pariter atque manus requirimus, ita in absoluto artifice contemplationem et operationem aeque desideramus. Hinc fit, ut (1) Vitruvium ab iis architectis sejungamus, qui ab optimis artibus et scientiis imparati, nobilissimis architecturae studiis, illotis ut ajunt manibus pedibusque, tanquam profani, temere ultro se ingerunt. Ipse enim omnibus armis ornatus, militiae huic nomen dedit, quare fit, ut ei, licet architecto, locum non immerito inter Mathematicos et Geometras ipsos decernamus. Hujus vitam, quod (2) a nemine ante nos pro dignitate est factum, scribere aggredimur, tametsi rerum obscuritate, veterum scriptorum de eo pertinaci quodam silentio, et suimet de se ipso in dicendo sobrietate et modestia, prope ab incepto deterreamur. Principio quod ad ejus patriam pertinet, non modo, uti de Homero legimus, in dubium vertitur, sed prorsus ignoratur (3). Quidam, eo fortasse quod Romae vitam duxerit, Romanum putarunt, qui tamen, utpote nulla

(1) VITRVVIVM] In *Vita Vitruvii* Philander, hunc Vitruvium nostrum, ait, *reperi ab aliquo Veturii Ruffi nomine ad testimonium vocatum. Aliquis* autem ille, indicatus a Philandro, facile fuit Janus Parrhasius (qui, annis triginta quinque, antequam Philander in lucem prodiret, natus est) Caspar enim Barthius in *Adversariis* (pag. 20.) postquam Vitruvium nostrum nominavit, subdit: *Veturrium Rufum eundem appellat Janus Parrhasius ad Claudianum.* Error haud dubie ortus est ex eo, quod Parrhasius confudit *Vitruvii* nostri nomen cum nomine alius *Vitruvii* (quod depravatum legit aliquo in Codice) *Rufi*, cujus *Excerpta* edidit Andreas Schottus, sed hunc *Rufum*, diversum esse, recentioremque, nemo sane, qui inspiciat *Excerpta* illa, dubitabit. In nonnullis Codicibus, et in principe Editione, legitur *Victruvii* (c ante T perperam, ut quibusdam aliis in vocibus, posita) nobis tamen *Vitruvii* nomen, sine littera c, esse scribendum, plane persuaserunt Codices alii, atque etiam antiquae Inscriptiones, quae infra proferentur.

(2) A NEMINE ANTE NOS PRO DIGNITATE] Ante Baldum, Vitruvii Vitam scripserant Gulielmus Philander, et Daniel Barbarus, ut alias scripsimus.

(3) QVIDAM, EO FORTASSE QVOD ROMAE VITAM DVXERIT, ROMANVM PVTARVNT] Hic Baldus facile Caesareum Caesarianum respexit, qui (pag. CXXXVI. suis illis asperis verbis) scripserat haec: *In libro tertio; ubi de frontibus Ædium* (Vitruvius) *ait: hujus exemplar Romae nullum habemus: lui esserli connumerato con li Citadini Romani: che si ei fusse stato externo haveria dicto; nullum habetis, non autem habemus. Ancora in lo quinto prohoemio parendoli volere usare beneficio alo Romano populo dice: non minus cum animadvertissem distentam occupationibus civitatem publicis et privatis negociis* etc. *Questo era signo che lamava la sua patria.* Sed ingenue dicam, mihi (ut jam olim Baldo) plane videri, ex locis illis a Caesariano prolatis indicari quidem, Vitruvium (cum scriberet) fuisse Romae, nequaquam vero demonstrari, cum fuisse Romanum.

probabili ratione, veterisve scriptoris auctoritate fulti, merito rejiciuntur (4). Sunt nonnulli qui Veronensem volunt, eo ducti argumento, quod in veteri ejusdem urbis fornice haec inscriptio legatur:

L. VITRVVIVS L. L. CERDO
ARCHITECTVS.

Inter illos qui praecipue in hanc sententiam transierunt, fuit egregius, citra controversiam, vir, multiplicisque eruditionis laude insignis, Andreas Aleiatus J. V. C. Cujus rei non modo locupletem habemus testem Guilielmum Philandrum, sed et ea fidem faciunt, quae idemmet Aleiatus in commentarios conjecit, quos eruditissimos edidit in Pandectas; ibi enim asseveranter pronunciavit (5), Vitruvianae architecturae epigraphen ita esse restituendam. L. VITRUVII PELLIONIS. Refellit hunc Philander (6), primo, quod in omnibus

(4) SVNT NONNVLLI QVI VERONENSEM VOLVNT] Quinam fuerint illi *nonnulli*, quorum nomina silentio pressit Baldus, ego quidem hic non inquiram; cum probabiliora omnia argumenta, ad asserendum Veronensibus Vitruvium, et invenerit, et optimo in lumine nuper collocaverit, Summus Vir Scipio Marchio Maffejus. Vitruvium autem nostrum Veronensem fuisse, verisimile fieri, ait vir Cel. (in Opere; cui titulus: *Verona Illustrata*: edit. 1732. fol. *Parte Seconda*. pag. 11.) primum ex observatione quadam Torelli Saraynae scribentis, veterem hanc patriae Vitruvii notitiam inveterato Veronensium consensu quodammodo esse firmatam. Tum ostendit, Inscriptionem illam *L. Vitruvii Cerdonis* antiquam sinceramque esse: ingenue tamen fatetur erravisse Alciatum, cui placuerat, *Cerdonem* illum fuisse *Vitruvium* ipsum de Architectura scriptorem; at plane indicat, rationi consonum esse, *Cerdonem* illum fuisse Veronensem, et *Vitruviorum* familiam Veronae exstitisse. Addit etiam, a Lampridio *Vitruvium* quemdam *Secundum* nominari, qui cognomen hoc fortasse ex conjunctione cum Veronensibus *Secundis* assumpserit. Concludit, eum non sine credibili aliqua ratione judicaturum, qui judicet, *Cerdonem* illum, *Vitruvii* nostri (cui *L.* praenomen tribuit) fuisse libertum discipulumque: quin, scribit, coniicere etiam possumus, eum liberti libertum, ac discipuli fuisse discipulum. Atque animadvertit, scrupulum nobis non esse iniiciendum propter denticulos, quos junior ille in Veronensi Arcu sub mutulis (contra ac ferunt Vitruvii senioris praecepta) collocavit: ab magistrorum enim praeceptis discipuli saepe recedunt. Demum probat, opinionem hanc, qua *Vitruvium* inter Veronenses Scriptores recensendum esse fertur, credibiliorem reddi ab studio Architecturae, et ab illustribus aedificiis, quae Veronae priscis temporibus exstitisse (nonnullis etiam ad hanc diem superstitibus) dubitari non potest.

(5) VITRVVIANAE ARCHITECTVRAE EPIGRAPHEN ITA ESSE RESTITVENDAM. L. VITRVVII PELLIONIS.] Ut quaestio hac clarior fiat, Aleiati locum ab Philandro, et a Baldo indicatum, lubet integrum subjicere. Alciatus itaque (in Parerg. Juris Lib. VIII. c. 5. quod est in ejus Operum Tom. IIII. pag. 484.) cum nominasset *L. Vitruvium Pellionem*, tum subdit; *Sane quod Vitruvium appellavi Pellionem, cum vulgati Codices habeant Pollionem, non absque caussa a me factum est. Exstat adhuc Veronae antiquissimus lapis hac inscriptione. L. VITRVVIVS. L. L CERDO ARCHITECTVS. Idem autem est Cerdo, quod Pellio. Plaut. Maenech.* (Act. II. Sc. III. ver. 53.)

Quasi si suppellex pellionis palus palo proxim 'st.

(6) PRIMO, QVOD IN OMNIBVS EXEMPLARIBVS M. NON L.] Ut asseverat Philander, cui certe adstipulari videtur Baldus, ita etiam asseverat Ger. Jo. Vossius *de Scientiis Mathematicis* (edit. anno 1660. pag. 292.) scribit enim: *qui* (Vitruvius) *pro Marco Lucius vocatur in Editione Florentina anni* 1496. *sed Manuscriptis prope omnibus reclamantibus.* At equidem miror (ne dicam mihi non persuaderi) quod illi in tam multis exemplaribus, sive manuscriptis *Marcum* invenerint, cum ego plane compererim praenomen Vitruvii aut desiderari in manu scriptis Codicibus, aut subobscure indicari. Paullo autem infra quid in Codicibus repererim, exponam. Hic vero animadvertam, Caesarem Caesarianum, qui viderat Jocundi Editionem, in qua legitur *M. Vitruv.* scribere tamen maluisse *L. Vitruv.* ac (pag. CXXXVI.) se *Lucium* reperisse in antiquis Codicibus, esse testatum.

Porro Editio princeps, et Editiones an. 1496. 1497. et an. 1521. habent L. In Editionibus vero Italicis an. 1524. et 1535. inepte utrumque praenomen conjunctum est: legitur enim *M. L. Vitruvio.* Editiones reliquae habent M. quod praenomen primus Jocundus protulit in illa sua, quae an. 1511. prodiit, Editione.

In plerisque autem Codicibus notitias Praenominis Vitruvii diligenter aut perquisivi, aut perquiri curavi. In Codicibus tamen pluribus ex iis, quorum copia mihi facta fuit, aut quo-

exemplaribus M. non L. et (7) POLLIO, non PELLIO legatur: Deinde, Cerdonem non esse continuo quod Pellionem, quum Cerdo ἀπὸ τῦ κέρδυς, hoc est a lucro, alter vero a pellibus dicatur. Demum, si idem esse Cerdo et Pollio concederetur, nihil propterea esse architecto cum pellibus commune. Inscriptionem vero illam, hominis non studii esse indicem, et tandem Cerdonis (ut in fornice habetur) non Pellionis appellationem esse restituendam. Postremo ea ratione Alciatum jugulat, quod ille Veronensis architectus, sub mutulis denticulos collocaverit, quae res uti vitio non carens, a nostro Vitruvio acerrime reprehenditur. Nos, ut opinionem nostram in medium proferamus, architectum illum nostro juniorem, et prorsus ab eo fuisse diversum, duobus argumentis a Philandro praetermissis, necessario fere convincimus. Primo, quod passim inferiores architecti sub mutulis denticulos posuere, ut videre est in fornicibus Titi, Nervae, Constantini, in porticu ejusdem Nervae, et Diocletiani thermis, quae omnia aedificia a posterioris saeculi architectis constructa fuisse palam scimus. Deinde, quod Veronensem illum Cerdonem L. Vitruvii fuisse Libertum apparet, quod vel ex ipsa inscriptione colligitur, in qua, ut visum est, legimus, L. VITRVVIVS L. L. hoc est Lucius Vitruvius Lucii Libertus. No-

rum Variantes Lectiones accepi, non L non M. uno verbo, nullam Praenominis notam inveni.

Ad calcem vero Codicis Bibliothecae Bononiensis Canonicorum S. Salvatoris, leguntur haec: *L. Vitruvii Liber Decimus explicit. Hae litterae sunt incisae in quodam vetustissimo pariete Veronae. L. VITRVVIVS L. L. CERDO ARCHITECTVS*: Et haec eadem exstant ad calcem Codicis Bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis. Quamobrem forsan licet suspicari, L. praenomen ex Inscriptione illa Veronensi fuisse desumtum.

At in perantiquo Codice Vaticano, qui fuit Christinae Reginae Svecorum Liber Quintus inscribitur ita, M *Vitruvii liber quintus.* Quae nota pro implicatione veluti quadam, sive nexu litterarum M et A, ut significaretur MA, hoc est Marcus, sumi posset (ut etiam A pro TA a doctis accipitur) et conjectura haec, quae firmari posset, si opus esset, exemplis, potior visa est. Illa tamen nota etiam pro simplici A posse modo aliquo reputari, non negaverim. Quin hic illud praetermittendum minime est, quod in Xicconis Polentoni *de Illustr. Script. Lat. Linguae* duobus Codicibus (altero Cel. I. E. Kappii, altero Ambrosianae Bibliothecae) ubi Xicco de Vitruvio agit, legitur *A. Vitruvius.*

Lucio ne igitur, an *Marco*, an *Aulo* praenomen fuit Vitruvio nostro? Fateor, mihi in prima Librorum Vitruvii littera scribenda statim haesisse aquam: nec tamen melius facere me posse credidisse, quam si dubitationum mearum (ut hactenus feci) caussas exponerem; tum vero probabilitatis (ut ita dicam) regulas persequerer, animadvertens in marmoribus reperiri M. pluries, quam L. atque adeo praenomen *Marcum*, ob eam probabilitatem, ob auctoritatem consentientium, Philandri, Barbari, et Baldi, et ob Regii Codicis notam illam, retinerem.

(7) POLLIO, NON PELLIO LEGATVR] In uno, aut altero Codice habetur *Pollio*; in plerisque tamen Codicibus nullum cognomen Vitruvii nomini adjungitur. Sed *Pollio* legitur etiam in principe Editione, et *Pollio* appellatur Vitruvius noster a perantiquo Auctore Compendii Architecturae; et Vitruvio cognomen hoc omnes eruditi tribuere. Omnes, inquam, si tamen Andream Alciatum (de quo jam diximus) excipias. Ut illius tamen verba jam attulimus, ita non inutile fortasse erit Philandri sensus, quos exposuit Baldus, hic integros, ipsius Philandri verbis, exhibere. *In* Alciati *sententiam* (scripsit in *Vita Vitruvii* Philander) *ne transeam, multa me movent. Primum, quod in omnibus exemplaribus, praeter unum recens scriptum, M. non L. et Pollionem in omnibus non Pellionem legerim. Deinde, quod cerdonem, pace tanti viri dixerim, non esse continuo, quod Pellionem, facile intelligit, cui utriusque vocabuli originis venit in mentem, alterum enim a lucro, id est ἀπὸ τῦ κέρδυς, unde lucrionem quoque Latini vocant, a pellibus alterum ductum est. Et si idem sit, quid architecto cum pellibus? Cerdo enim in illa inscriptione hominis non studii est index. Ut si idem credi par fuit, fuerit tamen cerdonis, non pellionis appellatio restituenda. Quin, et quod Vitruvius noster reprehendit, architectus ille sub mutulis (quod vidimus) denticulos collocavit. Itaque vulgatam codicum scriptionem retinentes, diversos esse arbitramur.* Quamobrem duntaxat diversitatem inter *Vitruvium* nostrum et *Vitruvium* illum *Cerdonem*, ea Philandri argumenta demonstrant.

Philippus de Stosch in nitidissimo et pereru-

strum vero liberum fuisse, et liberaliter educatum, ipsomet teste in progressu eorum, quae dicturi sumus, lucidius ostendemus. Porro quatenus ad nostri architecti patriam spectat (8), Fundanum, Formaniumve fuisse, conjectura non undequaque spernenda, judicamus. Etenim circa ea loca (9) Vitruviorum

dito Opere, cui titulum fecit hunc, *Gemmae Antiquae Caelatae*, sua in Praefatione (pag. VIII.) talia habet: *In Ecclesia principe Terracinensi, ubi olim templum Apollinis fuerat, legitur Architecti nomen:*

C. POSTVMIVS C. F.
POLLIO
ARCHITECTVS.

quae, ut ostendunt, alium antiquum Romanum Architectum extitisse cognomento *Pollionem*, ita evincunt, hunc alium ad *Vitruviam* Gentem minime pertinuisse.

(8) FVNDANVM, FORMIANVMVE FVISSE, CONIECTVRA NON VNDEQVAQVE SPERNENDA, IVDICAMVS] Huic qualicumque Baldi conjecturae visa mihi sunt adjungenda quae scripsit Antonius Panormita (*de Dictis et Factis Alphonsi Regis*. Lib. I. n. 47.) *Allatum est a Cajetanis* (verba sunt Panormitae) *quibusdam male litteratis M. Tullii sepulcrum exstare adhuc juxta Formias in via Romana vetustis litteris inscriptum. Quod Rex ut primum accepit, laetitia paene perditus, ire nihil cunctatus est, et sentibus rubisque primo tumulum purgans, mox legere inceptans, non M. Tullii, sed M. Vitruvii epigramma esse comperit.*

Æneas vero Sylvius in Commentario (edito cum Panormitae opere. 1538) ad locum illum scripsit haec: *Neque M. Tullii, neque Vitruvii inhonoratum esse tumulum decuit, cum alter a morte homines tuendo, alter a pluvia scribendo, protexit. Si modo is Vitruvius apud Formias sepultus est, qui de Architectura Librum reliquit.* Et sane dubitare Sylvius poterat, cum Panormita nihil quicquam afferat, quod Vitruvium scriptorem nostrum praecise designet. Praeterea vero haudquaquam dissimulabo, monumentum, a Panormita indicatum, illud idem esse potuisse *Vitruvii M. L. Apellae*, de quo infra dicetur. Nihilo tamen minus probabilitatis regulas persecutus sum, ut superius feci, cum de Vitruvii praenomine agerem; et, postquam diligenter quaesivi rationes, propter quas aut Formianus (sive Fundanus) aut Veronensis reputandus esset Vitruvius illustris noster Architectus, mihi evenit, ut ab marmoribus ad Vitruviorum Familiam pertinentibus, quae reperta sunt in regionibus illis plura, quam Veronae, aliquantillo proclivior redditus sim ad reputandum Vitruvium nostrum Fundanum potius, quam Veronensem. Sed satis de hisce conjecturis.

(9) VITRVVIORVM FAMILIAM ANTIQVIS TEMPORIBVS POTENTEM ET NVMEROSAM FVISSE, VETVSTI LAPIDES NON OBSCVRE ATTESTANTVR] Nescio qua ratione *numerosam* fuisse *Vitruviorum familiam* ab Inscriptionibus argumentatus sit Baldus; cum non plures quam quattuor, aut quinque, ad Vitruvios pertinentes, Inscriptiones reperiam. Una est illa Veronensis. Reliquae omnes non Veronenses, haud tamen multae.

Porro altera Inscriptio ea est, quae paullo infra exhibetur ab eodem Baldo: et quae exstat etiam inter Inscriptiones editas ab I. G. Graevio (1707. Tom. II. pag. MI) apud quem legere est: *Inter Gajetam et Formias, via Appia, littera pulcra pedali.*

EX TESTAMENTO
M. VITRVVII * M. L. APELLAE
A Pighio.

Subditurque nota haec: * *Leander in Descript. Italiae pag.* 209. *habet* MEMPILIAE HER. EN. M. *ita et Villamontius in Itinerario. Baldus in vita Vitruvii hoc modo* MEMPILIS HOC MONVM. H. E. N. S. S. VITRVVII M. L. APRILIS. *Gud.* At certe Gudius non viderat Vitruvii Vitam scriptam a Baldo, in qua Inscriptio proposita legitur omnino ita, ut a nobis in textu ejusdem vitae iterum est edita. Si modo ab hac diversa fuerit, tertia numeretur illa a Panormita indicata. Quarta vero (in Tomo eodem, pag. DCCC. *Neapoli in S. Stephani.*

D. . M.
LIMBRICIAE. THEODORAE. QVAE
VIXIT. AN. XXVIII. M. XI. FEMINAE. INCOMPARABILI VITRVVIVS. APRILIS. CONIVGI
BENEMERENTI. FECIT
Ex Apiano.

Hancque contuli cum Apiani Editione, (an. 1534. pag. CXXIII.) in qua est FOE non FE; cetera vero consentiunt. Quinta descripta ex Reinesii Syntagmate (edit. 1682. pag. 784.) hujusmodi est:

Q. CISVITIVS. Q. L. PHILOMVSVS.
M. VITRVVIVS. M. L.
VITRVV. CHRESTE.
FRATREM.

Tum Reinesius addit: *Descripsit Leander Albertus in Latio; sed, ut observat. Bern. Baldus, perperam.* Et quidem ab Alberto in *Italiae Descriptione* (edit. 1550. pag. 123.) illa refertur Inscriptio, interpolata nonnullis aliis verbis et notis, quae tamen ad rem nostram minime pertinent.

Sed, ut *numerosam* fuisse *Vitruviorum familiam* ostenderet, saltem debuisset Baldus alios quosdam Vitruvios recensere. Livius enim (Lib.

familiam antiquis temporibus potentem et numerosam fuisse, vetusti lapides non obscure attestantur, quorum nonnullos, licet perperam exscriptos, refert in Italia sua Leander. Sed et Villamontius Gallus in suo itinerario, emendatius hunc inter ceteros,

M. VITRVVII MEMPILIS HOC MONVMENTVM
HÆR. E. N. S.

In aliis autem frequens repetitio est praenominis M. et Vitruviorum. Haec nos dicta voluimus, ne hoc praetermisisse, qualecumque sit indicium, antiquitatis et veritatis studioso Lectori videremur. Ceterum, nostrum hunc parentum diligentia, liberaliter et ingenue a prima adolescentia institutum fuisse, ipsemet palam profitetur, in sexti libri prooemio his verbis: *Itaque ego maximas infinitasque parentibus ago atque habeo gratias, quod Atheniensium legem probantes, me arte erudiendum curaverunt, et ea quae non potest esse probata, sine litteratura, encyclioque, doctrinarum omnium disciplina. Cum ergo et parentum cura, et praeceptorum doctrinis auctas haberem copias disciplinarum, Philologis et Philotechnis rebus, commentariorumque scripturis me delectatus eas possessiones animo paravi, e quibus haec est fructuum summa, nullam plus habendi necessitatem, eamque esse proprietatem divitiarum, maxime nihil desiderare.* Honestis igitur parentibus, et honesto loco natum, ex dictis facile colligimus, divitiis autem haud itidem abundasse, sed nec eas magnas avide sibi parare contendisse, imo auream potius mediocritatem adamasse: cum bona fama: quod et (10) ipsemet Augustum alloquens, ingenue

VIII. c. 19. habet haec: *dux etiam Fundanus fuit, Vitruvius Vaccus; vir non domi solum, sed etiam Romae clarus. aedes fuere in Palatio ejus, quae Vacci prata, diruto aedificio, publicatoque solo, appellata.* Et Ælius Lampridius in Commodo Ant. (Edit. an. 1671. Tom. I. pag. 485.) scribit: *Quare et Paternum, et Julianum, et Vitruvium Secundum Paterni familiarissimum, qui epistolas Imperatoris curabat, interfecit.* Ad hunc vero locum Is. Casaubonus dubitat, num, pro nomine *Vitruvii* nomen *Victorini* sit reponendum: *An*, scribit ille, *hic* (Vitruvius) *Victorinus, cujus caedem narrat Dio?* At contra, in *Var. Lectionibus* (pag. 540) sentit Reinesius; et, editionibus atque Codicibus fidem facientibus, *Vitruvii* nomen retinendum esse facile apparet. Vitruviis hisce addi etiam potest auctor satis antiquus Vitruvius Rufus, alias a nobis nominatus, cujus et Epaphroditi fragmentum opusculi dedit (an. 1615.) And. Schottus; et cujus (inter ceteros) bis mentionem fecit in sua Bibliotheca MSS. Librorum (edit. 1653 pag. 166. et 361.) Ph. Labbeus.

(10) IPSEMET AVGVSTVM ALLOQVENS] Claudius Perraultius in prima sua admodum longa Adnotatione ad illa, quibus Librum primum Vitruvius exorditur, verba: *Cum divina mens tua et numen, Imperator Caesar*, non deesse, ait, aliquem reputantem haudquaquam constare cuinam Imperatori Libros suos Vitruvius dedicaverit. Deinde rationem affert; nimirum, quia nulla in veteribus exemplaribus Librorum Vitruvii inscriptio sit, quae nomen referat Augusti: tum vero affirmat, primum fuisse Philandrum, qui Vitruvii Libros inscripserit ita: *M. Vitruvii Pollionis de Architectura Libri decem ad Caesarem Augustum.* Sed quidpiam humanum commisit eo loci Perraultius, sive aliquis ille; namque in principe editione haec habetur inscriptio: *L. Vitruvii Pollionis ad Caesarem Augustum de Architectura Liber Primus.* Et ad extremum Codicis, qui nunc Venetiis in Bibliotheca D. Marci asservatur, et pertinuit olim ad Cardinalem Bessarionem (vita functum anno 1472.) leguntur haec: *Decimus et ultimus Vitruvii Pollionis peritissimi et eloquentissimi Architecti Liber de Architectura ad Caesarem Augustum felicissime exigit.*

In adnotatione autem eadem scribit Perraultius, placere aliquibus, Vitruvium Tito Libros suos nuncupavisse. Utinam vero illos *aliquos* nominavisset, quorum ego notitiam invenire non potui: nisi forte respexerit ad Th. Reinesium, qui *Var. Lect.* Lib. II. cap. 6. *Mercurialem*, scribit, *qui loco dicto* (locum autem Mercurialis jam attulerat ex ejus *Gymnas.* Lib. I. cap. 8.) *corruptoribus id* (nimirum quod Plinius multa desumserit ex Vitruvio) *ut scilicet Vitruvium Plinio recentiorem esse persuadeat, tribuit, etiam vero similitudo hic destituit.* Sed ego quidem non video qui fieri po

protestatur. In Scientiis autem et disciplinis tantum solummodò profecisse, quantum architecto sat esset, nec summam rerum cognitionem procurasse, contra Pythii sententiam (11), his verbis palam fecit: *Ergo satis abunde videtur fecisse, qui ex singulis doctrinis partes et rationes earum mediocriter habet notas eas, quae necessariae sunt ad architecturam, ut si quid de his rebus et artibus judicare et probare opus fuerit, ne deficiatur.* Cujus quidem assertio maximam cum ea habet affinitatem, quam Philosophus in ipso moralium Nicomachiorum vestibulo protulit, nempe, *eruditi esse, eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati ipsius rei natura potest.* Itaque ne eum Imperator, quasi in disciplinis leviter versatum, reprehenderet (12), his verbis occurrit: *Peto a te Caesar, et ab aliis qui mea volumina sunt lecturi, ut si quid parum ad artis Grammaticae regulam fuerit explicatum, ignoscatur. Namque non uti summus Philosophus, nec Rhetor disertus, nec Grammaticus summis rationibus artis exercitatus, sed ut architectus his literis imbutus, haec nisus sum scribere.* Haec ille, qui licet haec modeste protulerit, et omni jactantia procul, eruditissimum nihilominus fuisse hominem, et Graeci sermonis gnarum, scripta ejus, et res ipsae, de quibus agit, copiose testantur. Moribus demum fuisse candidissimis, et apprime ingenuis, ex iis (quasi e quadam ad vivum animi ejus expressa imagine) facile elicitur, quae moratissima, et quolibet Philosopho digna, librorum suorum praefationibus interseruit (13). Haec autem quatenus ad mores. Porro eundem scientiam illam, quae de natura agit, degustasse, ex scriptis ejus palam cognoscitur. Saepe enim Physicas movens quaestiones, eas solvere conatur, quamquam id haud pari felicitate. Neque enim ex optimis fontibus principia et scientiam ipsam hauserat, quod aevi potius illius, quam suo factum vitio, ille fateatur necesse est, qui novit illos etiam, qui tunc serio ea studia tractabant, libentius Epicuri dogmata, et Platonis delitias, quam Aristotelis Peripateticorum principis, et verioris solidiorisque Philosophiae as-

tuerit, ut Reinesius, vir ceteroquin doctus, et eruditus, tam longe a veritate aberraverit; neque animadverterit, citatum illud caput a Mercuriali inchoari verbis hisce: *Vitruvium, qui Augusti Caesaris aetate floruit* etc. Itane igitur *Mercurialis Vitruvium Plinio recentiorem* esse persuadere conabatur?

Ut vero Claudius evincat, Plinio recentiorem non fuisse Vitruvium, neque Libros suos Tito inscripsisse; notat, in ejus scriptis asperitatem quamdam, quae inerat linguae latinae ante Augusti tempora, reperiri potius, quam corruptionem illam inductam in linguam eandem post Augusti aetatem: atque etiam animadvertit, nullam a Vitruvio fieri mentionem Theatri Marcelli, Amphitheatri Flavii, aliorumque aedificiorum, quae Titi tempore debuissent nominari.

Sed, cum perexigui, aut nullius quidem momenti, videantur esse rationes, quae proposita in adnotatione indicantur, ut in dubium revocetur, num Augusto Libros suos inscripserit Vitruvius; plane existimo (veteri communique permanens in sententia) Augustum fuisse *Imperatorem* illum *Caesarem*, cui Vitruvius suum de Architectura opus nuncupavit.

(11) HIS VERBIS PALAM FECIT] Libro primo, capite primo.

(12) HIS VERBIS OCCVRRIT] ibidem.

(13) HAEC AVTEM QVATENVS AD MORES] Dum ageret de Vitruvii moribus, non debuisset profecto Baldus praetermittere ea, quae de moribus Architecto convenientibus praescripsit Vitruvius (Lib. I. cap. 1.) suos enim, in quibus se exercuerit, mores eum ibi descripsisse, credibile est. *Philosophia vero* (Vitruvii verba sunt) *perficit Architectum animo magno, et uti non sit arrogans, sed potius facilis, aequus, et fidelis sine avaritia, quod est maximum. Nullum enim opus vere sine fide et castitate fieri potest. Ne sit cupidus, neque in muneribus accipiendis animum habeat occupatum, sed cum gravitate suam tueatur dignitatem, bonam famam habendo. Haec enim philosophia praescribit.* Hactenus Vitruvius, *quem videri singula pene verba mutuatum fuisse ab Exodo* scripsit in Tomi II. Parte II. *de Postrema Ezechielis Visione* (pag. 44.) Jo. Bapt. Villalpandus. Cujus opinationem circa Vitruvii doctrinam, alia in Adnotatione, infra planius exponam.

sertoris, doctrinam adamasse. Disserit autem de aere, de ventis et aquis, item de plantis, de terrarum ac fossilium naturis, de quibus omnibus arrepta e dicendis et docendis occasione, longissimas persaepe disputationes texit, quibus in rebus cum sit admodum frequens, nec sine acumine et solertia, argumentari facile est, non quidem ingenium illi, sed potius ingenii culturam defuisse. Nos autem, ne immerito eum Epicuri dogmatum fuisse imitatorem, dixisse, eique indebite hanc veluti notam quandam inussisse videamur, ea quae secundo secundi libri capite professus est, in medium afferemus; ibi enim, Thaletis et Heracliti relatis opinionibus, de rerum principiis, ita scribit: *Democritus, quique eum secutus est Epicurus, atomos quas nostri insecabilia corpora, nonnulli individua vocitaverunt. Pythagoreorum vero disciplina adjecit ad aquam, et ignem, et aerem, et terrenum. Ergo Democritus, etsi non proprie, res nominavit, sed tantum indivisa corpora proposuit; ideo ea ipsa dixisse videtur, quod ea cum sunt disjuncta, nec leguntur, nec internecionem recipiunt, sed sempiterno aevo perpetuo infinitam retinent soliditatem. Ex his ergo congruentibus, cum res omnes coire, nascique videantur, et haec in infinitis generibus rerum natura essent disparatae, putavi oportere de varietatibus et discriminibus usus earum, quasque habent in aedificiis qualitates, exponere.* Hactenus ille, qui eodem l. c. 1. de priscorum hominum vita, et de initiis humanitatis atque tectorum, et incrementis eorum scribens, omnia fere mutuatus est ab iis, quae facunde expressit Lucretius l. quinto. Epicureum igitur fuisse, in his saltem quae ad rerum naturam atque principiorum constitutionem pertinent, non est obscurum. Verum enimvero moribus fuisse candidis, et, ut Ethnicum, satis pium, nec numinum e coelo deturbatorem cum Epicuro et Lucretio, satis patet ex iis, quae de templis, de Diis, deque honore debito illis deferendo, scriptis suis interseruit. Militasse porro, et in castris Julii Caesaris fuisse, inde cognoscimus, quod l. 8. c. 4. de proprietatibus nonnullorum fontium disserens, affirmat, C. Julium Masinissae filium, qui cum Caesare militavit, ipsius Vitruvii hospitio fuisse usum, unde illud quoque facile argumentari licet, nostrum hunc architectum in exercitu non fuisse obscurum, qui (14) insignem virum, nempe Masinissae Filium (15), habuerit contubernalem. Caesari autem ob rei aedificatoriae peritiam fuisse notum, ipsemet in prooemio primi libri ad Augustum scribens, protestatur. Quo quidem Caesare de medio sublato, et Augusto summo rerum imperio potito, eidem a Sorore Octavia commendatus fuit. Verum cum duas ejusdem nominis sorores habuerit Augustus, majorem alteram Anchariae, minoremque alteram Attiae filiam, merito dubitari posset, utra earum commendationis illi beneficium impertiverit (16). Majorem fuisse docet Æneas Vicus Parmensis in libro

(14) INSIGNEM VIRVM, NEMPE MASINISSAE FILIVM] Quaerit, subtiliter quidem, Perraultius (in Adnot. ad citatum cap. 4. Lib. VIII.) quinam fuerit *Masinissa ille C. Julii* pater; tum vero credibile ait, eum fuisse regem *Masinissam* Romanorum amicum, qui cum Scipione Africano militavit. At hoc loco hujusmodi quaestionem (de qua alias agi poterit opportunius) non attingam: cum enim Vitruvius, postquam nominaverat *C. Julium*, scripserit, *cujus erant totius oppidi agrorum possessiones*; hisce verbis satis indicavit illum *C. Julium* insignem virum fuisse.

(15) HABVERIT CONTVBERNALEM] Vitruvius vero (ut superius etiam exscripserat Baldus) habet: *is hospitio meo est usus.* Sed verba haec indicavisse sufficiet; pluribus enim agendum hic non est de differentia inter contubernalem et hospitem.

(16) MAIOREM FVISSE DOCET AENEAS VICVS PARMENSIS] Miror, Baldo dubitationem ademptam fuisse asseveratione illa Vici, qui tamen neque ullum testimonium, neque rationem ullam adduxerat. Notandum itaque est, Vicum Octaviae Majoris vitam in Italico suo Libro, cui titulum fecit: *Le Imagini delle Donne Au-*

Augustarum, ubi de ea loquitur, ita scribens: *Quin etiam inter Augusti familiares peritissimum illum architectum Vitruvium collocavit, qui prius fuerat in castris Caesaris, quod ex commendatitiis ejus litteris effectum est.* Haec Æneas. Caeterum non modo eum Augustus in clientelam suscepit, et amplum eidem quoad viveret stipendium assignavit, sed machinis quoque bellicis praefecit, quod et ipse (17) his verbis reliquit attestatum. *Itaque cum M. Aurelio, et Pub. Minidio, et Cn. Cornelio ad apparationem ballistarum, et scorpionum, reliquorumque tormentorum refectionem fui praesto, et cum eis* (18) *commoda accepi, quae cum primo mihi tribuisti, recognitionem per sororis commendationem servasti etc.* Marcum porro illum Aurelium, ni conjectura decipimur, M. illius Aurelii Cottae patrem fuisse, credimus, qui sub Tiberio una cum M. Valerio Messalla consulatum gessit. In fastis siquidem consularibus M. fil. dicitur, et M. nepos. Cneum vero Cornelium eum esse, qui Augusto imperante, fuit Augur, vel Cornelium illum Cinnam, qui sub eodem Imp. Consul fuit cum Valerio Messalla Voluso. Quicquid autem sit de istis, illud exploratissimum est, machinarum bellicarum praefectos eo saeculo, uti etiam nostro, magnae semper, sed in castris praecipue, existimationis fuisse. Porro ejuscemodi machinarum in bello curam gessisse, videtur non obscure decerpi ex iis, quae refert l. 10. c. 16. ubi de ballistarum rationibus ita scribit: *Itaque, ut etiam qui Geometriae, Arithmeticaeque rationes non noverint, habeant expeditum, ne in periculo bellico cogitationibus detineantur, quae ipse faciendo certa cognovi, quaeque in parte accepi a praeceptoribus, finita exponam.* Verum ut in bello machinis, ita (19) pacis tempore publicis aedificiis construendis praepositus fuit, inter

guste (edit. 1557.) scripsisse, sed ibi nihil quicquam de Vitruvio nostro commemorasse. At cum ejusdem *Octaviae Majoris, Sororis Augusti* vitam iterum protulisset in Libro illo Latine reddito (edit. 1558. pag. 22.) ea addidit, quae Baldus descripsit, non tamen integra; nam, praeter ea, quaedam alia scripsit Vicus: quamobrem hujus locum integrum subjicimus, est autem hic: *quin etiam inter Augusti familiares peritissimum illum Architectum Vitruvium collocavit, qui prius fuerat in Castris Caesaris, quod ex commendatitiis ejus* (Octaviae Majoris) *litteris effectum est*: quarum *etiam gratia ille omnibus machinis, bellicisque instrumentis fuit praefectus*, *unde maxima commoda reportavit, velut idem memoriae prodidit in suo ad Augustum prooemio.*

At ex citato illo Vitruvii *prooemio* nec illud liquet, quod Octavia litteris usa fuerit, ut faveret Vitruvio; nec quod ob Octaviae litteras ille *omnibus machinis, bellicisque instrumentis fuerit praefectus.* Ceterum fautricem illam Vitruvii fuisse *Majorem Octaviam* credibile mihi quoque fit, non ex Vici auctoritate, sed ex eo, quod illa apud fratrem suum Caesarem Octavianum valuerit plurimum.

(17) HIS VERBIS RELIQVIT ATTESTATVM] In citato Libri primi Prooemio.

(18) COMMODA ACCEPI, QVAE CVM PRIMO MIHI TRIBVISTI, RECOGNITIONEM PER SORORIS COMMENDATIONEM SERVASTI] Andreas Alciatus in *Parerg. Juris* (ejus *Operum* Tom. IIII. edit. 1582. pag. 484.) postquam statuerat, in jure Militiam non admodum differre ab his, *quae Officia in Pontificia Aula Romae dicuntur*, *venumque eunt, ut certum reditum emptores inde percipiant*: tum addit: *Ceterum non admodum a Militiis differebant etiam hi reditus, qui in jure nostro Panes civiles vocabantur*: deinde subdit: *Scribit L. Vitruvius Pollio commendatione Octaviae sibi a Caesare Augusto recognitionem commodorum indultam, ut amplius paupertatem timere non posset. Opinor, panes illi civiles donec viveret concessos: quod et indulsisse eundem Imperatorem P. Vergilio certum est:* atque ad hunc locum etiam notat, Ælium Donatum, qui Vergilii vitam scripsit, studiosis fucum fecisse dum asseruit, eos veros Panes fuisse.

(19) PACIS TEMPORE PVBLICIS AEDIFICIIS CONSTRVENDIS PRAEPOSITVS FVIT] Nuspiam suis in Libris Vitruvius, se vel ab Rep. vel ab Caesaribus aedificiis publicis praefectum fuisse indicavit: ac unius duntaxat, quod ipse architectatus fuerit, aedificii mentionem fecit. Non defuere tamen qui Vitruvio illustre aliud aedificium tribuerint, ut animadverterunt Philander, et Donatus. Hic (Lib. III. cap. 8. *de Urbe Roma*) ubi de Marcelli Theatro agit; *ejus*, scribit, *architectum plerique Vitruvium faciunt: negat Philander ejus interpres*, *quod* Theatri illius architectus *peccasse videatur in Doricae coro-*

qũae nobilis illa adnumeratur Basilica, quam in Col. Julia Fanestri, ut ipse refert l. 5. c. I. collocavit, curavitque faciendam (20). Quos praeceptores habuerit, nec ipse docet, nec ab aliis accepimus: illud certum est, illum (21) non ab Latinis modo, sed ab eximiis totius Graeciae auctoribus, eorum, quae ad architecturam pertinent, confertissimum sibi et copiosissimum penu comparasse. Habemus enim, ipsum non solum Archimedis, Archytae, et Aristoxeni scripta legisse, sed Aristarchi, Eratosthenis, Berosi, Ctesibii (22), Athenaei,

nae partibus concinnandis. Philander autem de Theatro illo verba fecit in Adnotationibus suis ad Vitruvii Libri primi caput secundum.

Hoc autem loco addam, a Petro Lambeccio in *Commentariorum de Augus. Bibliotheca Viadonensi Libro Secundo* (edit. 1669. pag. 1000.) cujusdam antiqui *Arcus Triumphalis*, *Carnunti in Panonia Superiori* adhuc superstitis, mentionem fieri: quo in Arcu *ingens* (scribit ille) *littera M. exstat occidentem versus in dextro basis angulari lapide, et sine dubio praenomen Architecti denotat, quasi integre scriptum esset, MARCI OPVS, vel MARCVS FECIT. Neque vero absurdum et improbabile mihi videtur, si quis forte existimaverit, litteram M. non esse hic accipiendam pro littera singulari, sed pro littera gemina ex M. et V. conflata, eaque significari celeberrimum doctissimumque Architectum Marcum Vitruvium, qui Imp. Augusto dedicavit Libros decem de Architectura.* Sed nimis incerta est haec conjectura: eam descripsisse, aut satis, aut plus satis est.

(20) QVOS PRAECEPTORES HABVERIT] Sententiam (fortasse quod ad Vitruvium attinet) singularem de fontibus, ex quibus rei aedificatoriae doctrinam Vitruvius hauserit, protulit Jo. Bapt. Villalpandus; qui in jam citata *de Postrema Ezechielis Visione* Tomi II. Parte II. (pag. 44.) *Omnes*, scribit, *artes a Deo emanasse* (S. Clemens Alex.) *probat. Et verum quidem est; idque magis fiet perspicuum, cum hoc loco, atque aliis quamplurimis ostenderimus non sententias modo, verum etiam fere verba ex sacris litteris desumsisse quodammodo Vitruvium.* Et (pag. 45.) *Ego de Vitruvio respondebo, ea illum putasse ad Architectum maxime pertinere, quae apud Moysem, primum Architecturae praeceptorem ac magistrum legerat, vel ab illis acceperat, qui illa legerant.* Et postquam ostendit, Vitruvii praeceptum *de adjectione quae adiicitur in mediis columnis* consentire cum iis, quae de columnis Templi Salomonis in sacris litteris tradita sunt, subdit, *Vitruvium hujusmodi praeceptum ex sacrae fabricae observatione habuisse, et ab omni propterea reprehensione immunem esse.*

In sententia vero prorsus diversa fuit Antonius Possevinus, qui in *Bibliotheca* sua *Selecta* (pag. 209.) quaerit, num ex Templi Salomonis structura ratio Architecturae addiscendae petenda sit? respondetque (praeter cetera) *Jam quod attinet ad proportiones, praecepta, symmetrias, atque adeo ad universam Salomonici Templi structuram, ea intelligendis quidem divinae Scripturae mysteriis commodare posset, struendo non item.* Ac Bernardus Lamy, *de Tabernaculo Foederis* (pag. 287.) sine dubitatione ulla asseverat, *Architecturae singulos ordines debere ortum suum, et ornamenta ligneis structuris.* Suamque deinde assertionem rationibus firmat. Porro neque Cel. Jo. Alb. Fabricius, quemadmodum ait in sua *Latina Bibliotheca* (edit. 1728. pag. 339.) verisimilis visa est illa Villalpandi sententia. Ut vero sensit ille, ita ego quoque sentio; nec plura de eadem esse dicenda existimo.

(21) NON AB LATINIS MODO, SED AB EXIMIIS TOTIVS GRAECIAE AVCTORIBVS] Ex Latinis, qui de Architectura scripserunt, duntaxat (in Septimi Libri Praefatione) Fussitii, Terentii Varronis, et P. Septimii, mentionem Vitruvius fecit; Graecos autem Architectos quamplurimos nominavit.

(22) ATHENAEI] Animadvertere hic praestat, Athenaeum nuspiam a Vitruvio nominari. Verum, etiam ante Baldum, consensum inter loca Athenaei et Vitruvii observaverat Barbarus, quippe qui (in latina sua Vitruvii Editione) Athenaei graeca fragmenta duo, alterum (pag. 359.) respondens Vitruvii Capiti decimo octavo Libri decimi, alterum (pag. 361.) Libri ejusdem vigesimo Capiti referendum, subjecit iisdem Capitibus. Ac Turnebus suis in *Adversariis* (Lib. XXIII. cap. 33.) fragmentum illud, respondens paullo ante citato vigesimo Capiti, graece juxta latinum Vitruvii textum posuit. Ea vero fragmenta sunt partes illius Operis Athenaei *de Machinis*, quod primum occupat locum in magnifica editione *Veterum Mathematicorum*, quae e Regia Typographia prodiit Parisiis (an. 1693.) Graece atque Latine, interpretibus Operis Athenaei Valesio, et Cotelerio.

At duos Athenaeos de *Machinis Bellicis* scripsisse recte quidem observavit Cel. Jo. Alb. Fabricius in *Bibliotheca* sua *Graeca* (Lib. III. Cap. 24.) quos haud bene distinxerat Casaubonus, ut notavit Ger. Jo. Vossius *de Scientiis Mathematicis* (pag. 290.) *Doctissimus tamen* (Vossii verba sunt) *Casaubonus*, in notis ad Historiae Augustae Scriptores, *existimabat, Athenaeum mechanicum vixisse tempore Gallieni Caesaris: ac hujusce libri scriptorem signari a Trebellio Pollione* (in duobus Gallienis) *verbis illis: Quibus compertis, Gallienus, Cleodamum et Athenaeum Byzantios, instaurandis urbibus, muniendisque praefecit. Sed hoc esse nequit, si ex Athenaeo quaedam ex-*

Diadis, Eudoxi, Apollonii, et aliorum mechanicorum Geometrarumque commentaria in manibus habuisse. Illud etiam luce ipsa clarius est, ipsum e libello, quem Aristoteles de mechanicis scripsit, ea decerpsisse, quae in c. 8. libri 10. inseruit, de porrecto et rotundatione agens machinarum ad onerum levationes. Ex praedictorum igitur omnium auctorum doctrina (23), absolutissimum totius architecturae corpus in decem divisum libros, compilavit, Methodo usus, ea, quam resolutivam appellant. Proposita enim sibi definitione, et in suas partes distributa, singulis libris singulas partes assignavit. In primis vero architectum ipsum diligentissime instituit, et variis disciplinis et scientiis ornavit, in quo (24) cum plura desiderare videatur quam architecto sint undique necessaria, Leoni Baptistae oblique eum carpendi occasionem praebuit

scripsit Vitruvius: ut Turnebus velle videtur lib. XXIII. Adversariorum cap. XXXIII. Utcumque illud, antiquitatem ostendit, quod, cum multos citet auctores, nullus in iis junior sit Archimede, ac Marcello, quod facit, ut Archimedis fuisse aequalem existimem.

Locum autem Vossii integrum descripsi praesertim, ut notarem verba illa. *si ex Athenaeo quaedam exscripsit Vitruvius; ut Turnebus velle videtur:* quibus Vossius in dubium revocat, num ex Athenaeo quaedam Vitruvius exscripserit, quod sane in dubium revocari non potest; quam enim ovum ovo simile est, tam loca Athenaei, et Vitruvii (superius indicata) inter se similia sunt. Nisi quis conjicere velit, rem contra se habere, et Athenaeum juniorem aliquem ex Vitruvio quaedam descripsisse: quae conjectura mihi quidem minime probabilis esse videretur.

(23) ABSOLVTISSIMVM TOTIVS ARCHITECTVRAE CORPVS, IN DECEM DIVISVM LIBROS, COMPILAVIT.] Cur dubitemus, num ii, quos nunc versamus, Vitruvii Libri autographis authoris sui (si amanuensium errata excipiantur) respondeant, nulla profecto caussa esse videtur. Jo. tamen Alb. Fabricius in sua *Latina Bibliotheca* (edit. 1728. pag. 339.) *Non integrum*, scribit, *nos Vitruvium, sed tantummodo librorum ejus Epitomem habere putabat Barthius XXX. 7. Adversar.* At fateor, me in Barthii *Adversariis* nuspiam illiusmodi opinionem reperisse. Citato autem in capite 7. Lib. XXX. non de *Vitruvio* agit Barthius, sed de *Vegetio: Epitomes* (ait) *dico, quia non arbitror ipsum Vegetii integrum opus nos habere.* Utcumque de Vitruvii Epitome sit, de tot aliis Auctoribus suspiciones injecerat Barthius, ut recte quidem concluserit eruditissimus Fabricius: *sed nescio quomodo vir ille doctus pronus fuit ad Epitomas in Veterum monumentis sine magna caussa subodorandas.*

(24) CVM PLVRA DESIDERARE VIDEATVR, QVAM ARCHITECTO SINT VNDIQVE NECESSARIA, LEONI BAPTISTAE OBLIQVE EVM CARPENDI OCCASIONEM PRAEBVIT] Haud dubie Baldus indicavit Leonis Baptistae Alberti locum (Lib. IX. Cap. X.) hunc: *qui Architectum dixerit jurisconsultum esse oportere, quod aquarum arcendarum, finium regundorum, operum nunciandorum jura, et quam multa hujusmodi interdicto definiunt, inter aedificandum tractentur, non auscultabo. Astrorum etiam in eo exactam peritiam non postulo ea re, quod ad Boream bibliothecas, ad occiduum solem balnea posuisse conveniat. Nec musicum etiam esse oportere dixero ea re, quod in theatris vasa resonantia apponantur. Aut rhetorem, quod, qui acturus sit praedocuisse redemptorem juvet.* Hactenus Albertus: quo mitior quidem non fuit M. Anto. Muretus. Hic in Praefatione *Commentarii in Catilinariam Ciceronis secundam* invehitur contra illos, qui ajunt, *omnium artium scientiam comprehendere oportere eum, qui oratoris munus sustinere meditetur*; hancque opinionem *stultissimam* appellat; ac paullo infra subdit: *Quam vanitatem secutus Vitruvius, multo ille quidem modestius, sed tamen aut talem, aut certe non multo alium architectum informavit, atque illi oratorem fecerant.*

At Vitruvii caussam optime egit Ger. Jo. Vossius in singulari illo Libro *de Rhetoricae natura ac constitutione* (cap. 4.) qui, contra ac Muretus, sentiens, *Peripateticos*, scribit, *omnes semper docuisse, singulas quidem disciplinas suis limitibus circumscribi; sed si usum et exercitationem spectemus, omnes inter se communicationem habere, unde et ἐγκυκλοπαιδεία, hoc est.*

Orbis disciplinarum (verba Vitruvii sunt) *appellatur. Itaque quod de Architecto scripsit Vitruvius* (Lib. I. cap. 1.) *id de Oratore jure optimo dixerimus. Non debet, nec potest esse Architectus Grammaticus, uti fuit Aristarchus, sed non agrammatos: nec Musicus, ut Aristoxenus, sed non amusos: nec Pictor, ut Apelles, sed graphidos non imperitus: nec Plastes, quemadmodum Myron seu Polycletus, sed rationis plasticae non ignarus: nec denuo Medicus, ut Hippocrates, sed non aniatrologetos: nec in ceteris doctrinis singulariter excellens, sed in his non imperitus.*

Ridet (persequitur Vossius) *alicubi hanc Vitruvii opinionem disertissimus Muretus* (loco superius a nobis citato) *sed eum in praecipitium abduxit male intellecta Rhetorum antiquorum sententia. Neque enim statuunt, distincta omnium cognitione opus esse oratori; sed satis esse ajunt, ut universalem omnium habeat no-*

(25) l. 9. c. 10.) ubi et ipse architectum suum efformat. Cur autem id factum sit, ea ratio est, quod Vitruvius ad perfectionem, ipse vero ad meram necessitatem respexerit. Sed ut a diverticulo in viam revertamur; Architecturam noster Auctor (26) trimembrem fecit, et ita divisit, ut partem primam Ædificatoriam, secundam Gnomonicen, tertiam vero Machinationem appellaverit. Primae igitur parti primum librum assignat, in secundo materiam prosequitur, in tertio sacrarum aedium formas et species examinat, quartum ornamentorum generibus tribuit, quintum publicis aedificiis, non tamen sacris, Basilicis nempe, theatris, thermis, palaestris, portubus. In sexto de privatis aedibus tum rusticis, tum urbanis, agit. Septimum tectoriis dat, et picturis. Octavum aquarum librationibus, et aquaeductibus, quibus ferme libris aedificatoriam totam complectitur. In nono de Gnomonice agit, id tamen, si exactum respicias, perfunctorie, et sicco, ut ajunt, pede. In decimo de machinis luculenter tractat, in genere primum, mox de iis, quae ad pacis, tum de illis, quae ad belli negotium faciunt. Et haec universi fere operis anatome est, et, ut ita dicam, articulatio (27). Porro an aliud quidpiam, praeter architecturam, scripserit, incertum, quamvis in dubio certius sit nil scripsisse; nullum enim contrariae sententiae habemus testimonium, vel auctorem. Et sane, si operis magnitudo, excellentia, et rerum in eo congestarum copia animadvertatur, in hoc totum fuisse, et tempus omne, quod tum publicis, tum domesticis occupationibus subtraxit, huic impendisse, nemo ut arbitror dubitaverit. Multos habuit praeclarus iste labor laudatores, admiratores quoque, sed nec paucos sugillatores, detractoresque. Leo enim Albertus in limine sexti libri, his verbis ejus dignitatem diminuere conatur: *Namque dolebant quidam*, ait, *tam multa tamque praeclarissima scriptorum monumenta interiisse, temporum hominumque injuria, ut vix unum ex tanto naufragio Vitruvium superstitem haberemus, scriptorem procul dubio instructissimum, sed ita affectum tempestate, atque lacerum, ut multis locis multa desint, et multis plurima desideres. Accedebat, quod ista tradidisset non culta. Sic enim loquebatur; ut Latini, Graecum videri voluisse, Graeci, locutum Latine, vaticinentur. Res autem ipsa in se se porrigenda, neque Latinum, neque Graecum fuisse testetur, ut par sit, non scripsisse hunc nobis, qui ita*

titiam; modo plenius et accuratius noscat ea, de quibus crebro dicendum est. Porro ex his quid etiam de Architecti institutione ab Vitruvio proposita sentiendum sit, colligi facile potest.

(25) L. 9. C. 10.] Nimirum Operis, cui titulus est: *Leonis Baptistae Alberti de Re Ædificatoria Libri decem.*

(26) TRIMEMBREM FECIT] In Libro primo, Capite tertio.

(27) PORRO AN ALIVD QVIDPIAM, PRAETER ARCHITECTVRAM, SCRIPSERIT, INCERTVM] Potuisset quidem Baldus animadvertere, quod Philander, in *Vitruvii Vita*, tribuere videatur Vitruvio nostro librum *de hexagonis, heptagonis, et id genus.* Liber tamen ille, cujus *Excerpta* habemus (eademque superius commemoravimus) edita ab And. Schotto, Liber, inquam, ille ad Vitruvium Rufum pertinet, non ad nostrum: ipsaque styli, a Vitruvio nostro adhibiti, differentia ab stylo Vitruvii qui de *Hexagonis* scripsit, vel satis per se sola ostenderet, opus illud *de Hexagonis, et Heptagonis* ad nostrum Vitruvium minime pertinere.

Sed, ut appareat, a Volaterrano (cujus testimonium a Philandro indicatur) nihil afferri, quod nostrum Vitruvium designet integrum libet subjicere locum Volaterrani. Hic *Commentariorum Urbanorum* Lib. IIII. (edit. an. 1603. pag. 140.) ita scribit: *Tarus fluvius ultra Parmam Plinio nomen adhuc retinet, ex Appennino in Padum fluens. Deinde Fidentiola a dextra, vetus oppidum, ab laeva novo nomine oppidum Bobium ad Appennini juga situm, ubi nobile Coenobium a Theodolinda regina Longobardorum exstructum. Hic anno Millesimo CCCCXCIIII. hujuscemodi libri reperti sunt. Rutilius Naumatianus. . . . . Vitruvius de Hexagonis, Heptagonis, et id genus, Frontinus de qualitate agrorum* etc.

scripserit, ut non intelligamus (28). Hactenus ille, et satis immodeste. At longe immodestissime Hieronymus Mercurialis (29) in lib. de re gymnastica, ita enim loquitur: *Vitruvii auctoritatem numquam multi faciendam existimavi, nempe quem παραδοξόλογον, et sua aetate minime aestimatum puto. Quod enim ab Augusto nullis egregiis fabricis, nisi solis ballistis praefectus fuerit, quando scilicet in urbe, et extra urbem magnifica aedificia extruebantur, quod etiam a nullo fere posteriore auctore nominatus inveniatur, praeterquam in capitum Plinii librorum catalogo, qui ab aliquibus minime Plinianus, vel saltem adulteratus putatur, magnam certe ipsius existimationis suspicionem merito parit.* Haec Mercurialis (30). Acerbe nimium in auctorem probum, candidum, et nil tale meritum. Ceterum an Plinii catalogus depravatus sit, nihil moror, cum satis aperte legentibus constet, Plinium quamplurima hoc de Vitruviano penu deprompsisse, nec Plinium modo, sed Palladium quoque et alios bonos auctores ab eo, in iis quae ad architecturam pertinent, accepisse. Mitius igitur cum hoc scriptore agere debuit Mercurialis, nec imitari quorundam hominum prava et injusta ingenia, qui eos, per quos proficiunt, non modo non laudant, ut beneficium fateantur, sed potius carpunt, improbant, et maledictis prosequuntur. Fuit igitur, nec sine auctoris laude, superiori illo aevo liber iste in doctorum virorum manibus, inferiori vero, cum optimae artes situ et squallore obsitae jacerent, jacuit, periturus, nisi quidam doctissimi et eruditissimi viri a tenebris illum, et oblivione vindicassent (31). Primus fere qui manus pias illi admovit, fuit Jocundus Veronensis Sacerdos, atque idem architectus suo tempore non ignobilis. Quo magistro in lectione hujus auctoris usus est Guilielmus Budaeus, qui et hoc testatum reliquit pluribus verbis in annot. in Pandectas, ubi de suggrundatione. Citato enim ibi Vitruvii loco, ita sequitur: *Quae verba mendosissime in impressis libris leguntur, ut totus pene tractatus ille de architectura decem libris constans; quare a paucissimis legitur, alioquin etiam intellectu perdifficilis, et ut Euripides Tragicus de libro Heracliti cognomento Scotini dixit, Delio*

(28) HACTENVS ILLE, ET SATIS IMMODESTE.] Huic Baldi animadversioni adde quod Ger. Jo. Vossius *de Scientiis Mathematicis* (pag. 292.) ita scripsit: *Quae super eo* (Vitruvio) *sententia fuerit Leonis Alberti satis inde liquet, quod in Libris de Architectura toties eum reprehendit.* Ego vero, ut viderem quid ex Alberti Libris ad Vitruvii illustrationem transferre possem, Alberti Libros omnes perlegi. Observavi autem, Vitruvium distinctius nominari Lib. I. cap. 4. et 9. Lib. II. cap. 4. 6. et 12. Lib. III. cap. 4. et 15. Lib. IIII. cap. 4. Lib. V. cap. 17. Lib. VI. cap. 1. 4. et 6. Lib. VIII. cap. 7. Sed, praeter locum illum jam citatum (ex Lib. VI. cap. 1.) in quo culpatur Vitruvii stylus, nullum alium inveni locum in quo Vitruvius aperte reprehendatur. Non tamen negaverim ab Alberto doctrinas aliquas Vitruvii (dissimulato ejus nomine) oblique carpi: et quidem me legisse memini auctorem aliquem, qui suspicabatur, Albertum nonnullis Vitruvii doctrinis esse adversatum, ne per Vitruvium profecisse videretur.

(29) IN LIB. DE RE GYMNASTICA] Libro primo, capite octavo.

(30) ACERBE NIMIVM] Lubens fateor, *acerbe nimium*: animadvertere tamen praestat, haud pauca ex Vitruvio in suos *de Gymnastica* Libros transtulisse Mercurialem; et quod consequitur, pluris fecisse ejus auctoritatem; nec non in *Variis* suis *Lectionibus* (Lib. II. cap. 9.) appellavisse *Vitruvium Auctorem non contemnendum*: quae sane non satis decora, cum equidem perhonorifica esse debuisset, neque tamen acerba est appellatio. At nonnulla alia Vitruvio haud favorabilia judicia, sed praeterea multo quidem plura ad Vitruvii laudes pertinentia, adduci huc possent, si propositum hic esset illustrium Virorum de Vitruvio testimonia proferre.

(31) PRIMVS FERE] Quamvis non omnino primus, sed *Primus fere* dicatur Jocundus; dubitari tamen non potest, quin Sulpitius, cujus cura princeps prodiit editio, primus omnium sit appellandus: cui etiam ea debetur laus, quod obscuris Vitruvii locis nullam vim fecerit; laus quidem Jocundo haud facile tribuenda.

natatore indigens. In illa enim rerum verborumque obscuritate, non mediocriter etiam ingenium, quasi aestuoso freto obrutus natator submergitur. Haec ille, qui mox addit: *Nobis vero in ea lectione contigit, praeceptorem eximium nancisci Jocundum Sacerdotem, Architectum tunc regium, hominem antiquitatis peritissimum, qui graphide quoque, non modo verbis intelligendas res praebebat, quo tempore Vitruvium nostrum otiose, aliosque nonnullos antiquos scriptores, eodem benignissime adjuvante, emendavimus.* Hactenus vir egregius, et grati animi virtute laudabilis. Porro Jocundum in hoc auctore illustrando aliquid fecisse non negamus, parum tamen illud fuit, quod vel ex ejus editionibus facile colligitur, quarum alteram Florentiae typis cusam Juliano Medices nuncupavit. Circa eadem tempora eandem provinciam subiit Caesar Caesarianus Mediolanensis, e pictore architectus, et Bramantis nostri, ut ipsemet affirmat, discipulus, verum hic parum feliciter, ut ex opere ipso videre est. Caruit enim tum ingenii acumine, tum rerum plurimarum cognitione, quae ad hunc auctorem illustrandum sunt necessariae: nihil igitnr in eo laudes praeter figuras, quas etsi non ad antiquum genium, nec ubique ad Vitruvii mentem, egregie tamen et graphice lineavit. Ab hoc accepit Joan. Baptista Caporalis Perusinus, ipse quoque illiteratus, ut ex quinque libris, quos Italice versos publicavit, facile cognoscitur. Nonnulli quoque alii ejusdem notae homines, idem opus eadem infelicitate aggressi sunt, inter quos fuere Bonus Maurus, Augustinus Gallus, Aloysius Pirovanus. Sed inter illos, qui egregiam Vitruvio navarunt operam, fuit Hermolaus Barbarus, qui quidem inter primos ingenii et doctrinae lumine pollens, castigatis Plin. et Mela, huic quoque auctori stylum et diligentem operam commodavit. Successere huic Adrianus Turnebus, et Guilielmus Philander Galli ambo, et iidem doctrina et eruditione insignes, quorum Turnebus in libris Adversariorum sexcentis locis Vitruvianum codicem aut emendavit, aut lucidissime exposuit. Longe tamen doctissime Philander, qui ceteros fere omnes commentariis editis eruditissimis superavit. Post hos omnium novissimus Daniel Barbarus, non sine maxima egregii ingenii laude, idem praestitit. Quamquam (32) nonnulli sint, qui illum in rebus claris verbosum, in obscuris siccum et jejunum fuisse affirment. Sed ut ad Vitruvium revertamur, palam est, illum in scribendo brevitatem adamasse, quod cur fecerit, ipse docet in praefatione quinti libri, ita scribens: *Cum ergo ea* (architectonica nempe vocabula, de quibus loquitur) *per se non sint aperta, nec pateant eorum in consuetudine nomina, tum etiam praeceptorum late vagantes scripturae, si non contrahantur, et paucis, et perlucidis sententiis explicentur, frequentia multitudineque sermonis impediente, incertas legentium efficient cogitationes. Itaque occultas nominationes commensusque e membris operum pronuncians, ut memoriae tradantur, breviter exponam. Sic enim expeditius ea recipere poterunt mentes. Non minus, cum animadvertissem distentam occupationibus civitatem, publi-*

(32) NONNVLLI SINT, QVI ILLVM IN REBVS CLARIS VERBOSVM, IN OBSCVRIS SICCVM ET IEIVNVM] Fortasse Baldus sententiam hanc, quam tribuit *nonnullis*, solus sibi finxit. Certe nullum ego unquam auctorem inveni (quamvis legerim haud paucos) de hujusmodi rebus agentem, Baldo antiquiorem, qui de Daniele Barbaro eam sententiam protulerit. Utcumque tamen sit de origine ejus sententiae, ea falsa est. Sed (quod attinet ad viros illos a Baldo nominatos) de Auctoribus, qui in eo fuerunt ut Vitruvium illustrarent, aliud in Opus aut satis multa, aut nimis multa congessi; nec quidem interest plura in Annotationibus hisce repetere.

cis et privatis negociis, paucis judicavi scribendum, ut angusto spatio vacuitatis, ea legentes, breviter percipere possent. Haee ille, et longe plura, qui si brevitatem sermonis elaritate compensasset, operae proeul dubio feeisset pretium. At Horatiani praeeepti immemor, dum brevitatem prosequitur, in obseuritatem praeeipitavit. Haee de doetrina et seriptis. Quatenus vero ad personam pertinet, statura fuit humili, specie haud multum grata et eleganti, quod ex ejus dietis ad Augustum habemus (33), ait enim; *Mihi autem, Imperator, staturam non tribuit natura, faciem deformavit aetas, valetudo detraxit vires* (34). Porro quamdiu vixerit, quo loei diem clauserit, ubi tumulatus fuerit, nullus est antiquorum seriptorum qui doeeat, unde fit, ut aeque sepulturae ejus loeus obseurus sit, atque natale solum et patria.

(33) AIT ENIM:] In Praefatione ad Lib. II.

(34) PORRO QVAMDIV VIXERIT] Credibile quidem est, Vitruvium senem, neque multo post quam obtulerat Libros suos Augusto, obiisse. Eo etenim loco, quem (ante citata verba) Baldus adduxit, Vitruvius ipse, *faciem*, ait, *deformavit aetas, valetudo detraxit vires.* Itaque si id tempus invenerimus, quo opus suum obtulit Augusto Vitruvius, *quamdiu vixerit* conjicere aliquo modo licebit.

Cla. Perraultius in prima illa sua adnotatione superius commemorata, *Vitruve* (scribit) *à composé son livre avant qu' Auguste fust Empereur, et luy a dedié au commencement de son Empire*: hoc est: *Vitruvius suum Librum composuit antequam imperio poliretur Augustus, eundemque illi dedicavit initio ejus imperii.* Sed factum id fuit plures annos post illud initium, ut paullo infra ostendetur. Ad veritatem profecto Barthius (in *Adversariis* pag. 20.) magis accessit, qui ex Vitruvii Libro Primo verba prima cum retulisset, inde subdit; *Notandum est ex his verbis tempus scriptionis, quod statim ab Actiaca victoria fuisse existimo, rebus Imperii ad unum Augustum delatis omnibus, cum ejus auctoritas pro Numine haberi coepta.*

At ad hunc locum sane mirari subiit, a nemine (quod sciam) animadversa fuisse Vitruvii verba (Lib. V. cap. 1.) haec: *ne columnae impediant aspectus pronai aedis Augusti, quae est in medio latere parietis Basilicae collocata*: ex his enim verbis illud plane liquet, quod cum haec scribebat Vitruvius, jam Caesari Octaviano nomen Augusti datum fuerat. Id vero contigit anno ante Reparatam Salutem trigesimoseptimo; quo, sententia Munatii Planci, Augusti nomen Caesari tributum est a. d. XVI. Kalend. Febr.; ut, inter ceteros, ex Censorino, et ex Dione, colligit Petavius *de Doctrina Temporum* (Tom. II. pag. 157. et 368.) annis sexdecim postquam coeperat ille imperare. Ea itaque verba, quibus Vitruvius de sua aetate, et de adversa sua valetudine scribit, si considerentur, tum vero etiam animadvertatur, eum scripsisse post annum vigesimum septimum ante vulgarem aeram, facile (ut prorsus existimo) inde de ejus vitae spatio ac fine, haud levis capi poterit conjectura.

F I N I S.

ANONYMVS
SCRIPTOR VETVS
DE
ARCHITECTVRA
COMPENDIOSISSIME TRACTANS
QVAE
VITRVVIVS
ET CETERI LOCVPLETIVS QVIDEM AC DIFFVSIVS TRADIDERE
CVM ANNOTATIONIBVS
IOANNIS POLENI

IOANNIS POLENI
IN NOVAM
COMPENDII
ARCHITECTVRAE
EDITIONEM
PRAEFATIO

In Exercitationibus Vitruvianis Primis, de Compendio hoc, sive Epitome, atque de summa raritate exemplorum ejusdem ab Vascosano editorum (1), quaedam notatu (ut opinor) digna, jam in aspectum lucemque protulimus. Nunc vero de Epitomes ipsius Auctore, cujus nomen ignorabatur etiam ab iis, qui Vascosani Editioni praefuere (in ea enim dicitur VETVSTVS AVTOR, ἀνώνυμος TAMEN) quaerere aliquid ac dispicere, non prorsus inutile futurum esse arbitramur.

Principio autem investigandum est, num suspicari possimus, ab Petro Diacono fuisse concinnatum propositum hoc Compendium: quae suspicio incidisse visa est eruditissimo Jo. Alb. Fabricio; cujus hic describemus verba (2): *Epitome*, ait, *Vitruvii alia latine Parisiis edita jampridem est curante Guil. Postello, incerti sed fortasse antiqui Scriptoris, ut ait* (3) *Vossius* (in suo de *Mathematicis* scientiis Libro, ubi agit de *Epitome* hac edita ab Vascosano; quemadmodum in Exercitationibus paullo supra indicatis (4) demonstravimus) *Videndum sitne Epitome Vitruvii a Postello edita eadem cum illa Petri Diaconi, de qua in continuatione Chronici Casinensis lib. IV.* c. 68. cujus haec sunt verba *Petrus Diaconus Solinum de Mundi mirabilibus abbreviavit. Notarum librum ex parvo ampliavit, et Conrado Imp. dedicavit. Vitruvium de Architectura breviavit. Itinerarium ex omnibus veteribus libris collegit.*

Porro de hoc Petro Diacono viri doctissimi Bollandiani (ut appellantur) (5) *inter illustres*, ajunt, *Scriptores Sacri Archisterii Casinensis est Petrus Diaconus Chartularius, Scriniarius, ac Bibliothecarius Casinensis, qui non diu post annum* 1140. *vivere desiit, relictis quamplurimis ingenii sui monumentis.* Quibus plane est adstipulatus eruditissimus Abbas D. Erasmus Gattula in (6) *Historia Abbatiae Casinensis*, in qua de Petro Diacono plura habentur. Inter cetera vero narratur, Chronicae Monasterii Casinensis Librum Quartum exaratum ab hoc Petro Diacono accessisse ad priores treis, ab Leone

(1) Pag. 40. et 41.
(2) Bibliotheca Latina. Tom. I. pag. 345. Edit. an. 1728.
(3) Pag. 463.
(4) Pag. 40.
(5) Acta Sanctorum Martii a Jo. Bollando colligi feliciter coepta etc. Antverpiae fol. Tom. Tertio. pag. 489.
(6) Pars Prima. Venetiis. 1733. pag. 912. 913. 914.

Marsicano Card. antea contextos. Quo in Libro Opera, quae Petrus scripserat, Petrus ipse (1) recenset; sed ita, ut aliquis alius ea recensere videatur. Ea vero plurima sunt; nos unum hoc (ex *Chronica S. Monast. Casin.* edita cum *Rerum Italicarum Scriptoribus*) excerpsimus (2): *Petrus Diaconus . . . . Vitruvium de Architectura mundi emendans breviavit.*

Iterum etiam verba haec (3): *Vitruvium* Petrus Diaconus *de Architectura Mundi abbreviavit*, leguntur in *Opusculo* (edito itidem cum *Rerum Italicarum Scriptoribus*) *de Viris Illustribus Casinensibus*, Capite quadragesimo septimo, si integri *Opusculi* ratio habeatur; tertio autem, si spectetur *Supplementum Petri Diaconi de Viris Illustribus.* Ceterum notare obiter liceat, *Supplementum* quoddam alterum, sive *Continuationem* illi *Opusculo* adjectam, non *Richardo* (quemadmodum scribit (4) Ludovicus Elias du Pin) *Abbati Monasterii Casinensis*, sed *Placido Romano Monacho et Diacono Casinensi*, esse tribuendum: quod vel ex (5) novissima (et haec quoque habetur cum *Rerum Italicarum Scriptoribus*) *Opusculi* illius, ejusdemque *Continuationis* Editione liquido constat.

Praeterea vero animadvertendum, in (6) Indice (qui habetur inter modo commemoratos Rerum Italicarum Scriptores) Operum Petri Diaconi manu scriptorum, adhuc exstantium, *abbreviatum* illum *Vitruvium* non reperiri. Ac ne indicium quidem ullum ejusdem in Casinensi Monasterio invenit Domnus Joseph Maria Franchinus, vir eruditione et pietate ornatissimus, Casinensis Monachus, et Archivio Monasterii Casinensis Praefectus; qui, pro singulari erga me humanitate, diligentissime illum in ejus Monasterii Bibliotheca, nec non in Tabulariis perquisivit.

Neque tantum in Casinensi, verum etiam in pluribus aliis, iisdemque illustribus, Bibliothecis (cum pro inveniendo Compendio edito ab Vascosano lapidem omnem moverem) quaeri diligenter curavi *abbreviatum* illum manu scriptum *Petri Diaconi Vitruvium*; sed sorte usus sum adversa, nihil enim usquam inventum est. At dum illud geminum opus diligenti perquisitione indagabatur, compertum est, in Codice signato 1504. Bibliothecae Alexandrino-Vaticanae (de quo Codice in (7) *Exercitationibus Primis* commemoratum est) haberi Compendium quoddam Architecturae; quod deinceps, esse illud idem olim ab Vascosano editum, plane cognovi.

Illi autem iidem viri docti atque harum rerum periti (qui de ipso Codice alias tulerant judicium, quemadmodum innui in loco paullo ante indicato) mihi significarunt, ejus Compendii, et Librorum Vitruvii, eo Codice signato 1504. contentorum, eandem omnino esse scripturam ab uno eodemque Amanuensi profectam. Id etiam addentes, quod ipsis Codex ille, ut prius, *visus sit plane perantiquus, ac fortasse exaratus circa finem seculi octavi, certe minime scriptum post seculum nonum.* Itaque cum haec ita se habeant, quanto magis probabile est, Compendium illud eo in Codice, vel ante nonum seculum, vel seculo nono, scriptum fuisse; tanto fit credibilius, haudquaquam tribui posse illud opus Petro Diacono, qui e vivis excessit seculo duodecimo.

(1) CAP. LXVI.

(2) Tom. IV. Mediolani. 1723. pag. 537.

(3) Tom. VI. Mediolani. 1725. pag. 58.

(4) Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques etc. Par. M. L. Elties du Pin. Seconde Edition. Tome IX. A Paris. 1697. pag 182.

(5) Tom. VI. pag. 63.

(6) In eodem Tomo VI. pag. 59.

(7) Pag. 134. Art. XXI.

Et haec sane ratio, ne Petrus Diaconus Compendii illius auctor censeatur, una sufficere videtur: quamvis in nonnullis aliis (si luberet) addendis, haud multum esset laboris.

Suboriri praeterea suspicio alia posset, non quidem Petro Diacono, sed Palladio Rutilio Tauro Æmiliano, *Scriptori de Re Rustica*, tribuendum esse propositum *Architecturae Compendium*; quando in Codice Regio Vaticano (qui notatur numero 1286. *conscripto XIII. labente seculo, vel XIIII. ineunte, ita suffragantibus doctis Viris*; quemadmodum Roma mihi scriptum fuit) exstat principio *Palladii Rutilii Tauri Æmiliani Opus Agricolturae*, ad cujus extremum (pag. Codicis 43.) leguntur haec: *Palladii Rutilii Tauri Æmiliani, Viri Illustris, Opus Agricolturae explicit. Incipit de Architectura, valde utili Scientia*: quodque *incipit* est propositum *Architecturae Compendium*: ut proinde dixeris, vel hoc opus praecedenti Operis illius Auctori Palladio recte tribui. Adde, et *Vitruvii Libros*, et hoc *Compendium* conjunctis contineri uno eodemque perantiquo Volumine Vaticanae Bibliothecae, signato 1504. (ut paullo supra jam innuimus) a tergo autem ejusdem Codicis scripta esse duo nomina haec, *Vitruvius*, et *Palladius*. Forma tamen characterum, quibus sunt nomina illa exarata, minime aequat Codicis antiquitatem, sunt enim persimiles characterum, quibus Amanuenses labente seculo decimoquinto utebantur. Sed utcumque sit de illorum caracterum aetate, certe ex repetita illa Palladii mentione colligere quispiam posset non inepte, id *Compendium* aliquando Palladio fuisse adscriptum.

Veruntamen illi ut adscriberem, persuadere mihi non potui; cum in *Compendio* multa ex Palladii Libris descripta aut derivata potius, quam ab ipso Palladio conscripta esse videantur. Ejusmodi nonnulla loca indicavi in meis Annotationibus; ut, ad Art. VIIII. verba; *Calx itaque de albo saxo*: et ad Art. XVI. verba; *aestivis balneis hypocausteria*: et ad Art. XXI. verba; *catenae autem parentur*. Tum etiam magis abjudicandum esse id Compendium ab Palladio, percepi, cum formam ipsam locutionis a Palladio, et ab Auctore *Compendii* adhibitam, suis momentis pensitarem. Purior sermo in illius Libris *de Re Rustica*, et emendatior, quam in hujus *Compendio*. Et, quamvis eximiae elegantiae titulo non commendetur Palladius; haud parum tamen ab Auctoris nostri obscuritate quadam et negligentia differt. Et in hac quoque sententia esse plane comperi Collegam nostrum Virum eruditissimum Julium Pontederam, Botanices Professorem celeberrimum, qui jampridem in Palladii Libris versandis ornandisque diu multumque versatus fuerat. Is praeterea animadvertit, videri quidem, Auctorem nostrum ex S. Isidoro Hispalensi, qui tandem, seculo septimo ad medium vergente, floruit, loca aliqua desumsisse. Horum specimina quaedam observare est nostris in Annotationibus: Art. I. ad verba; *Ichnographia est areae*: Art. XII. ad verba; *larix vero a Castello*: et Art. item XII. ad verba; *multis itaque templis*. Quae loca satis indicare videntur, Auctorem nostrum nonnulla ex Isidori hausisse fontibus; et, quod consequitur, illius scripta scriptis hujus recentiora esse reputanda. Neque enim probabile mihi fieret, aut Isidorum descripsisse illa ex *Compendio*; aut ab uno eodemque alio Scriptore tum Isidorum, tum nostrum Auctorem, illa, in quibus consentiunt, verba fuisse mutuatos.

Itaque lubens dixerim, neque Palladium, neque Isidorum, fuisse Auctorem nostrum, veruntamen antiquum alium, et Isidori aetate paullo inferiorem.

Ait enim noster (Art. II.) fuisse, dum scriberet, *in Urbe Roma Tritonem aeneum, cum totidem thoracibus ventorum, factum ad templi Androgei Cyrenensis similitudinem.* Quamvis autem quae habent Petrus Angelus Bargaeus (1) *De Ædificiorum Urbis Romae Eversoribus*, et Alexander Donatus (2) *de Urbe Roma* ita intelligere velimus, ut inde putemus, a Barbaris haud multa publica aedificia fuisse eversa; nihilo tamen minus, multo post aetatem Isidori (sive post septimum seculum) superstitem exstitisse turrim illam ventorum, in tam infelici rerum Romanarum inclinatione, quae contigit illis (post Isidori aetatem) seculis, credibile minime fit: atque ideo Auctor, qui eam turrim viderit, perantiquus reputandus esse videtur. Quod si, ut probabile est, Codex ille Vaticanus signatus numero 1504. in quo descriptum habetur Auctoris nostri *Compendium*, exaratus fuit circa finem seculi octavi, aut seculo nono ineunte; nonne concludere plane licet, videri simile veri, Auctorem nostrum fuisse aevo Isidori haud multo inferiorem?

Cum igitur hic Auctor mihi visus oppido vetus sit, antiquos autem de Architectura Auctores, si Vitruvium excipias, raros et veluti tantum ex occasione de arte illa agentes (puta Palladium, et Isidorum) esse scirem: cum illud *Compendium* quibusdam Vitruvii locis (nonnullis fortasse etiam Palladii) lumen, quodcumque id demum esse queat, aliquod tamen, afferre possit; et cum jam editum fuerit, sed non admodum diligenti emendationis cura, et alicubi ingenio suo nimis (ut opinor) indulserit Editor, et ante duo ferme secula, rarissimaque sint ejus exemplaria; operae pretium me facturum existimavi, si *Compendium* illud, sive illam *Epitomem*, non omni quidem merito carentem, iterum ederem.

Eum autem in finem id facere constitui; ut quae (praesertim in Librorum Vitruvii interpretatione) utilitas percipi posset, constaret ea ex Libro prostante, non ex opere laboriosissime quaerendo. Neque vero mihi proposui, perpetuis annotationibus id *Compendium* illustrare: atque adeo in meas, ipsi *Compendio* subjectas, observationes loca Vitruvii paralella referre omnia; quamvis omnia, subsidio mei Indicis, invenire facile potuissem. Cum primum enim annotationes in Vitruvii Libros exarare, aut ab aliis desumere coepi, perspicue cognovi ad varias quidem comparationes, et ad multiplices usus, percommodum perque utilem futurum Indicem, quem mihi concinnarem, et conscriberem, omnium Vitruvii verborum, ad eum modum, quo Indices in Libris ad usum Serenissimi Delphini sunt adornati. Hunc itaque longum satis et molestum laborem suscepi, ac Indice conveniente cum Elziviriana Editione an. 1649. confecto, peregi.

Sed ut ad novam Editionem *Compendii* revertar; dicam, me curavisse, ut ope Vaticanorum Codicum (qui signati sunt numeris 1504. et 1286. fueruntque jam ante commemorati) editio mea fieret Editione Vascosani emendatior. Codice antiquiore, ceu textu describendo, usus sum: Editionem tamen Vascosani, et recentiorem Codicem consului; atque subjeci textui in annotationibus Variantes Lectiones, quae alicujus visae sunt esse momenti. Alicubi vero antiquioris Codicis Lectionibus Lectiones praetuli aut Editionis, aut Codicis recentioris. In hoc autem, ad extremum quorundam Articulorum, nonnulla adjecta fuisse videntur posterioribus temporibus; illisque in locis *Epi-*

(1) Antiquit. Roman. Thesaur. Vol. IV. p. 1867. (2) Lib. I. Cap. 18.

tomem extraneis additionibus fuisse infartam. Sed haec in Annotationibus fient clariora.

Ad significandum Codicem Regium Vaticanum (quem edimus) distinctum numero 1504. hisce utemur notis: Cod. R. 1.

Editio Vascosani designabitur hisce notis : Ed. V.

Codicem Regium Vaticanum , signatum numero 1286. indicabunt hae notae : Cod. R. 2.

(1) ANONYMI
SCRIPTORIS VETERIS
DE
ARCHITECTVRA
COMPENDIVM.

I.

De Principiis Artis Architectonicae.

De Artis Architectonicae peritia multa oratione Vitruvius Pollio, aliique (2) Auctores scripsere. Verum, ne longa eorum dissertaque (3) facundia humilioribus ingeniis alienum faceret studium, pauca ex his, mediocri licet sermone, privatis usibus (4) ornare fuit consilium. Quae partes itaque caeli et regiones ventorum salubres aedificiis videantur, et qua subtilitate nocivi flatus avertantur, aditusque januarum et lumina fenestris utiliter tribuantur, quibusque mensuris aedificiorum membra disponantur, quibus signis tenuis abundansque aqua inveniatur; alia etiam, quae aedificandi gratia scire oportet, brevi succinctaque narratione cognosces. Primo ergo quae principia ad Architecturam pertinere debeant studiose attendere convenit. Omnia enim pulchro decore ac venusta utilitate fieri poterunt, si ante hujus artis (5) peritus ordo discatur. Nam architecturae partes sunt octo, quae sunt ordinatio, dispositio, venustas, mensura, distributio, aedificatio, conlocatio, machinatio. Ex his Graeci (6), quinque vocabulis, studium architecturae esse docuerunt. Nam (7) ordinationem *taxim*, ac dispositionem (8) diathesim, venustatem et decorem eurythmiam,

(1) Hujusmodi titulum hic fecimus (facilitatis gratia) Operi huic; quamvis in editionis hujusce fronte eundem illum titulum, qui legitur in Vascosani Editione, maluerimus adhibere.

(2) AVCTORES SCRIPSERE] Cod. R. 2. habet; *Auctores scientissime scripserunt.*

(3) FACVNDIA] Ita restituimus ex Ed. V. et Cod. R. 2. legebatur in Cod. R. 1. *facundiora.*

(4) ORNARE] Cod. R. 2. *excerpere.*

(5) PERITVS ORDO DISCATVR] Ita Cod. R. 1. et Ed. V. Verum in Cod. R. 2. legitur, *peritus ordinem discat.* Et haec quidem dictio videretur aptior: neque enim memini a Latinis *peritas* dici res inanimes. Nihilo tamen minus a veteri Codice recedendum, non putavi.

(6) QVINQVE VOCABVLIS] hoc est, octo illas Architecturae partes Graeci redegerunt ad quinque illas, indicatas vocabulis, de quibus deinceps agit Auctor.

(7) ORDINATIONEM TAXIM] Verbum *taxim* conjiciens ab Amanuensibus fuisse praetermissum (cum desit tum in utroque Codice, tum in Vascosani Editione) adjeci ego: ita enim quinque sunt vocabula ex Graecis fontibus derivata; nimirum *taxis, diathesis, eurythmia, symmetria*, et *oeconomia*: ceterum quattuor tantum fuissent, contra ac supra scripserat Auctor. Vocem autem illam lubens addidi, cum totus ille locus ab Auctore nostro desumptus quodammodo fuerit ex principio secundi Capitis Libri Primi Vitruviani, ubi legere est: *Architectura autem constat ex ordinatione, quae Graece τάξις dicitur, et ex dispositione, hanc autem Graeci διάθεσιν vocant* etc.

(8) DIATHESIM] In Ed. V. est διάθεσιν: nimirum vox haec graecis litteris scripta est: ita etiam aliquod aliud graecum verbum. At cum in utroque Codice pleraque graeca sint litteris latinis expressa, scripturam Codicum, non una de caussa, sequi maluimus.

modulorum mensuras symmetriam, distributionem oeconomiam appellaverunt. Ordinatio (1) est ergo membrorum dispositio, et constat ex quantitate, quam graeci posotita vocant. Quantitas est modus singulorum membrorum universo respondens operi. Dispositio est apta rebus conclavium institutio; et operis futuri forma, tribus figuris divisa, quae a Graecis idea appellatur. Hae sunt ergo tres figurae, Ichnographia, Orthographia, Scenographia (2). Ichnographia est areae, vel soli, et fundamentorum descriptio. Orthographia est laterum, et altitudinis exstructio. Scenographia est frontis, et totius operis per picturam ostensio.

II.

De Ventis.

Ferunt quidam philosophorum, Eratosthenem mathematicis rationibus et geometricis methodis aequinoctiali tempore per gnomonicas umbras orbis terrae spatia esse metitum; et sic certos ventorum didicisse flatus (3). Tenere ergo orientem (4) aequinoctialem . . . . Favonium . . . . Septentrionem (5). Inter ceteros tamen Androgeus Cyrenensis cum VIII. ventis orbem terrae regi adseverasset, exempli caussa Athenis turrim marmoream octogonam instituit, in qua imagines ventorum sculptas contra suos cujusque flatus ordinavit; supraque ipsam turrim metam marmoream posuit, et Tritonem aeneum collocavit, et ita est modulatus, ut cum ventus aliquis adspirasset quodam momento in gyro agerctur, et supra caput ejus resisteret; et, dextera manu virgam (6) tenens, ipsum esse flantem monstraret. Itaque esse inter Subsolanum et Austrum ad orientem hibernum, Eurum; inter Austrum et Favonium ad

(1) EST ERGO MEMBRORVM] Cod. R. 2. *est membrorum*: desideratur illativa conjunctio *ergo*.

(2) ICHNOGRAPHIA EST AREAE etc.] Isidorus Hispalensis Episcopus (Originum Lib. XVIIII. Cap. 9) Ichnographiam *Dispositionis* vocabulo designavit, definivitque verbis hisce; *Dispositio est areae, vel soli et fundamentorum descriptio*: noster Auctor; *Ichnographia est areae, vel soli, et fundamentorum descriptio*: hoc est, Isidorus et Auctor noster, verba adhibuere plane eadem. At Vitruvius Ichnographiam alia quidem definitione explicavit. Ait enim (Lib. I. Cap. 2.) *Ichnographia est circini regulaeque modice continens usus, ex qua capiuntur formarum in solis arearum descriptiones.* Palladium vero Ichnographiae mentionem injiecre, nuspiam inveni.

(3) TENERE ERGO] Cod. R. 2. *tenere scilicet.*

(4) AEQVINOCTIALEM . . . . . FAVONIVM etc.] In Codd. R. 1. et R. 2. legitur, *aequinoctialem Favonium Septentrionem*: In Ed. V. *aequinoctialem Solanum: meridiem, Austrum: occidentem, Occidentalem: septentriones, Septentrionem.* Sed cum ventum ab occidente flantem *Favonium* nominaverint, non *Occidentalem*, prisci Latini, valde dubito, quin pro arbitrio editoris locus hic in Vascosani Editione fuerit commutatus. Malui ego lacunas relinquere iis in locis, ubi certe Amanuenses verba quaedam practermisere. Ceterum credibile prorsus est, Auctorem nostrum desumsisse locum suum ex Vitruvii Cap. VI. Lib. I. ubi Vitruvius ait; *Nonnullis placuit esse ventos quattuor; ab oriente aequinoctiali Solanum; a meridie Austrum; ab occidente aequinoctiali Favonium; a septentrionali Septentrionem.* Ex his autem, quae medicina afferri possit loco Auctoris nostri, facile apparet.

(5) INTER CETEROS TAMEN ANDROGEVS CYRENENSIS CVM VIII. VENTIS] Haec quae desunt in Cod. R. 1. et in Ed. V. habentur (necessaria profecto, ut perficiatur sententia) in Cod. R. 2. Porro ille *Androgeus Cyrenensis* idem est ac *Andronicus Cyrrhostes* a Vitruvio nominatus Lib. I. Cap. VI. Infra tamen in hoc eodem Articulo nomen illius *Androgei Cyrenensis* exstat tum in Codice utroque, tum in Vascosani Editione.

(6) TENENS IPSVM ESSE] Cod. R. 2. *tenens praedictus Triton, ipsum esse.* Duo illa verba, *praedictus Triton*, minime leguntur in Cod. R. 1. et in Ed. V. ac ea praetermisi, cum redundare posse videantur.

occidentem hibernum, Africum; inter Favonium et Septentrionem, Chaurum, quem quidam Corvum vocant; inter Septentrionem et Subsolanum, Aquilonem. Hoc modo et nomina et partes et numeros ventorum scire coeptum est. Sed plerique XII. ventos esse adseverant, ut est in Urbe Roma Triton aeneus, cum totidem (1) thoracibus ventorum (2), factus ad (3) templi Androgei Cyrenensis similitudinem; supra caput venti virgam tenens eundem esse flantem ostendit. Observabis ergo ne januas aut fenestras contra nocivos flatus facias. Nocivi enim flatus sunt ubi aut nimis incumbunt aut acerrima frigora faciunt; ut et homines, et animalia laedant. Frigorosis ergo regionibus a meridie aut ab occasu hiberno januas et fenestras facies (4): aestivosis vero a borea et septentrione fieri ordinabis.

III.

De Aquae Inventione.

(5) Quoniam usibus omnium maxime necessariae aquae videntur, primo quae genera terrae tenues aut abundantes venas emittant, quibus etiam signis altius depressae inveniantur, quomodo ex fontibus vel puteis ducantur, quae nocivos aut salubres habeant liquores, studiose scire oportet. Aquae ergo fontanae aut sponte perfluunt aut saepe de puteis abundant (6); quarum si tales copiae non erunt, signis infrascriptis quaerendae sunt. Sub terra capita aquarum et (7) proxima fontibus, altiora puteis, colligenda. Ante Solis itaque ortum in locis, quibus aqua quaeritur, aequaliter in terra procumbatur, et mento

(1) THORACIBVS VENTORVM] Aut in thoracibus illis sculpta erant signa, quibus denotaretur qualis esset quisque ventus: aut Auctor noster voce illa *thoracum* indicare voluit imagines usque ad pectus expressas, quales *thoracidae* sequiori aevo dictae fuerunt. Ita Walafridius Strabo (qui floruit ante medium seculi noni) *de Officiis divinis* c. 8. scripsit, Sylvestrum Pontificem *cognovisse Constantinum Imperatorem per thoracidas Apostolorum, quod ipsos in visione viderit.* Hunc autem locum ab eruditissimo Carolo de Aquino sum mutuatus.

(2) FACTVS AD TEMPLI ANDROGEI CYRENENSIS SIMILITVDINEM; SVPRA] At in utroque Codice, et in Ed. V. repereram, *factus ad templi Androgei Cyrenensis similitudo supra*: iis tamen, quas (ex conjectura) adhibui emendatione, atque interpunctione opus esse, easdemque probabiles haberi posse, existimavi.

(3) TEMPLI] Turris ventorum, hoc loco appellatur *templum.* Ita vero potuisse appellari, non melius ostendere possum, quam doctissimi Jacobi Gronovii verba huc afferendo (ex ejus Praefatione ad Volumen IV. *Graecarum Antiquitatum*) Postquam enim de Turri Andronici a Vitruvio commemorata egerat ille, subdit; *sed tamen vix dubitari potest, quin adfuerit simul aliquid superstitionis, usitatae Acticis etiam in ventis; unde caute agens Sponius* II. 117. *scribit*, LA TOVR OV LE TEMPLE DES VENTS. *Hinc enim illa curiosa annotatio vel Demonis statuentis Ventos esse Tritopatoras*; aliaque similia erudite affert.

(4) AESTIVOSIS] Hac voce usus est etiam Columella, qui *de Re Rustica* Lib. V. Cap. 8. scripsit, *aestivosis locis*, ut pleraeque ferunt editiones (tribus tamen in editionibus legitur *aestuosis locis*; ut in praeclara sua *Scriptorum Rei Rusticae* editione adnotavit Cel. Jo. Matthias Gesnerus). Quamobrem analogia indicare videtur, vel Columellae aetate *frigorosis* etiam dici potuisse. Carolus du Fresne, vocum *mediae et infimae Latinitatis* peritissimus, in Glossario suo (edit. an. 1678.) habet, *Frigorosus.* FRIGOROSAE REGIONES *apud Anonymum* (nostrumque indicavit) *de Re Architectonica cap.* 2. Hunc autem eundem Auctorem nostrum Carolus in Indicis sui albo posuit (pag. CLXXXVI.) nulla tamen temporis, quo floruerit Anonymus, addita nota, sive conjectura.

(5) QVONIAM] Ita Cod. R. 2. At Cod. R. 1. *Quo*: Ed. V. *Quum.*

(6) QVARVM SI TALES COPIAE NON ERVNT] Secutus sum Ed. V. Legere est in Cod. R. 1. *cujus si talis copia non erit*: et in Cod. R. 2. *cujus aquae si talis copia non erit.*

(7) PROXIMA] Cod. R. 2. *prima.*

deposito per ea prospiciatur; mox videbis in quibuscumque locis aqua latebat humores (1) in aere supra terram crispantes, et in modum tenuis nebulae rorem spargentes, quod in siccis et aridis locis fieri non potest. Quaerentibus ergo aquam diligenter erit considerandum quales terrae sint. Certa enim genera sunt in quibus aut abundans aut tenuis aqua nascatur (2). In creta tenuis (3) sed exilis, nec optimi saporis invenitur; in sabulone soluto tenuis limosa et insuavis, altioribus locis mersa; in terra nigra stillarum humores exiles magis, ex hibernis liquoribus collecti, saporis optimi, spissis et solidis locis (4) subsistentes. Glareae vero mediocres et incertas venas habent, sed egregia suavitate. In sabulone masculo, et arena, et carbunculo, certiores et salubriores et abundantiores sunt copiae aquarum (5). In rubro saxo et copiosae et bonae inveniuntur. Sed providendum erit, ne inter rimas saxorum, quando suspensae sunt, decurrant. Sub radicibus montium et in saxis silicibus uberiores, et salubriores, et frigidiores aquae inveniuntur. Campestribus autem fontibus salsae, et graves, et tepidae, et non suaves erunt. Sed si sapor bonus invenitur, scito eas de montibus sub terra venire in medios campos; ibique umbris (6) arborum contectae praestabunt montanorum fontium suavitatem. Signa autem investigandae aquae alia hujusmodi invenientur. Tenuis juncus, salix erratica, alnus, vitex, arundo, hedera, alia quoque, quae sine humore nasci non possunt. Quando autem in lacunis similia nascuntur, facile his credendum non est. Itaque sic inventiones aquae probabis. Fodiatur ergo ubi haec signa fuerunt inventa, ne minus in latitudinem pedes III. in altitudinem pedes V. et circa solis occasum vas plumbeum aut aeneum, mundum intrinsecus, perunctum oleo (7) in imam fossuram inversum conlocatur; supraque fossuram frondibus vel arundinibus missis terra inducatur. Item alia die aperiatur; et si sudores aut stillae in vase inveniantur, is locus sine dubitatione aquam habebit. Item si vas ex creta siccum non coctum (8) eadem ratione fuerit, si is locus aquam habebit, alio die vas humore solutum invenietur. Vellus lanae similiter in eo loco positum, si tantum humoris collegerit, ut alia die exprimi possit, magnam copiam aquae locum habere significat. Lucerna plena oleo incensa si in eodem loco similiter adoperta in alia die lucens fuerit inventa, indicabit, eum locum aquam habere; propterea quod omnis calor ad se trahit humorem. Item in eodem loco si focum feceris, et vaporata terra humidum nebulosumque fumum suscitaverit, ostendit locum aquam habere. Cum haec ita fuerint reperta certis signis, in altitudinem putei defodiendi erunt, quousque caput

(1) IN AERE SVPRA TERRAM CRISPANTES] verba illa, *supra terram*, non apparent in Cod. R. 2. in quo, *in aera crispantes.*

(2) IN CRETA TENVIS etc.] *In creta, tenuis et exilis et non alta est copia, ea erit non optimo sapore*: Verba Vitruvii sunt in ejus Libri octavi Capite primo, quo ex Capite pleraque hoc Articulo contenta in rem suam transtulit Auctor noster. Illo itidem Capite usus est, de re hac eadem agens, Palladius: minime itaque mirum, si noster cum Palladio hic quoque consenserit.

(3) SED] Cod. R. 2. *scilicet.*

(4) SVBSISTENTES] In Cod. R. 2. leguntur, *subsidentes.*

(5) IN RVBRO SAXO ET COPIOSAE ET BONAE INVENIVNTVR. SED PROVIDENDVM etc.] Palladius in *Augusto*, Art. VIII. habet haec: *in saxo rubro bonae et abundantes sunt. Sed providendum est, ne inventae inter rimas refugiant, et per intervenia dilabantur.* Alia in eo Palladii Art. VIII. videre est similia eorum, quae nostro ab Auctore proponuntur. Facile autem intelliges, si loca compares, utrumque per Vitruvium profecisse.

(6) ARBORVM] Deest vox haec *arborum* in Cod. R. 2. ut etiam paullo infra particula *ergo.*

(7) IN IMAM FOSSVRAM INVERSVM CONLOCATVR; SVPRAQVE FOSSVRAM] Cod. R. 2. habet: *in unam fossam inversum colloca supra quam fossam.*

(8) EADEM RATIONE] Cod. R. 2. *eadem positum et opertum ratione.*

aquae inveniatur; aut (1), si plura fuerint, in unum colligantur. Maxime tamen sub radicibus montium, in règione septentrionali, signa aquae sunt quaerenda. In his enim locis suaves et salubres et abundantiores inveniuntur (2), quàndo naturae beneficio a solis cursu separantur, et arborum aut montium umbris velatae (3) frigida gratia aestate, hiberno tepida suavitate (4), perfluerint.

IIII.

De Puteorum fossionibus et structuris.

(5) In puteorum autem fossionibus diligenter est cavendum, ne fodientibus periculum fiat, quoniam ex terra sulphur, alumen, et bitumen nascitur; quae res, cum in se convenerint, pestiferos spiritus emittunt: et primo occupatis naribus tetro (6) odore reprimunt animas corporibus; et, si non inde cito fugerint, celerius moriuntur. Hoc autem malum, ubicumque fuerit, hac ratione vitabis. Lucerna accensa (7) in eum locum demittatur, quae si ardens remanserit, sine periculo descendis. Quod si ereptum eí lumen fuerit, cavendum erit ne in eum locum descendatur. Sed si alio loco aqua non invenietur, dextra ac sinistra usque ad libramentum aquae (9) putei fodiantur; et per fracturam foramina quasi nares intus in puteum demittantur, qua nocivus spiritus evaporet. Sed cum aqua inventa fuerit, signinis operibus parietes struantur ita ne venarum capita excludantur. In signinis autem operibus haec servare debebis. Primo ut arena aspera paretur, et cementum de silice vel (9) lapide tuficio calcisque proxime extinctae duae partes ad quinque (10) arenae morta-

(1) SI PLVRA FVERINT] Haec est lectio Cod. R. 1. et Ed. V. At in Cod. R. 2. est, *plura capita fuerint*: sed etiam sine ea voce *capita* (quae, specie quadam ellipsis, potui praetermitti) satis perspicua habetur sententia.

(2) QVANDO] Cod. R. 2. *quoniam.*

(3) FRIGIDA GRATIA AESTATE] Cod. R. 2. *frigida aestate.*

(4) PERFLVERINT.] Hoc propositi Articuli III. extremum est verbum: at in Cod. R 2. habetur *perfluent*: et deinde sequuntur haec: *Sub divo vero fossa hoc signo reperitur, quod numquam ros, aut gelu album super ejus os conspicitur, si non multum cooperta obturetur. Si etiam sit in domo vox data per echo recipiatur.*

(5) IN PVTEORVM AVTEM FOSSIONIBVS etc.] Deprompsit principium hujusce Articuli Auctor noster ex Palladio, qui in *Augusto*, Art. IX. habet haec: *Sed in fodiendis puteis cavendum est fossorum periculum, quoniam plerumque terra sulfur, alumen, bitumen educit* etc.

(6) ODORE REPRIMVNT ANIMAS CORPORIBVS; ET, SI] Ita Cod. R. 2. Cod. R. 1. *odore reprimunt et si.* Ed. V. *odorem anhelitum reprimunt: et si.* Illam vero praetuli lectionem, quae, melius refertur ad verba Palladii, eum (ut paullo ante animadverti) facile Auctor noster Palladium ante oculos haberet dum scriberet haec: sunt autem Palladii verba (in commemorato Art. IX.) *spiritus misti anhelitum pestis exhalant, et occupatis statim naribus extorquent animas, nisi quis fugae sibi velocitate succurrat.*

(7) IN EVM LOCVM] Praetuli lectionem hanc Ed. V. ut emendatam; cum tamen, *in eo loco,* uterque habeat Codex.

(8) PVTEI] Sic Ed. V. sed Codices *puteis.*

(9) LAPIDE TVFICIO] Hoc est, *tofo*, sive *topho*. Vitruvius (Lib. II. Cap. 7.) *in Campania ruber et niger tophus, in Umbria et Piceno et Venetia albus, qui etiam serra dentata, ut lignum, secatur.* Est tophus lapis friabilis, minimum ponderis in structura habens. Notus lapis; sed minime nota vox *tuficius*: cujus apud Latinos Scriptores nullum inveni aliud exemplum. Quamvis reperiantur voces *tofacius*, et *toficius*: Palladius (Lib. IX. Tit. IX.) *structa sit lapide tofacio*: et Capitolin. in Max. C. 6. habet; *lapides toficios friare*: at quod attinet ad vocem *tuficius*, hujus exemplum unum, hoc est locum hunc Anonymi nostri, exhibuit Carolus du Fresne in *Glossario* suo, ad vocem *Tufus*, pro *Tofus.*

(10) ARENAE MORTARIO] Cod. R. 2. *arenae partes mortario.*

rio misceantur. Puteum ergo fodere debebis latum pedibus octo, ut a (1) binis pedibus structura in circuitu surgat, et quattuor cavo relinquat. Structuram vero cum facere coeperis vectibus ligneis densabis, sic ut (2) nitorem frontis non laedas. Sic enim solidata structura adversus humorem fortior erit. Quod si limosa aqua fuerit, salem ei (3) misces (4), et sua vi acrem saporem mutabit. Sed licet auctores ad quinque partes arenae duas partes calcis mitti docuerint, iisdem mensuris (5) et redivivas (6), et pensas fieri monstraverint: melius tamen inventum est ut ad duas partes arenae una calcis misceatur, quo pinguior impensa fortius caementa ligaret. Similiter et in testaceis operibus facies. Puteum autem cum fodere coeperis, si terra solida non fuerit aut arena (7) rubrica aut sabulo fluidus aut exsudans humor fossionem (8) resolvat, tabulas axium directas fodiendo submittes et eas vectibus ligneis transversis distinebis, ne labens terra ruina ponderis periculum fodientibus faciat.

(1) BINIS PEDIBVS] Sic Codices. In Ed. V. vox illa, *pedibus*, desideratur; quam tamen delendam non censui: praesertim cum Palladius (Lib. IX. Tit. IX.) haud absimili modo scripserit: *Fodiendus* (ejus verba sunt) *est puteus, latitudine octo pedum quoquoversum, ut binos pedes structura concludat.* Quod autem attinet ad puteorum structuram, noster handquaquam per Vitruvium proficere potuit, cum is in ea describenda non sit versatus.

(2) NITOREM FRONTIS] Interpretor, hisce verbis indicari cavam structurae superficiem: sed hariolor. Cod. R. 2. habet, *fontis*.

(3) MISCES] Verbum hoc, quamvis tempore cum iis, quae sequuntur, haud cohaerere videatur, reliqui, quoniam consentit uterque Codex. In Ed. V. legitur, *misceto*.

(4) ET SVA VI ACREM SAPOREM MVTABIT] Hoc est, sal, sua vi, sua commixtione, acrem saporem (malum saporem aquae limosae appellari acrem ab Auctore nostro, conjicio) mutabit in meliorem: emendavi ex conjectura, sed nescio an ex probabili conjectura. Ed. V. *et suavitatem saporem siccabit.* Cod. R. 2. *et suavitate saporem mutabit.* Cod. R. 1. *et suavitate saporem sutabit*: fere pro *sutabit* legi ego *tutabit*: cum tutare, sequiore aevo, significaret etiam extinguere. Haec Palladius paucis et perspicue sic (loco cit.) expresserat: *si aqua limosa fuerit, salis admistione corrigatur.*

(5) ET REDIVIVAS] Mixtiones hae, quae redivivae appellabantur, nomen traxisse plane videntur a *Redivivis*: *Rediviva* autem dicebantur quae ex diruto aedificio sumta in novi aedificii constructione adhibebantur. Notus est Ciceronis locus (in Verrem Lib. I. ut fert Ed. Cl. Visbur. Art. LVI.) *Rediviva sibi habeto; quasi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis constitueretur*: ubi Tullius agit de aedificio.

(6) ET PENSAS] Lubenter reposuissem *impensas*. Attamen *pensas* retinui. Verum dicemusne, ea voce indicari ab Auctore nostro mixtionem arenae et calcis, quae usui esset dum non *rediviva*, sed nova essent quae adhiberentur: hacque ratione *redivivas mixtiones* a *pensis*, sive impensis, differre? Paullo infra Auctor noster habet, *impensa fortius caementa ligaret*: et (Art. XXIII.) *Operi coronario subtilior impensa necessaria est.* Palladius (de re itidem aedificatoria agens, Lib. I. Art. IX. et XIII.) bis voce, *impensa*, usus est pro farcimine ex calce et rebus quibusdam aliis, quae cum calce a caementariis commiscentur.

An potius statuemus, mixtiones *redivivas* dictas eas fuisse, quae factae essent ex calce, *quae multo* (ut noster ait, Art. XX.) *ante tempore fuerit macerata*? Mixtiones vero *pensas* fuisse nominatas illas, in quibus adhibita calx recens: haec enim reputari potuit ceu recenter empta, et *pensa* (ut ex pondere pretium aestimaretur) atque ea de caussa illiusmodi mixtio, in qua recens calx, pensae nomen, aevo illo, fortasse obtinuit. An sequemur Philandri sententiam, quae percipi potest ex ejus Annotatione ad Vitruvii verba illa, quibus (Lib. VIII. Cap. I.) *ruderis redivivi* mentio fit?

(7) RVBRICA] Retenta hac lectione, arenam *rubricam* (rubram) fluidiorem crediderit Auctor noster, existimandum est. Ego tamen lubens mihi persuasissem, pro *rubrica*, *lubrica* esse legendum.

(8) RESOLVAT] Id verbum posuimus pro *resolvit*, quod est in Cod. R. 1. et in Ed. V. verum in Cod. R. 2. est *resolvitur*: at emendationem demonstravit praecedens verbum *fuerit*.

V.

De utilitate aquae probandae.

Quoniam ergo ante omnia aquae usus necessarius habetur, his experimentis utilitas ejus probanda erit. Itaque si naturaliter fontes perfluent, considerandum erit prius quales homines et quam salubri corpore circa eos fontes habitent. Itaque (1) si corporibus valentibus, cruribus non vitiosis, coloribus nitidis, non lippientibus oculis, purgatos salubresque fontes probabis. Quod si novi fontes, aut putei fossi fuerint, aquam eximes (2) in vas aeneum nitidum sparges, et si maculam non fecerit optime probabilis erit. Missa etiam in vas aeneum si decocta fuerit, et limum vel arenam in fundo non reliquerit, legumen in ea si cito coquatur, bona erit: non minus (3) si perlucidi fontes fuerint et sine musco aut quibusdam inquinamentis (4), signum hoc ita salubrem perpetuamque aquam futuram significabit.

VI.

De aquae inductione.

Ductus autem aquae (5) quattuor generibus fiunt: aut forma structili, aut fistulis plumbeis, aut tubis vel canalibus ligneis, aut tubis fictilibus. Si per formam aqua ducitur, structura ejus diligenter solidari debet, ne per rimas

(1) SI CORPORIBVS VALENTIBVS etc.] Quae ex *membris corporibusque gentium observanda* sint ad dignoscendas *regionum rationes caelique qualitates*, Vitruvius proposuit Lib. VI. Cap. I. et Lib. VIII. Cap. 5. ubi de *expertionibus* fontium agit; *si* homines, ait, *erunt corporibus valentibus, coloribus nitidis, cruribus non vitiosis, non lippis oculis,* fontes *erunt probatissimi.* Ex his palam est unde sua derivaverit noster.

(2) IN VAS AENEVM NITIDVM SPARGES] Cod. R. 1. *in vaso aeneo*: Ed. V. *in vase aeneo*: Cod. R. ut scripsimus. Palladius (Lib. IX. Tit. X.) habet: *Aquam vero novam sic probabis: in vase aeneo nitido sparges.* Ad ea autem verba, *in vase aeneo*, Schoettgenius observavit, ita quoque legi in Vitruvii Epitome; sed Vir doctus notaverat, in MS. haec: *in vas aeneum nitidum*, quae facile ex ipso sumsit Vitruvio, qui habet; *in vas Corinthium sparsa.* Adde Vitruvii locum esse in Lib. VIII. Cap. 5.

(3) SI PERLVCIDI] Ita Cod. R. 2. et Ed. V. at Cod. R. 1. habet *superlucidi.*

(4) SIGNVM HOC ITA SALVBREM PERPETVAMQVE AQVAM FVTVRAM SIGNIFICABIT] Cod. R. 1. *ignem non ita salubrem perpetuamque aquam futuram significabit.* Cod. R. 2. *salubrem perpetuamque habebit aquam.* Ed. V. *aquae, nam ita salubrem perpetuamque aquam futuram significabitur.* Emendatione certe opus erat. Ex Vitruvii commemorato Capite quinto Libri octavi (ut etiam Palladius fecerat Lib. IX. Tit. X. sed magis sobrie) suas aquarum expertiones ferme descripsit noster: illius autem Capitis postrema verba haec sunt: *si muscus non nascetur, neque juncus, neque inquinatus ab aliquo inquinamento is locus fuerit, sed puram habuerit speciem, innuetur his signis esse tenuis, et in summa salubritate.* Quamobrem, ut sensus aliquis huic loco restitueretur eum attenderim verba illa, *his signis*, (et litteras, ex quibus coalescunt) reponi posse, conjeci, *signum hoc* pro verbis, *ignem non*, quae ad eam Auctoris sententiam minime pertinere videntur. Itaque emendatio nostra duntaxat ex hac qualicumque conjectura profluxit.

(5) QVATTVOR GENERIBVS FIVNT etc.] In divisione hac Auctor noster magis cum Palladio convenit, quam cum Vitruvio. Ilic (Lib. VIII. Cap. 7.) *Ductus*, scribit, *aquae fiunt generibus tribus, rivis per canales structiles, aut fistulis plumbeis*, seu *tubulis fictilibus.* At Palladii quadripartita divisio (Lib. IX. Tit. XI.) hujusmodi est: *Cum vero ducenda est aqua, ducitur aut forma structili, aut plumbeis fistulis, aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis.*

pereat. Canaliculus formae juxta magnitudinem aquae dirigatur. Si planus locus fuerit, pede semis intra caput aquae structura (1) conlocetur. Et, si longior planitia fuerit, inter centenos vel, LX. pedes structura (2) submittatur, ut animata aqua non pigro impetu decurrat. Nam si intervalla montium fuerint; ad libramentum caput aquae, uti specus, sub terra erit struendum, aut roboreis canalibus aquae ductus componetur. Quod si concavae vallium dimissiones impedient (3): structura solida vel arcuatili ad libramentum aquae occurratur; aut fistulis plumbeis, aut canalibus (4) aquae cursus dirigatur. Verum si altior locus fuerit, unde aqua ducitur, aliquanto inferius planitia inflexa libretur; ut veniens aqua fracto impetu lenius decurrat. Aut si longius de monte ducitur saepius flexuosas planities facies. Minori etiam sumptu et utilius tubis fictilibus inducitur. Cum a figulo ergo fient ne minus duorum digitorum (5) grossitudine corium habeant. Sed ipsi tubuli ex una parte angustiores fiant, ut alter in alterum per ordinem vel palmum ingrediantur. Juncturae autem eorum calce viva oleo subacta illiniantur; et (6) antequam a capite aqua demittatur, favilla per eos cum parvo liquore laxetur, ut si qua vitia tubuli habuerint excludantur. Salubrior (7) enim usus (8) tubulorum ex materia invenitur: ex plumbo enim cerussa nascitur, quae corporibus humanis nociva est; exemplum autem hujus plumbariorum deformitas (9) praebet, qui tractando plumbum (10) exsucati sanguine foedo pallore mutantur. Nam cum fere omnes exstructas vasorum argenteorum vel aeneorum habeant mensas; tamen, propter saporis integritatem, fictilibus vasculis utuntur. Non alienum videtur, etiam (11) receptacula locis opportunis facere, ut si aquae exhaustae solis ardoribus fuerint, aut venas sitiens terra consumpserit, nihilominus de receptaculis aqua ministretur. Canalium vero et tubulorum ligneorum facilis et usitata aquae inductio videtur.

(1) CONLOCETVR] Fortasse legendum esset, *confornicetur*: Vitruvius enim (loco cit.) de hac eadem re habet; *aeque structurae confornicentur.*

(2) SVBMITTATVR] Palladius (loco cit.) utitur aptiore verbo, *reclinetur.*

(3) STRVCTVRA SOLIDA VEL ARCVATILI] Ita Cod. R. 2. cum depravate, ut opinor, Cod. R. 1. et Ed. V. habeant; *structuram solidam vel arcuatilem.*

(4) AQVAE CVRSVS] Consentiunt Codices. Ed. V. *aquae liber cursus.*

(5) GROSSITVDINE] Ita Codices: at Ed. V. habet *crassitudine*: alibi etiam (ut Art. XXI.) legere est in Codicibus, *grossitudinis*, et *grossiori*; pro quibus Ed. V. praefert, *crassitudinis*, et *crassiori*; sed ego Codicum lectiones malui retinere: praesertim cum jam noverim, S. Gregorium M. (qui floruit labente seculo sexto) non semel usum fuisse voce hac, *grossus*, teste Carolo du Fresne in Glossario, ad vocem eandem.

(6) ANTEQVAM A CAPITE AQVA] Cod. R. 2. *antequam aqua*: deest, *a capite.*

(7) ENIM] Lubenter, pro *enim*, reposuissem *autem*, aut particulam aliam transgressioni inservientem. Namque progreditur noster ad ostendendum, ligneos tubos esse plumbeis salubriores. Particulae, ut compendiariis notis persaepe scriptae ab describentibus amanuensibus, haud raro mutatae sunt.

(8) TVBVLORVM EX MATERIA] Hoc est tubulorum ligneorum. Particulam *ex* induxi in textum, nimis suspicans aliquid deesse.

(9) PRAEBET] Ita Ed. V. Sed Codices, *probat.*

(10) EXSVCATI] Haec lectio Codicis est R. 1. Alter Codex, et Ed. V. habent *exsiccati.*

(11) RECEPTACVLA] Cod. R. 1. *acceptacula.* Cod. R. 2. *conceptacula.* Ed. V. *acetabula.* Plane credidi, *receptacula* esse legendum: tum quia Palladius (Lib. IX. Tit. XI.) de eadem agens re habet haec: *diligentis erit aquarum receptacula fabricari*: tum quia Auctor ipse noster, post duos versus, subdit (et consentiunt Codices, ac Ed. V.) *de receptaculis aqua ministretur.*

VII.

De mensuris et pondere fistularum.

Fistulae ergo plumbeae, pro magnitudine aquae, hanc soliditatem et mensuram accipere debebunt. Si centenariae fundentur denum pedum, (1) M. et CC. lib. fusurae accipiant. Octogenariae denum pedum, DCCCCLX. lib. accipiant. Quinquagenariae denum pedum, DC. LXXX. lib. accipiant. Quadragenariae denum pedum, DC. lib. Tricenariae denum pedum, CCCCL. lib. Vicenariae denum pedum, CC XL. lib. Octonariae C lib.

(1) M. ET CC.] Cod. R. 1. et CC. Cod. R. 2. CC. et CC. Ed. V. *M. et CC.* Illam vero germanam esse lectionem, nemo sane dubitabit, qui Caput VII. Libri octavi Vitruvii consuluerit; ubi de Fistulis plumbeis pedum denum, deque pondere earundem distincte agitur. Quamvis autem ceteri ab nostro Auctore prolati numeri non omnes consentiant cum Vitruvii numeris; sed ab his, parte aliqua, aliqui differant, nihil tamen mutandum censui: cum in Codice utroque, et in Vascosani editione numeri a nobis exhibiti, mira consensione reperiantur. Palladius (Lib. IX. Tit. XII.) magis quidem steterat Vitruvio.

In Codice Regio Vaticano secundo post Articulum hunc octavum tres alii sequuntur Articuli, qui neque in Codice Regio primo, neque in Vascosani Editione inveniuntur. Eos autem ad Auctorem nostrum minime pertinere existimo; sed ab alio quopiam (quo tempore non divinaverim) adjectos fuisse reor. Qualescumque sint, tamquam parerga, scriptos eodem plane modo (si interpunctionem excipias) ac ex Codice illo fuere descripti, eos subjeci.

De Organicis Fistulis.

Post fistulas tuborum fusiles, pauca subtexere licuit de fistulis organicis, quae fiunt hoc modo. Cuprum purissimum tundendo ad summam tenuitatem extenditur, et complicatur ferro, ad hanc rem propter aequalem latitudinem omnium fistularum aptato, pene IIII. pedibus longo, in modum Cylindri, bene rotundo: tantum ex una parte, plus minus uno palmo, paulatim restringitur acuendo, ut concavitas omnium fistularum in superiori foramine ovum columbae, in inferiori ovum lodicis, idest, alaudae, possit recipere. In eo vero loco, ubi incipit aequalis grossitudo, ex transverso admorsa, et patefacta, fistula ex cupro, in modum semicirculi una interius solidatur; ad quam hinc inde fistulam oportet comprimi, ut vox possit formari. Denique ab eo loco, ubi ponatur, una sumitur cum circino totius fistulae mensura ad eam partem, ubi diximus esse superius foramen, ut quantum debet esse unaquaeque vel major, vel minor quam altera, noscatur. Siquidem si diatonicum sit genus (quo maxime decurrunt modernae cantilenae) hoc modo metientur fistulae. Prima, quae omnibus minor est, et iccirco acutior, in VIII. partibus dividatur; et, octava parte primae, sit major secunda quam prima, ut faciant inter se tonum. Secundae similiter octava parte, sit major tertia quam secunda, et inter eas tonus. Deinde fac, ut, tertia parte primae, sit major quarta, quam prima; et ita faciet quarta quidem ad primam diatessaron, ad tertiam semitonium. Quinta quoque sit major, quam prima, medietate primae, ut faciat ad eam Symphoniam diapente, ad quartam vero tonum. Ipsius etiam quintae octava parte, sit major sexta quam quinta; et inter eas tonus. Quartae quoque tertia parte, sit major septima quam quarta, ut faciat ad eam rursus diatessaron, ad sextam vero semitonium. Octava quoque sit dupla primae; et inter eas symphonia diapason, quae semper ex diatessaron et diapente componitur. Denuo idem ordo repetatur; ut sicut colligitur mensura secundae fistulae ex prima, sic colligatur mensura nonae fistulae ex octava, et ita per ordinem (ut dictum est) intexantur. Nam ut primae octava dupla est, ita quintadecima octavae. In VII. quoque vocibus praedictae diapason ascendendo, et descendendo, unam quamlibet cantilenam perficies. Frequenti tamen exercitatione distantiae vocum sunt colligendae, ne sonos intercipias, quos post summam extensionem acuminis graves facis, et eosdem iterum secundum coeptam melodiam acuis. Et primo fistularum ordini secundus ordo respondebit. Ceterum hydrauliis, ad istarum comparationem, labor est difficilis, sed non multum ad delectationem jocundior istis.

De Capsa cui supponantur fistulae.

Capsam, cui supponantur fistulae, oportet fieri quadratam, aut altera parte longiorem,

VIII.

De arenae natura probanda.

(1) Arenae fossiciae genera sunt tria; (2) nigra, rubra, carbunculus. Ex his, quae manu comprehensa stridorem fecerit, optima et purgata erit. Quae autem terrosa (3) fuerit, eamque in vestimentum candidum si miseris, et effusa si nihil sordis relinquerit idonea erit. Si vero non fuerit unde arenae fodiantur, tunc de fluminibus, aut de glareis, excernenda erit, aut de littore marino. Sed marina arena in structuris hoc vitium habet: tarde siccatur. Unde onerari se continenter non patitur; nisi intermissionibus requieverit opus, pondere gravata structura rumpetur. Cameris etiam salsum humorem, remittendo tectorium opus saepe resolvit. Fossiciae vero celeriter sicceseunt, et tectoria non laedunt, et concamerationes utiliter obligant. Sed fossiciae recentes·

et per IIII. angulos singula receptacula reliqua eoncavitate profundiora, ut ventus divisus aequaliter se infundat omnibus foraminibus. A cujus capsae medio demittitur maxima fistula, quae per IIII. partes recipiat geminos folles. Antequam tamen folles jungantur, praedictae fistulae bicorni instrumento perforato recipiuntur, quod in ipso angusto aditu faucium a fistula uno palmo aperientem, et claudentem habet unam ex ferro ex cupro. Tunc tabula tenuis plana subtiliter et recta fiat eidem capsae supponenda, in qua ordinantur hinc inde rectis lineis foramina, aequalibus a se spatiis distantia, et secundum numerum fistularum sit numerus eorundem foraminum. Sub qua tabula est alia opposita maximae fistulae, non ut ipsam obturet, sed ut ventum dividat. Per oras etiam capsae, ante et retro, super ipsam tabulam ponuntur linguae tenues, planae, subtiles, et rectae, quarum foramina cum omnibus foraminibus tabulae convenient, tanta concordia ut videantur una. Post obturatis ipsis foraminibus, ut aperiri possint, liquefacto plumbo super tabulam et linguas capsa replebitur. Denuo extractae linguae in suis foraminibus erunt mobiles et cursoriae.

De ordine fistularum.

Post haec ordinantur fistulae ita, ut a dextra modulantis in sinistram paulatim majores prodeant. Super unamquamque vero linguam nisi simplae et duplae fistulae possunt constitui, quod bis est una vox acuta, et gravis: et ex his quot placuerit, scilicet aut V. aut decem, aut quotlibet. Nam in his mensuris, quas nos fecimus, sunt linguae XV. Deinceps instrumenta reliqua fiunt; id est, in quodam ligno ante capsam firmo fiunt, secundum numerum linguarum, ex cornu semicirculi laminae ligneae, in summo ferratae ferro, quod haereat medietati virgulae ferreae, haerenti capitibus semicirculorum, et linguarum; ut a tergo depressa lamina tota lingua usque ad haerentem virgam ferream recondatur, laxa usque ad medietatem primi foraminis extrahatur. Summopere tamen cavendum, ne in juncturis capsae aliqua rima remaneat, per quam ventus exeat. In laminis vero ligneis scribentur alphabeti litterae dupliciter, ita A. B. C. D. E. F. G. A. B. C. D. E. F. G. H. ut citius modulator possit scire quam linguam debeat tangere. Nam hac ipsae fistulae possunt esse hydraulicae; si supposito vase pleno aquae, ventus aquam hauriat, quam cum sono per fistulas redundat.

(1) ARENAE FOSSICIAE GENERA etc.] Ita Cod. R. 1. et Ed. V. Sed in Codice Regio secundo Articulus inchoatur modo hoc: *His praedictis, redeamus ad ordinem. Arenae fossiciae genera* etc. Quae primorum verborum additio sane confirmat, tres praecedentes Articulos (a nobis ceu parergon jam descriptos) cum in Codicem fuisse intrusos.

(2) NIGRA, RVBRA, CARBVNCVLVS] Vitruvius (Lib. II. Cap. 4.) *canam* etiam nominat: *genera*, ait, *arenae fossiciae sunt haec, nigra, cana, rubra, carbunculus.* At Palladius (Lib. I. Tit. X.) *nigram*, *canam*, et *rufam* recensuit, praetermisit *carbunculum*. Ceterum et Palladius, et Auctor noster, quae habent de arena, ex Vitruvii commemorato Capite habuisse videntur.

(3) FVERIT, EAMQVE IN VESTIMENTVM etc.] Ut scripsimus, sic habet Cod. R. 1. Sic etiam Cod. R. 2. nisi quod in hoc, non *si miseris*, sed *miseris* tantum legitur. In Editione Vascosani sententia purior est; sed vereor, ne vis aliqua Codicibus facta fuerit: en ex ea integrum locum; *Quae autem terrosa fuerit, si in vestimentum candidum missa, moxque exussa, nihil sordis reliquerit, idonea erit.*

statim in structuras mitti debent ; fortius enim comprehendunt caementa. Nam si sub sole diutius fuerint, aut imbribus pruinisque solutae, et terrosae et (1) vanidae fiunt. Fossiciae itaque cum recentes sunt, tectorio operi propter pinguedinem conveniunt, fluviaticae autem propter macritatem signino operi incongruentes sunt. Sed (2) jaculorum subactionibus in tectorio opere recipiunt soliditatem, in caementitias autem structuras pura arena mittatur.

VIIII.

De Calcis utilitate probanda.

(3) Calx itaque de albo saxo vel tiburtino aut columbino fluviatili coquatur aut rubro aut (4) spongia, quae enim erit ex spisso et duro saxo utiliter structuris conveniet, quae autem ex fistuloso, aut exiliore lapide fuerit, conveniet operi tectorio. In commixtione ad duas partes arenae una calcis mittatur. In fluviatili autem arena si tertiam partem (5) testae cretae addideris, miram soliditatem operis praestabit.

X.

De lateribus faciendis.

Faciendi autem lateres sunt ex terra alba (6), ex creta, ex rubrica, aut sabulone masculo. Haec genera terrae, propter levitatem, fortiora sunt operi. Cetera genera, quod aut gravia sunt aut paleas non continent (7), aut hu-

(1) VANIDAE] Vox haec, ut legitur in Cod. R. 1. retenta a me est; fieri enim potuit, ut sequiori aevo *vanidae* dicerentur res, quae, vigente latina lingua, *evanidae* appellabantur. Ceterum Ed. V. habet, *evanidae* ; et Cod. R. 2. *vanae.*

(2(IACVLORVM] Secutus sum Codicem utrumque: quamvis in Ed. V. substituta sit vox alia; nimirum, *bacillorum.* Sed, cum inter jacula recenseantur bastilia, quorum manubria bacilli ; translate jacula pro bacillis poni potuere: quapropter a Codicibus non recessi.

(3) CALX ITAQVE DE ALBO SAXO etc.] Palladius (*de Re Rustica* Lib. I. Tit. X.) litteris mandavit haec: *Calcem quoque ex albo saxo duro, vel Tiburtino, aut columbino fluviali coquemus, aut rubro, aut spongia*: et reliqua etiam si conferas cum iis, quae de Calcis utilitate nostro ab Auctore traduntur, facile comperies, fere omnia nostrum ex Palladio descripsisse. Et animadvertere praestat, Christianum Schoettgenium (in Annotatione sua ad citatum Palladii locum) asseverasse, res illas calci efficiendae idoneas ab Palladio propositas, Vitruvium haudquaquam in suis Libris exposuisse: quod assertum ego perlustrans ea decem et octo loca, in quibus a Vitruvio de calce iniicitur mentio, verissimum esse plane cognovi. Porro non ex commemorata modo annotatione, verum etiam ex nonnullis aliis sane liquet, Schoettgenium vidisse hanc nostri Auctoris Epitomen ; et etiam manu scriptam ; in eadem enim illa Annotatione subdit : *Haec verba non habet Vitruvius, et leguntur tamen in Epitome illius C. IX ubi MS. ita habet: Calx itaque* etc.

(4) SPONGIA] Restituimus vocem hanc ex Palladio (Lib. I. Tit. X.) Codices habent, *sfungia.* In Ed. V. verbum hoc desideratur.

(5) TESTAE CRETAE] Lectionem hanc probant et Codices, et Palladii editio (loco cit.) *cretae* est a verbo *cerno*: Vitruvius (Lib. II. Cap. 5.) *si quis testam tusam sucretam*, hoc est, cribratam. Ed. V *tosta creta.*

(6) EX CRETA, EX RVBRICA] Ita Cod. R. 1. At Cod. R. 2. et Ed. V. *vel creta vel rubrica.* Ad Articulum hunc conscribendum usus est Auctor noster iis, quae a Vitruvio (Lib. II. Cap. 3.) tradita sunt. De lateribus egit etiam Palladius, Lib. VI. Tit. XII.

(7) AVT HVMORE SPARSA CITO SOLVVNTVR, PROPTEREA FABRICIS] Descripsimus hic Cod. R. 2. In Cod. R. 1. legitur, *aut humores pars propterea cito solvuntur fabricis.* In Ed. V. *aut hu-*

more sparsa cito solvuntur, propterea fabricis inutilia videntur. Ducendi autem sunt lateres verno tempore, ut ex lento siccescant: qui enim solstitiali tempore parantur, vitiosi fiunt; quoniam calor solis torridus corium in summo cito desiccat, et quasi integri videntur: postea humor (1) interraneus dum siccatur contrahit frontes, et scissuris dividit, et inutiles operi lateres facit. Maxime tamen tectorio operi inutiles erunt, si ante biennium (2) inducantur. Non enim possunt ante penitus siccari. Fiunt autem laterum genera tria. Unum quod Graece (3) δίδωρον appellatur longum sesquipede, latum pede; quo nostri utuntur. Sunt et alia duo laterum genera, unum πεντάδωρον, et alterum τετράδωρον. Doron autem graeci palmum appellant. Itaque artifices quinque palmorum publica opera exstruere consueverunt, et quattuor privatorum fieri debebunt (4). Et semilateres (5) super se missi, qui laterum juncturas inter se positi, repararent. Ita enim fiet, ut, cum alter alterius protegit conjunctionem, firma structurae soliditas surgat.

XI.

De Parietibus Latericiis tectorio opere parandis.

Lateritii Parietes tribus inductionibus prius solidentur, ut opus tectorium sine vitio accipiant. Nam si recentes structurae et inductiones fuerint (6), et non ante siccaverint, cum arescere coeperint scissuris venustatem operis corrumpent. In Urbe autem, propter multitudinem hominum, parietes (7) caementitii altius struuntur, ne latius soli magnitudinem occupent. Merito ergo lateritiam habere non potuit, ne pondere cito corrupta fabrica laberetur. Lateritiis ergo parietibus vitia, quae solent accidere ne fiant, hoc modo erit providendum (8). In summitate parietum structura testacea cum prominentibus coronis altitudine sesquipedali exstruatur; ut, si corruptae tegulae, aut imbrices erunt, parietes tamen solidi permaneant.

mores pars, propterea cito solvuntur, et fabricis.

(1) INTERRANEVS] Tam nova videtur vox haec, ut fere reposuerim, *interius*: sed consensus Codicum cum Vascosani Editione me cohibuit.

(2) INDVCANTVR] Hoc est (ut reor) tectorio tegantur.

(3) δίδωρον] Ita Ed. V. Ita Vitruvius (Lib. II. Cap. 3) *Fiunt autem laterum genera tria: unum quod Graece* διδωρον *appellatur.* In Codicibus legitur, *lidon*: non tamen hic praetermittam, a Philandro in annotatione ad verbum illud Vitruvii, *didoron*, referri *in quodam Vitruvii Codice se invenisse pro* DIDORO, *scriptum* LICHVM; tum Philander subdit *mendose.*

(4) ET SEMILATERES] Legebatur in Cod. R. 1. ex simili *lateria*: in Cod. R. 2. *ex simili lateres*: in Ed. V. *ex simili latere*: sed fugere nos non poterat germana emendatio: Vitruvius enim (loco cit.) *Fiunt*, ait, *cum his lateribus* SEMILATERES, *qui cum struuntur, una parte lateribus ordines, altera semilateres ponuntur.* Hoc non inutile esse posset exemplum depravationum, quas inducere solebant Amanuenses.

(5) SVPER SE MISSI, QVI LATERVM IVNCTVRAS, INTER SE POSITI REPARARENT] Hanc scripturam Codicis R. 2. ut minus obscuram, pro hoc valde suspecto loco, praestitit adhibere. Alia enim erat obscurior: nam in Cod. R. 1. et in Ed. V. legitur; *remissis qui laterum juncturis interpositis reparent.*

(6) ET NON ANTE] Cod. R. 1. *et ut ante.*

(7) CAEMENTITII] Loco hujusce vocis lacuna est in Cod. R. 1.

(8) IN SVMMITATE PARIETVM STRVCTVRA etc.] Vitruvius (Lib. II. Cap. 8.) *Summis parietibus structura testacea sub tegula subjiciatur altitudine circiter sesquipedali, habeatque projecturas coronarum.*

XII.

De generibus arborum, et utilitate caesionis.

(1) Caesio arborum, quae ad utilitatem fabricae parabitur, autumni tempore antequam Favonii flare incipiant utiliter, caeditur. Prius tamen usque ad medullam securibus circumcisae stantes (2) intermittantur, ut inutilis humor decurrat, et venarum raritas exsiccata (3) solidetur. Sed genera arborum has inter se vires et differentias habent. Abies ergo habet acris plurimum et ignis, minimum terreni humoris, merito non est ponderosa, et naturali rigore non cito flectitur a pondere. Laricis vero materia in omni fabrica maximas habet utilitates. Primo quod ex ea (4) adfixae tabulae sub grunda ignis violentiam prohibent: neque enim flammam recipiunt, neque carbonem faciunt (5). Larix vero a Castello Laricino est dicta. Quercus terrenis satietatibus abundans parum habens humoris cum in terrenis operibus obruitur perpetuam servat utilitatem. Cujus apta aedificiis materies, et in humore (6) posita perpetuam exhibet utilitatem (7). Fagus quod aequalem habet mixtionem humoris et ignis in humore cito marcescit, siccis locis utilis est. Populus alba, et nigra, salix, et tilia ignis et aeris habent satietatem in fabrica (8) utiles, in seulpturis gratae inveniuntur (9). Alnus qui proximus aquae nascitur tener et mollis ma-

(1) CAESIO] Haec vox suspecta mihi est, cum neque inter barbaras ponatur ab *du Change*, et praeterea, cum sequatur verbum *caeditur*; unde fit haec dictio, *caesio caeditur*: quae quid significat? Sed couseuticntibus Codicibus et Ed. V. vim illi voci facere nolui. Ceterum, pro *Caesio arborum*, lubens reposuissem vocem, *Materies*: Auctor enim noster Vitruvium haud dubie consulnerat, qui Libri II. Cap. 9. exorditur ita: *Materies caedenda est a primo autumno ad id tempus, quod erit antequam flare incipiat Favonius.* Qui tamen Vitruvius non modo autumnalc, verum etiam ferme totum hibernum tempus, caedendis arboribus assignat.

(2) INTERMITTANTVR] Hoc est, non integre rescindantur, sed relinquantur erectae. Cod. R. 1. *circummittantur.*

(3) SOLIDETVR. SED GENERA] In Vascosani Editione habentur haec: *solidetur. A decimaquinta usque ad vicesimam secundam Lunam arbores praecidantur ad naves faciendas. Sed genera.* At periodum illam vel ab Editore intrusam fuisse, vel glossema esse, quod irrepserit in textum, plane existimo. Ejusdem periodi nullum in Codicibus indicium est.

(4) ADFIXAE TABVLAE SVB GRVNDA] In Ed. V. legitur, *affixa tabula a suggrundo.*

(5) LARIX VERO A CASTELLO LARICINO EST DICTA] Isidorus (Originum Lib. XVII. Cap. 7.) *Larex, cui hoc nomen a Castello Laricino inditum est.* Vitruvius autem narrat (Lib. II. Cap. 9.) quomodo contigerit ut illi arbori nomen provenerit *a castello, quod vocabatur Larignum.* Itaque ab Isidoro, non a Vitruvio, nomen noster Auctor descripsisse videtur.

(6) POSITA PERPETVAM] Cod. R. 2. *posita, sic altius perpetuam.*

(7) FAGVS QVOD AEQVALEM HABET MIXTIONEM HVMORIS ET IGNIS etc.] In Ed. V. legitur *Fagus*, in Codice autem utroque *Fasus.* Quod attinet ad hunc locum, Vitruvius de Fago (Lib. II. Cap. 9.) scripserat ita: *Cerus, Suber, Fagus quod parvam habent mixtionem humoris et ignis, et terreni, aeris plurimum, pervia raritate humores penitus recipiendo, celeriter marcescunt.* Valde autem a Vitruvio, et ab Auctore nostro dissentire videtur Palladius; qui (Lib. I. de *Re Rustica*, Tit. VIII.) De *cerro*, ait, *aut fago, aut farno diutissime tabulata durabunt, si stratis super paleis vel silice humor calcis nusquam ad tabulati corpus accedat.* Ego tamen animadvertendum reor, a Palladio eam conditionem fuisse constitutam, ut nimirum *humor ad tabulati corpus non accedat.* Observandum praeterea est, Auctorem nostrum infra (Art. XVIIII.) coaxationes ex Fago ad vetustatem posse permanere, sanxisse.

(8) VTILES] Hoc modo in Cod. R. 1. Vitruvius (Lib. II. Cap. 9) de *Populo*, de *salice*, et de *Tilia*, hae arbores *egregiam*, ait, *habere videntur in usu rigiditatem.* Cod. R. 2. et Ed. V. contra, ferunt, *inutiles.* Ac quidem, nostris temporibus, earum in fabricis rarus est usus.

(9) ALNVS QVI PROXIMVS AQVAE NASCITVR] Isidorus Originum Lib. XVII. Cap. 9. *Alnus .... proxime enim aquae nascitur.* Vitruvius vero (Lib. II. Cap. 9.) *Alnus autem quae proxi-*

teria extra aquam fabricae inutilis est: sed hoc mirum in se habet, quod in humore palationes spissae defixae structuram supra se factam sine vitio servant. Ulmus, et Fraxinus in omni opere (1) vitio flectuntur: sed cum aruerint rigidae sunt. Lentoris caussa eatenis utiles. Carpinus in omni opere tractabilis, et utilis invenitur. Cupressus, et Pinus admirandas habent virtutes, quod non cito pondere curvantur: durant enim integrae semper. Cedrus, si humore non corrumpatur, eandem habet virtutem. Sed quomodo de pino resina decurrit, sic et ex ea oleum, quod cedria dicitur (2): si libri, aut aliae res, eo inunguntur, nunquam tineis aut carie solventur (3). Multis itaque templis, propter aeternitatem, ex ea lacunaria sunt facta. Nam folia etiam cupresso similia sunt. Nascitur maxime in Creta, et in Africa, et in Syriae regionibus (4). Quaecumque ergo ex parte Meridiana caeduntur, utiliores erunt, ex parte autem Septentrionali proceriores sunt arbores, sed cito vitiantur.

XIII.

De Fabrica Villae rusticae disponenda.

Primo ita chortes et culinae calidis locis designentur. Bubilia in parte meridiana ita, ut ad ortum, aut ad foeum boves (5) spectent. Nitidiorem enim cultum recipiunt si ad lumen attendant. Latitudo XV. pedibus (6) disponatur, et in singulis parietibus (7) VIIII. pedes relinquantur. Equilia (8) calidis locis ordinentur, et obscuriora fiant, ut securi equi pabulentur. Ovilia, et Caprilia pro magnitudine agri componantur. Cella vinaria contra frigidissimas caeli plagas collocetur. Lumen fenestris a Septentrione tribuatur: ut undique frigi-

ma fluminum ripis procreatur. Nonne Isidori potius quam Vitruvii, verba adhibuisse videtur Auctor noster? Neque sane Palladius quidquam habet de re hac.

(1) VITIO] Cod. R. 2. Ed. V. *cito.*

(2) SI LIBRI, AVT ALIAE RES, EO INVNGANTVR] Ed. V. *quo si libri aut clusa inungantur*: Cod. R. 2. *Si enim libri ex eo inunguntur*: Cod. R. 1. *si libri aut clusa ex eo inunguntur*; retinui lectionem hanc, mutatis tamen vocibus, *clusa ex*, cum nulla inde manaret certa sententia: induxi autem earum loco duas hasce, *aliae res*, quas quodammodo indicavit Vitruvius, qui de eodem oleo (Lib. II. Cap. 9.) *quo reliquae*, scripsit, *res cum sunt unctae* (*uti etiam libri*) *a tineis, et a carie non laeduntur.*

(3) MVLTIS ITAQVE TEMPLIS etc.] Sic noster de arboribus cedris verba faciens, postquam scripserat, eas si humor non corruperit, diutissime integras persistere, subdit; *Multis itaque templis, propter aeternitatem, ex ea* (Cedrorum materia) *lacunaria sunt facta.* Sententiam hanc eandem Isidorus Libro et Capite paullo supra commemoratis de Cedro agens, expressit verbis hisce: *Unde et in templis, propter diuturnitatem, ex hoc ligno* (Cedro) *lacunaria fiunt.* Sententiam itidem fere eandem, ante hosce, exposuerat (ut fert Philandri Editio an. 1552.) Vitruvius ita: *Ephesi in aede simulacrum Dianae, et etiam lacunaria ex ea* (Cedrorum materia) *et ibi et in ceteris nobilibus fanis, propter aeternitatem, sunt facta.* Si trium Scriptorum verba perpendas, facile, ut opinor, conicies, Auctorem nostrum ab Isidoro potius, quam a Vitruvio, exemplum transtulisse. In Palladii Libris similia de Cedro frustra quaeras

(4) QVAECVMQVE ERGO EX PARTE MERIDIANA etc.] Palladius (Lib. XII. Tit. XV.) *Quaecumque autem ex parte Meridiana caeduntur, utiliores sunt; quae vero ex septentrionali, proceriores, sed facile vitiantur.*

(5) SPECTENT] In Cod. R. 1. erat *expectentur*, sed proculdubio mendose. Vitruvius (Lib. VI. Cap. 9. in quo de rusticorum aedificiorum rationibus agit) *Conjuncta autem* (culina) *habeat bubilia, quorum praesepia ad focum, et orientis caeli regionem spectent.*

(6) DISPONATVR] Sic Cod. R. 2. At Cod. R. 1. *quod ponatur*: et Ed. V. *componatur.*

(7) VIIII.] Cod. R. 2. numerum exhibet *VIII.*

(8) CALIDIS] Consentit haec lectio Cod. R. 2. cum Vitruvii praeceptis. Cod. R. 1. et Ed. V. habent *cardinis.*

dus aer vina incolumia servet. Vapore enim omnia corrumpuntur (1). Torcular hujus in Septentrionem ponatur. Cella autem olearis in meridie constituenda est: fenestrae ab eadem parte tribuantur, ne frigore oleum (2) cum sordibus retineatur, et suavitas saporis pereat (3). Torcular hujus in meridie statuatur: magnitudo pro abundantia rei fiat. Granaria ad Septentrionem, vel Aquilonem spectent, ut aere gelidiori fruges tutius serventur. Vaporatae enim regiones curguliones, et alia genera bestiolarum nutriunt. Quae fruges corrumpunt. Horrea, fenilia, pistrina extra villam sunt constituenda, ut ab ignis periculo villae sint tutiores. Si quid vero melius, ac nitidius facere volueris, exempla de Urbanis fabricis sumes.

XIIII.

De dispositione operis Urbani.

Urbani itaque operis gratiam luminosam esse (4) oportet: praesertim cum nulli vicini parietes impediant. Disponendum erit tamen ante, ut certa genera aedificiorum caeli regiones apte possint spectare. Hiberna ergo hibernum occidentem spectare debent (5), quoniam vespertino lumine opus est. Nam sol occidens non solum illuminat, sed (6) pro vi caloris tepidas facit regiones. Cubicula et Bibliothecae ad orientem spectare debent (7). Visus enim matutinum postulat lumen. Nam quaecumquae loca frigida (8) spectant, humore vitiantur; quoniam venti humidi, spirantes madidos flatus, omnia (9) pallore corrumpunt. Triclinia verna, et autumnalia ad orientem spectare debent (10), ut gratiora sint, quod his uti solitum est. Æstiva triclinia ad Septentrionem spectare debent; quod ea regio (11), praeter ceteras, frigidior est, et solstitiali tempore jocundam sanitatis voluptatem corporibus praestat.

(1) TORCVLAR HVIVS] Nimirum *hujus cellae vinariae*; quod scilicet usui esset cellae vinariae. In Cod. R. 2. deest pronom. *hujus*.

(2) CVM SORDIBVS RETINEATVR, ET SVAVITAS] Ita Cod. R. 2. cujus lectionem, ceu clariorem, praeferendam ratus sum. Cod. R. 1. et Ed. V. *cum sordibus et suavitas saporis.*

(3) TORCVLAR HVIVS] Hoc est, *hujus cellae olearis.*

(4) OPORTET] Verbum hoc in Cod. R. 2. retrusum est post verbum, *impediant.*

(5) QVONIAM] Legitur in Cod. R. 2. Sed in Cod. R. 1. *quomodo.* et in Ed V. *quum.*

(6) PRO VI] Seu verba haec in Codice aliquo invenerit is, qui praefuit Vascosani Editioni, sive ex ingenio emendationem adtulerit, certe apta visa sunt. In Codicibus legitur, *proximi.*

(7) VISVS ENIM etc.] vocabulum, *Visus*, descriptum est in Cod. R. 1. et in Ed. V.: at in Cod. R. 2. vocabulum *usus* vel descripserunt, vel scripserunt, permoti auctoritate Vitruvii, qui (Lib. VI. Cap. VII. quo variae partes hujusce nostri Articuli continentur) *Usus enim*, ait, *matutinum postulat lumen.*

(8) SPECTANT, HVMORE VITIANTVR; QVONIAM] Ita Cod. R. 2. cui hoc quoque loco parere placuit. Mendosa enim haud dubie sunt quae habet Cod. R. 1. *spectantur umorem, videantur, quomodo.* Ed. V. *spectantur umore, vitentur, quoniam.*

(9) PALLORE] Vocem hanc, in qua consentiunt Cod. R. 1. et Ed. V. non reperies in Cod. R. 2.

(10) VT GRATIORA SINT, QVOD HIS VTI SOLITVM EST. AESTIVA TRICLINIA AD SEPTENTRIONEM SPECTARE DEBENT] Omnia verba haec, quae leguntur in Cod. R. 2. et in Ed. V. et quae ipso Vitruvii (Cap. cit.) textu probantur, desunt in Cod. R. 1. praetermissa haud dubie Amanuensis incuria.

(11) PRAETER CETERAS] Cod. R. 2. *prae ceteris.*

XV.

De mensuris Ædificiorum.

Tricliniorum, et conclavium quanta latitudo et longitudo fuerit (1) in uno computata mensura, ex ea medietas altitudini tribuatur. Si autem exedrae (2), aut oeci quadrati fuerint, media pars mensurae in altitudinem struatur. Pinacothecae et Plumariorum officinae in parte septentrionali sunt constituendae; ut colores, et purpurae sine vitio reserventur. De vaporatis enim regionibus corruptelae nascuntur.

XVI.

De Fabrica Balnearum.

Balneis locus eligendus est contra occasum hibernum, aut partem meridianam; ut sole decedente (3) vaporetur (4) usque ad vesperum, quod tempus ad lavandum tributum est. Suspensurae calidarum cellarum ita sunt faciendae, ut primum area sesquipedalibus tegulis (5) consternatur inclinata ad fornacem, ut pila missa intro resistere non possit: sed redeat ad praefurnium. Flamma enim sursum adsurgens (6) calidiores efficit cellas supraque laterculis bessalibus (7), et rotundis pilae interstruantur ex capillo, et argilla subacta (8): in privato pedibus binis semis, in publico ternis. Tegulae bipedales superconstituantur, quae pavimentum dirigant (9). Plumbeum vas, quod patenam aeream habet, super fornacem conlocetur (10), alterum frigidarium secus, ut,

(1) IN VNO COMPVTATA MENSVRA] Cod. R 2. *in unam computa mensuram.*

(2) AVT OECI QVADRATI] Cod. R. 1. *aut tycii quadrati:* Ed. V. *aut xisti quadrati:* Cod. R. 2. *aut quadrati.* Sed *oeci* esse legendum plane credidi, cum Vitruvius (Lib. VI. Cap. 6.) agat de *oecis*, ubi praecipit, ut *altitudines eorum dimidia latitudinis addita constituantur*

(3) VAPORETVR] Nempe, calore temperetur. Horatius (Lib. I. Ep. 16. v. 7.)

aspiciat Sol:
Laevum discedens curru fugiente vaporet.

(4) VSQVE AD VESPERVM, QVOD] Ita Cod. R. 2. Sed Cod. R. 1. *usque ad vesperum habeat, quod.* Et Ed. V. *et eum usque ad vesperum habeat.* In hac dissensione, faciliorem lectionem praeferendam, ratus sum.

(5) CONSTERNATVR] Verbum plane retinendum; quamvis Cod. R. 2. habeat, *construatur.* Vitruvii (Lib. V. Capite 10. *Balnearum dispositionibus, et partibus dicato*) verba sunt; *sesquipedalibus tegulis solum sternatur.*

(6) CALIDIORES EFFICIT CELLAS] Lectio haec Ed. V. undecumque profluxerit, probabilis visa est. Cod. R. 1. *calores ejus efficit cellas:* et Cod. R. 2. *calores ejus efficit cellae.*

(7) ET ROTVNDIS PILAE INTERSTRVANTVR] Cod. R. 1. *et rotundis pilae interuantur*: Ed. V. *vel rotundis pilae insternantur:* In Cod. autem R. 2. totus locus depravatus omnino est. Dum ego, pro *interuantur*, aut *insternantur*, restitui, *interstruantur*, attendi Vitruvium, qui (Cap. cit.) *eaeque* pilae, ait, *struantur argilla cum capillo subacta;* ac praeterea Palladii (Lib. I. Art. XL. ubi de re agit eadem) verba haec; *pilae laterculis, argilla subacta, et capillo constructae fiant.*

(8) IN PRIVATO] Cod. R. 1. *in plumbato;* sed adhibitam in Ed. V. lectionem, quae paullo infra sequuntur verba, *in publico*, flagitare videbantur.

(9) PLVMBEVM VAS, QVOD PATENAM AEREAM HABET etc.] Locus videtur desumptus ex Palladio, qui (Lib. I. Tit. XL.) *Milliarium*, ait, *plumbeum cui aerea patina subest, inter foliorum spatia forinsecus statuamus, fornace subjecta.* Milliarii descriptionem hic sane meliore in lumine, quam Auctor noster, posuit.

(10) ALTERVM FRIGIDARIVM SECVS] intelligendum est, *secus conlocetur.* Cod. R. 2. habet, *alterum simile frigidarium secus.*

quantum calda ex eo (1) in solium admittatur, tantum frigidae infundatur. Magnitudines autem balnearum pro hominum copia, aut (2) voluntatis gratia fieri debebunt, dummodo cellae sic disponantur, ut quanta longitudo fuerit tertia adempta latitudo componatur: melius enim ignis per angustiora latitudinis cellarum (3) operabitur (4). Æstivis balneis (5) hypocausteria pro loci magnitudine cum piscinis in Septentrione, vel Aquilone constituantur; et ab eadem parte maxime lumen fenestris admittatur; ut salubriorem, et corporibus jucundiorem gratiam praestet. In villa rustica Balneum culinae conjungatur, ut facilius a rusticis ministerium exhiberi possit.

XVII.

De Cameris Balnearum.

Camerae structiles fortiores erunt. Figulinae autem ad contignationem suspendantur ita, ut catenis (6) anchoratis fixae (7), tegulas et paliola, quae cameram circinent, sustineant. Eadem ratione, et planas cameras facies. Utilius autem (8) disponetur, si regulae vel arcus ferrei fiant, ut uncis ferreis ad contignationem suspendantur ita ut (9) tegularum juncturae super regulas, vel arcus recumbant. Superiores ergo juncturae ex capillo, et argilla subacta liniantur. Inferior autem pars juncturae, quae ad pavimentum spectabit, primo calce cum testa temperata trullissetur: deinde albario, sive tectorio opere inducatur. Major tamen, et diligentiae, et utilitatis ratio videtur, si duplices balnearum camerae fiant, inferior caementitia, et superior suspensa. Inter duas enim cameras humor retentus nunquam vitiabit contignationem: sudationes etiam praestabuntur meliores.

(1) IN SOLIVM] Hoc est, in balnei alveum: hunc enim hic significat ea vox. Ubi de *caldario*, et *de frigidario* (Cap. cit.) egit Vitruvius, nullam *solii* mentionem injecit. Injecit tamen (Lib. IX. Cap. 3.) ubi Archimedis egressum e balneo expressit ita: *exilivit gaudio motus de solio.* Et Palladius (loco cit.) perspicue: *ad quod milliarium fistula frigidaria dirigatur, et ab hoc ad solium.* Adde Cornelium Celsum Lib. VII. Cap. 26. quo loco de curatione post evulsum calculum verba facit.

(2) VOLVNTATIS] Sic Codices. Ed. V. *voluptatis.*

(3) OPERABITVR . AESTIVIS] In Cod. R. 2. et in Ed. V. leguntur haec: *operabitur lumen fenestris aut hibernis, aut meridianis partibus tribuatur. Æstivis.* Periodum, quae nuspiam est in Cod. R. 1. intrudere noluimus: praesertim cum doctrinam contineat insulsam falsamque: ut plane liquet ex Palladio, qui (loco cit.) earundem fenestrarum dispositionem sic praecipit; *Piscinales cellae in aestivis balneis a Septentrione lumen accipiant, in hyemalibus a meridie.*

(4) AESTIVIS BALNEIS HYPOCAVSTERIA etc.] Palladius (Lib. I. in citato Tit. XL.) *Piscinales cellae in aestivis balneis a Septentrione lumen accipiant.* Itaque a Palladio (cum similia non habeat Vitruvius) nonnulla ex iis, quae scripsit de *aestivis balneis*, noster corrivasse videtur.

(5) HYPOCAVSTERIA] Vocem hanc nuspiam me legisse memini: Carolus tamen *du Fresne* in Glossario habet, *Hypocaustorium.*

(6) ANCHORATIS] Est plane vox haec aevi sequioris. Vitruvius (Lib. V. Cap. 10.) habet, ut etiam noster infra, *uncis ferreis.*

(7) TEGVLAS, ET PALIOLA] Ita Cod. R. 1. Cod. vero R. 2. et Ed. V. *tegulas vel paliola.* Substituissem ego *regulas;* cum *regulas* nominet (loco cit.) Vitruvius: at nihilo minus Auctoris nostri locus non omni obscuritate fuisset liberatus.

(8) DISPONETVR] Verbum hoc obtulit Cod. R. 2. At Cod. R. 1. *quod ponetur:* Ed. V. *Com ponetur.*

(9) TEGVLARVM] Ut suadet Vitruvii textus: Cod. R. 1. *esularum.*

XVIII.

De Expolitionibus Pavimentorum.

Considerandum erit ut solum firmum sit, et aequale, tunc rudus inducatur, et vectibus ligneis contusum calcetur. Supra impensa testacea crassior inducatur, et iterum vectibus contusa solidetur. Tertio nucleus, idest impensa mollior inducatur, et politionibus insistat, ne rimae inutiles operi relinquantur.

XVIIII.

De Pavimentis supra contignationem faciendis.

In contignationibus diligenter respiciendum est, ut aequalitas soli dirigatur. Item danda est opera ne axes quercei cum (1) esculinis commisceantur. Nam quercus, cum accepto humore siccescere coeperit, arcuatur; et rimas operi inutiles efficiet. Esculus diligenter composita ad perpetuitatem operis durabit. Verum, si inopia loci esculus defuerit (2), in tenuissimos axes quercus secetur. Et primum in directo jactatis axibus, sequentibus in transverso stratis, binis clavis crebro ad contignationem confixis utiliter operi subjicientur. De cerro, aut fago, seu farno (3) coaxationes, haut ad vetustatem poterit permanere. Jactatis in ordinem, et compositis axibus, filex, aut palea aequaliter supersternatur, ut calcis humor ad axes pervenire non possit. Tunc (4) insuper statuminentur saxo, ne minori quam qui manum possit implere: statuminibus ruderi seu novo, sive redivivo ad duas partes una calcis misceatur. Rudus est majores lapides contusi cum calce mixti. Impensa crassior induci debebit ne minus crassitudine digitos VI. Exacto pavimento, ad regulam et libellam supra impensa testacea mollior inducatur, et siccet: tum aut marmor sectile, aut tesserae, aut scutula (5), aut trigona, aut favi superimponantur; et usque eo fricetur, ut juncturae, vel anguli inter se conveniant; tunc erit

(1) ESCVLINIS] Ed. V. ut Vitruvius (Lib. VII. Cap. I.) *ne commisceantur axes esculini quernis*, Codices, *esculi.*

(2) IN TENVISSIMOS AXES QVERCVS SECETVR. ET PRIMVM etc.] Palladius (Lib. I. Tit. IX.) de hujusmodi pavimentis ita scripsit: *subtiliter quercus secetur, et transversus atque directus duplex ponatur ordo tabularum:* et noster quidem Auctor sua illa ex Palladio desumsisse videtur; quamvis res easdem doceat Vitruvius in commemorato primo Capite Lib. VII.

(3) COAXATIONES, HAVT] Intelligas (ut opinor) *coaxationes si fiant.* Particulam *haut* ita scribere placuit; quamvis, pro *haud*, etiam *aut* scripserint Antiqui; et Cod. R. 1. habeat, *aut.* Cod. R. 2. *ut.* Ed. V. *haud.* Post verbum *poterit*, intelligi opinor, deesse vocem, *pavimentum.*

(4) INSVPER STATVMINENTVR] Voces hasce non conjunxit Auctor noster: ita etiam Vitruvius (Lib. VII. Cap. I.) *Tunc* insuper *statuminetur ne minore saxo.* At Palladius (Lib. I. Tit. IX.) *Tunc superstatuminabis:* conjunctis duabus vocibus *super* ac *statuminabis;* qua copulatione elegantiorem esse modum scribendi ab Vitruvio adhibitum, ait Schoettgenius in annotatione ad hunc Palladii locum; quam consules.

(5) AVT TRIGONA, AVT FAVI SVPERIMPONANTVR] Cod. R. 1. *aut trigona aut fai superimponantur:* sed vocum, *aut fai*, in Cod. R. 2. et in Ed. V. nullum apparet indicium. Ego vero reposui, *aut favi:* cum Vitruvius (loco cit.) *nulli*, scripserit, *gradus in scutulis, aut trigonis, aut quadratis, seu favis* (hoc est, hexagonis) *exstent.*

perfecta fricatura. Quod si facultas non erit unde (1) superfricentur, ne aut lacunae aut cumuli sint, ad regulam fricatura extendatur, et supra marmor (2) tunsum incernatur, aut arena cum calce inducta poliatur. Sub divo maxime vitanda sunt (3) finita pavimenta; quoniam frigore, et humore saepe corrumpuntur. Sed, si necessitas aut voluntas facere hortatur, hanc operis subtilitatem servabis. Missas in ordinem tabulas, et alias in transversum (sicut supra monstratum est) ad (4) tignationem configes, et paleam aut filicem superaequaliter sternes et (5) loricabis de saxo, quod manum possit implere. Super rudus pedaneum induces, et vectibus ligneis frequenter densabis: et (6), antequam rudus siccescat, tegulas quadratas bipedales, quae per omnia latera canaliculos habent digitales, calce viva ex oleo temperata, frontes tegularum, qua canaliculi erunt, implebis; et sic junctas supra rudus compones, ut margines tegularum cum calce comprehendere possint. Quae res cum siccaverit, quasi unum corpus (7) facit, et nullum humorem ad inferiorem admittet. Postea nucleum sex digitorum induces, et frequenter fricabis, ne setas faciat. Et tesseram duorum, aut trium digitorum latam supra (8) imprimes, aut tabulas quas magnas cumque marmoreas, ut nullo modo fabrica vitiari possit. Si quis autem diligentius facere volet, omnibus annis ante hiemem juncturas axium faecibus perungi faciat. Testacea spicata, et tiburtina pari modo fricaturis, et politionibus exerceantur.

XX.

De calce probanda operi albario.

In albario opere calcem sic probare debebis (9). In fossa calcem, quae

(1) SVPERFRICENTVR] In Cod. R. 2. In Cod. R. 1. et in Ed. V. *superfigantur.*

(2) TVNSVM] Sic Codices: Ed. V. *tusum.*

(3) FINITA PAVIMENTA] Vocem, *finita*, neque in Cod. R. 2. neque in Ed. V. reperies Cum tamen ea perspicue legatur in Cod. R. 1. retenta a me est. Interpretor (Auctoris nostri aevo) *finitum* significare potuisse idem ac *perfectum;* polita autem pavimenta, ecu perfecta, reputata fuisse.

(4) TIGNATIONEM] Habent Cod. R. 1. et Ed. V. Sed Cod. R. 2. *contignationem.*

(5) LORICABIS] Cod. R. 1. *ludificabis:* Cod. R. 2. *judicabis:* Ed. V. ut descripsimus. Num autem verbum illud scriptum invenerit qui curavit Editionem illam, an ex conjectura reposuerit, non quaeram: certe Codicum verba retineri non poterant. Quod attinet ad verbum *loricare*, Varro (*De Re Rust.* Lib. I. Cap. 57.) *parietes*, ait, *et solum opere tectorio marmorato loricandi.* Ut vero ab Auctore nostro propositam rem perpendere possis, animadvertes Vitruvii verba (Lib. VII. Cap. 1.) haec: *tunc insuper* pavimentum *statuminetur ne minore saxo, quam quod manum possit implere.* At Palladius (Lib. VI. Tit. XI.) scripsit; *et aequaliter aequabimus saxo, quod manum possit implere.*

(6) ANTEQVAM RVDVS SICCESCAT] Haec Auctor noster ex alias commemorato Vitruvii Capite primo Libri septimi depromsit: eademque in usum suum transtulit Palladius (Lib. VI. Tit. XI.) ut Philander quoque animadvertit in annotationibus suis ad illud Vitruvii Caput.

(7) FACIT] Ed. V. *faciet.*

(8) IMPRIMES, AVT TABVLAS QVAS MAGNAS CVMQVE MARMOREAS, VT] Cod. R. 1. *imprimis aut tabulas quam magnas cumque marmoreas ut:* Cod. R. 2. *supra imprimis tabulas ponis quam marmoreas magnas, ut.* Ed. V. *imprimes, aut tabulas quam magnas cumque marmoreas, ut.* Loco obscuro ut lumen aliquod afferrem, consideravi Palladii (loco cit.) de re hac verba; *Tunc tessellas*, ait ille, *latiores, vel tabellas qualescumque marmoreas, aut paginas imprimemus.* Notum autem est ut dicatur, *quicumque* pro *qualiscumque.* Praeterea adhibetur aliqua interposita dictione; sic Tullius Lib. IIII. *De Finibus*, Cap. 25. *quod erit cumque visum.* Itaque posui, pro *quam*, *quas;* ut intelligere possimus, *tabulas quascumque* (sive qualescumque) *magnas.* Num vero apte dictionem, *magnas*, interposuisse videatur Auctor noster, non disquiram.

(9) IN FOSSA] Cod. R. 1. *in sassum:* Cod. R. 2. et Ed. V. *in fossam.* Vitruvius (Lib. VII. Cap. 2.) de eodem calcis experimento agens, habet, *in lacu.*

multo ante tempore fuerit macerata; de ascia quasi lignum dolabis; et aciem si nusquam impegeris, atque adhaerens asciae viscosa videbitur, optima erit (1) operi albario. Recentius extincta, et calculosa si fuerit, dum siccescere coeperit, calculi crepant, et inutiles rimae operi efficientur. Unde proxime extinctam in opus albarium mittere non oportet.

XXI.

De Cameris Canniciis.

Camerae ergo canniciae sic erunt componendae. Asseres (2) abietini ad lineam, aut regulam aequaliter dirigantur, ne plus habeant (3) grossitudinis, quam digitos tres. Hos inter se sesquipedali mensura divisos ordinabis, et catenis ac contignationem suspendes (4) ita ut binae perticae graciliores inter eos: simissales faciant tumices ligaturas (5). Catenae autem parentur aut de junipero, aut oliva, aut buxo, aut cupresso. Camerae ex arundine graeca, vel palustri vel grossiori, rasa et contusa, sic contexantur, ut his circuli, aequalis admodum grossitudinis et longitudinis, ante ligentur, qui possint (6) aequalem nitorem ostendere (7), ut si quam cultiorem gratiam emutare volueris, fasciculi molliores cannae facilius flexi ducantur. Postea prima manu inducatur impensa, pumice trullissetur, ut canna (8) subligetur, deinde arena, et calce dirigatur. Tertio marmor tunsum super calce inducatur, et poliatur. Sic et nitorem, et gratiam, et virtutem solidam facies. Si quid autem urbanis cameris

(1) OPERI ALBARIO. RECENTIVS] Ita Cod. R. 2. sed in Cod. R. 1. legitur; *recensentur:* ceterum in reliqua Articuli parte Codices plane consentiunt. Valde autem differt Ed. V. in qua desiderantur haec omnia: *albario. Recentius extincta, et calculosa si fuerit, dum siccescere coeperit, calculi crepant, et inutiles rimae operi.*

(2) ABIETINI] Sic Ed. V. Expunximus vocem *abstinei;* quae legitur in Codice utroque; quamvis neque ullum vocis *abietini* nacti simus apud alios Auctores exemplum. Palladius (Lib. I. Tit. XIII.) in eum usum *asseres ligni Gallici, vel cupressi* requirit.

(3) GROSSITVDINIS] Vide annotationem nostram ad vocem, *grossitudine*, Art. VI.

(4) ITA VT BINAE PERTICAE GRACILIORES INTER EOS: SIMISSALES FACIANT TVMICES LIGATVRAS] Ita Codices, si excipias interpunctionem, quae in Codicibus nulla est. Ed. V. *ita ut bino pollice graciliores inter eos simissales faciant tunicas, ligentur.* Locum quam obscurissimum ut modo aliquo interpretarer, primum attendi quae habet Palladius (loco cit.) de re prorsus eadem: *et binas*, ait ille, *inter eos* (asseres) *perticas dirigemus tomicibus alligatas.* Tum conjeci, particulas, *ita ut*, habendas esse pro *ita etiam;* quamobrem de positione perticarum intelligendum sit quod scriptum fuerat de asserum positione, hoc est, verbum *ordino.* Conjeci praeterea vocem *tumices*, pro *tomices*, fuisse scriptam; (tomices vero numerari inter restes, seu funes, notum est) et harum aliquod genus eo tempore dictum fuisse *simissale*, cujus vocis significatio nunc ignota: nisi velimus legendum *semissales*, et significari res mediocres, veluti dimidiae magnitudinis; ut in *Glossario mediae et infimae Latinitatis* habetur, *semissarius*, pro *dimidius.* Hisce positis, locum illum sic interpretor; ita etiam binae perticae graciliores ordinentur inter eos asseres: perticarum autem ligaturae fiant mediocribus tomicibus.

(5) CATENAE AVTEM PARENTVR AVT DE IVNIPERO, AVT OLIVA] Dum haec, et quae sequuntur, scripsit Auctor noster, ei (ut plane videtur) erant ante oculos positae res (quamvis eas perfecta imitatione non sit persecutus) a Palladio perscriptae; qui (Lib. I. Tit. XIII.) rem clarius proposuit modo hoc: *Tunc eos* (asseres) *catenis ligneis ex junipero, aut oliva, aut buxo, aut cupresso factis ad contignationem suspendemus, et binas inter eos perticas dirigemus tomicibus alligatas. Postea palustrem cannam, vel hanc crassiorem, quae in usu est, contusam, facta et strictim juncta crate subnectemus.*

(6) AEQVALEM NITOREM] Cod. R. 1. *aequalem nitore.* Cod. R. 2. *aequalem cameram nitore.*

(7) VT SI QVAM CVLTIOREM GRATIAM EMVTARE] Adhaesi Codici R. 1. In Cod. R. 2. est; *ut si quam cultiore gratia mutare:* Ed. V. *ut si quando cultiorem gratiam vitare.*

(8) SVBLIGETVR] Vascosanus sic edidit. Codices, *subliget.*

addere volucris, fasciculos de canna facies, et laquearis operis, vel delicatae ut arcuatilis camerae, exemplis uteris.

XXII.

De Politionibus Parietum caementitiorum.

Parietes uno corio tenui, et alio grossiore si fuerint inducti et politi, macritate impensae cito corrumpentur. Exemplum hujus ex his speculis sumere debemus, quorum tenues laminae falsas (1) et deformes exprimunt imagines: solidae autem laminae veras, et suae pulcritudinis formas designant. Prima ergo inductione trullissata, cum arescere coeperit, iterum, ac tertio (2) lucidationes dirigantur. Cum tribus coriis opus fuerit, depuratum nunc (3) ex marmoreo grano trullissationes sunt subigendae. Sed ipsa species sic paretur, ut ante inductiones tandiu subigantur, ut rutrum ex ea mundum levetur. Inarescente inductione, alterum corium subtilius inducatur, ut marmoris et candoris politionibus fundata soliditas nitidum culturae faciat decorem. Omnia ergo, quae diligenti studio componuntur, neque vetustatibus obsolescunt; neque, cum purgari coeperint, gratiam coloris amittunt. Humidi enim parietes, cum picturis ornantur, desudescunt; et operi obligatus color elui non potest.

XXIII.

De opere Coronario.

Operi (4) coronario subtilior impensa necessaria est, ut amplius fricata mollioris nitorem gratiae faciat. Observandum tamen erit ne gypsum impensae adjungatur. Siticulosa enim materia, dum cito arescit (5), vitiat coronarium opus. Politionibus parietum et Camerum superinducitur (6): Nam corrumpit.

(1) ET] Particulam hanc sumsimus ex Ed. V. cum Codices habeant, *sed.*

(2) LVCIDATIONES] Cod. R. 1. Vascosanus, *loricationes.* Cod. R. 2. *inductiones.* Visa tanta lectionum differentia, retinui primi Codicis vocem illam, *lucidationes.* Palladius enim (Lib. I. Tit. XIII.) *Tertio*, ait, *tusi marmoris pulverem mistum cum calce ducemus, et poliemus ad summum nitorem.* Credi itaque potest, ultimas inductiones, ex quibus nitor nasceretur, ab Auctore nostro *lucidationes* fuisse appellatas.

(3) EX MARMOREO GRANO] Codex uterque *gramo:* Ed. V *ex marmore Grajo.* Emendationis, qua usi sumus, ea fuit caussa, quod Vitruvius (Lib. VII. Cap. 3.) et Palladius (Lib. I. Tit. XV.) habent, *ex marmoreo grano.* Quod autem ab Vitruvio multa hauserit (et a Palladio multa hausisse videatur) noster Auctor, pluribus hic non repetemus. Ad ea vero Palladii verba, *ex marmore grano*, adnotavit Christianus Schoettgenius, legi in Vitruvii *Epitome,* c. 22. *ex marmore Grajo;* qua ex lectione, ut etiam ex nonnullis aliis, probabile omnino fit, Christianum in edita ab Vascosano Vitruvii Epitome fuisse versatum.

(4) CORONARIO] In Cod. R. 1. vocem hanc frustra quaeras.

(5) VITIAT] Usus sum lectione Ed. V. At Cod. R. 1. *vicinam:* Cod. R. 2. *vicina.*

(6) NAM CORRVMPIT] Varias adhibui in postremis hujusce Articuli versibus interpunctiones, ut pars aliqua (si fieri posset) obscuratis adimeretur. Postrema verba, *Nam corrumpit,* sic interpretor: Nam gypsum si non superinducatur, sed adjungatur impensae, corrumpit coronarium opus, ut dictum est.

XXIIII.

De Parietibus Caementiciis, humidis locis, solidandis.

Parietes vero, humidis locis, sic erunt solidandi. Si perpetuus humor manabit, tribus pedibus ab imo, testaceo paries vestiatur, et vestitura calcetur, et poliatur, ne humorem admittere possit. Quod si humor major perpetuus manabit, canaliculum brevem exstrues, aliquantum a pavimento altius, quo collectus humor sine vitio parietis exeat. Si autem affluens humor abundabit, tegulas bipedales ex ea parte, qua humor inriguus erumpet diligenter (1) picabis, ne vis humoris ad parietem transeat. Ex altera parte, qua structurae junguntur, tegula calce liquida linietur, ut facilius operi adhaerere possit.

XXV.

Triclinia hiberna minoribus picturis esse adornanda.

Triclinia hiberna non convenit grandibus picturis ornari, quod hibernis temporibus frequenti lumine (2) cereorum, aut lucernarum fumante, obsolescunt. Propterea et camerae eorum planae fiunt; ut (3), detersa fuligine, statim illuminatus splendor appareat.

XXVI.

(4) *Pavimenta ut in hieme tepeant.*

Etiam pavimentorum utilis dispositio inventa videtur. Itaque excavatis in altum duobus pedibus, fistucato solo inducatur aut rudus, aut testaceum pavimentum, deinde congestis, sed calcatis spisse carbonibus, inducatur, ex (5) sablone, et favilla, et calce (6) mista impensa, crassitudine unciarum VI. ad regulam; exaequata planities reddit speciem nigri pavimenti. Hieme ergo non recipit frigus, et ministros, licet nudis pedibus, vapore delectabit: sic enim erit (7) pavimentum, ut etiam bibentium pocula si effusa fuerint, momento (8) siccescant.

(1) PICABIS] Ita Cod. R. 2. et Ed. V. In Cod. R. 1. legitur, *pecabis*. Eo verbo, *picare*, hoc est, fervida pice linire, usus est etiam Vitruvius (Lib. VII. Cap. 4.) ubi de politionibus pro locis humidis egit; sed Vitruvius multo plura de tegularum forma atque usu ibi perspicue demonstravit.

(2) CEREORVM] Codices, *cerorum*.

(3) DETERSA] Ita Cod. R. 2. et Ed. V. In Cod. vero R. 1. *de terga*.

(4) PAVIMENTA VT IN HIEME TEPEANT] Conseutiunt Cod. R. 1. et Ed. V. Diversum autem hujus Articuli titulum praefert Cod. R. 2. nimirum, *De pavimentorum utilitate*.

(5) SABLONE] Sic Cod. R. 1. Habent Cod. R. 2. et Ed. V. *sabulone*. Sed ab sequiore aetate (ut in Glossario alias citato videre est) *sablo*, pro *sabulo*, usurpabatur.

(6) MISTA] Cod. R. 1. *exta*. Sed haud dubie *mixta* legi debet: toto eo loco Vitruvium (vide Lib. VII. Cap. 4.) fere descripsit Auctor noster. Vitruvius autem habet; *inducitur ex sabulone, et calce, et favilla mixta materies, crassitudine semipedali* etc.

(7) PAVIMENTVM] Sic edidit Vascosanus. Cod. R. 1. *pavimento*. Cod. R. 2. *pavimento gratia*.

(8) SICCESCANT] Ita ubique legitur. Libenter scripsissem, *siccescat*, et verbum hoc retulissem ad *pavimentum*; ut sensus esset, *pavimentum siccescat*.

XXVII.

De Generibus Colorum.

Colores vero alii certis locis procreantur, alii ex commixtionibus componuntur. Rubricae itaque multis locis generantur, sed optimae in Ponto, et in Hispania nascuntur. Paraetonium ex ipso loco, unde foditur, habet nomen. Eadem ratione et (1) melinum, quod ejus vis metalli (2) per insulas cycladas Melo dicitur. Creta viridis pluribus locis nascitur, sed optima in (3) Creta Cirina tantum procreatur, quae graece theodote dicitur, a Theodoto quodam, in cujus solo primum est inventa. Auripigmentum, quod arsenicon graece appellatur, in Ponto nascitur. Sandaraca plurimis locis generatur, sed optima in Ponto, et juxta flumen (4) Hypanium. Minii autem natura primum a Graecis Ephesiorum solo reperta memoratur; deinceps in Hispania: cujus natura has admirationes habet. Glebae (5) itaque cum ex metallis primum exciduntur, argenti vivi guttas exprimunt, quas artifices ad plures usus colligunt. Neque enim argentum, neque aes sine his inaurari potest (6). Eae confusae in unum ita, ut quattuor sextariorum mensuram habeant, centum librarum pondus efficient. Supra cujus liquorem centenarium saxi pondus si posueris, sustinebit. Scrupulum auri super si posueris, in liquorem descendit. Unde intelliges, non ponderis sed naturae esse discretionem. Itaque si aurifex pannis (7) textilibus intextum aurum eximere vult, in rudi vaso fictili ad pulveres exurit; inde pulveres prius laverit, postea mixtum argento vivo, vel in panno vel in linteolo comprimit, ut liquor argenti expressus emanet, et aurum solidum intrinsecus remaneat. Verum probatio minii sic erit observanda. In lamina ferrea mittatur, et super ignem ponatur tamdiu, donec lamina rubescat. Tunc retractum refrigescat (8). Si colorem non mutaverit, optimum erit; si mutaverit, vitiatum erit. Colores autem omnes calcis mixtione corrumpi manifestum est. Chrysocolla a Macedonia venit: foditur autem ex metallis aerariis.

(1) MELINVM] Quamvis *melenum* viderim in Cod. R. 1. et in Ed. V. tamen Vitruvio stare malui: ex cujus Libri Septimi Capitibus septimo, et sequentibus aliis, plurima, pro Articulo hoc, mutuatus est noster.

(2) PER INSVLAS CYCLADAS] Melius, *cyclades*. Hoc loco proposita res, de qua Vitruvius et noster agunt, haudquaquam ab Auctore nostro constituitur modo eodem, ac ab Vitruvio. Plures hujusmodi varietates variis in locis observavi: sed operam meam in singulis eis observationibus conscribendis ponere, mei quidem non erat instituti, ut alias indicavi.

(3) CRETA CIRINA] Consentiunt Codices: Ed. V. *Creta et Cyrenis.* Fortasse loci nomen ab Amanuensibus fuit depravatum. Mihi saltem *Creta Cirina* ignota est, Vitruvius ait, cretam viridem optimam nasci *Smyrnae.*

(4) HYPANIVM] Cod. R. 1. *yppanium* Sed Cod. R. 2. *ypanim:* et Ed. V. *Hypanium.* Vitruvius, *Hipanim.*

(5) ITAQUE] Ed. V. *namque.*

(6) EAE] Legebatur, *nam;* sed haec conjunctio caussalis nihil omnino ad rem pertinebat, immo reddebat omnia obscuriora. Itaque reposui, *Eae,* vocemque desumsi ex Vitruvio; cum etiam sequentium verborum pleraque ex Vitruvii Capite octavo Libri septimi desumserit noster.

(7) TEXTILIBVS INTEXTVM AVRVM EXIMERE VVLT, IN RVDI VASO FICTILI AD PVLVERES EXVRIT; INDE PVLVERES] Attendens Vascosani Editionem, et Vitruvii verba, locum restitui, ut intelligi modo aliquo posset; cum in Codice R. 1. nullo modo posset: sunt enim Codicis verba haec; *textilibus adustum rudi vaso fictili solidari pulveris.* Ed. V. *textilibus pannis intextum aurum eximere vult, in rudi vase fictili ad pulveres exurit: inde uti pulveres.* Vitruvii autem verba, proposito nostri Auctoris loco convenientia, in commemorato octavo Capite legi queunt.

(8) SI COLOREM] Ed. V. *et si colorem.*

(1) Argentum, et Indicum ab ipsis ostenditur, quibus in locis nascitur. Atramenti vero compositio sic erit observanda, quae non solum ad usum picturae necessaria videtur, sed etiam ad cotidianas scripturas. Lacusculus curva camera struatur: huic fornacula sic componitur, ut nares in lacusculo habeat, qua fumus possit intrare. Taedae (2) in eadem fornace incendantur: super taedas ardentes resina mittatur, ut omnem fumum, et fuliginem per nares in lacusculum exprimat. Postea fuliginem diligenter (3) conteres (4), et aquam ad modum mittes, et atramentum facies nitidum. Pictores autem glutinum miscent, ut nitidius esse videatur. Sed ad celeritatem operis etiam taedarum carbones, cum glutino attriti, parietibus praestabunt atramenti suavitatem. Nec minus sarmenta exusta, et contrita, atramenti colorem imitabuntur. Sed sarmenta uvae nigrioris si in optimo vino mersa (5) arserint, et postea exusta fuerint, addito glutino, imitata indici (6) suavitatem monstrabunt (7). Usta faex vini quamplurimum necessaria in operibus picturae videtur (8). Glebae silis boni in igne coquuntur; tunc acerrimo aceto perfuso extinguuntur; et reddunt purpureum colorem (9). Caerulei temperationes Alexandriae primo sunt inventae. Nunc autem puteolis ex arenae pulvere, et nitri flore temperatur (10) aes cyprium adustum. Cerussa, quam nostri (11) afrugum vocant, sic erit conficienda. Sarmenta (12) vitiosa vineae, infuso aceto, in dolio sub tabulis plumbeis deponantur, et dolium cludatur; et, pluribus mensibus transactis, aperiatur. Et cerussa in fornace coquatur; quae, mutato colore, meliorem efficiet sandaracam. Ostrum autem, quod pro colore purpurae temperatur, plurimis locis nascitur; sed optimum in insula Cypro, et caeteris, quae proximae sub Solis cursu habentur (13): conculae itaque, cum circumcisae ferro fuerint, lacrimas purpurei coloris remittunt; quibus collectis purpureus color tem-

(1) ARGENTVM, ET INDICVM etc.] Locum hunc (fortasse ab Amanuensibus corruptum) interpunctione, ut potui, tantulum extricavi. Vitruvius (Lib. VII. Cap. 9.) ubi dixit, *chrysocollam fodi ex his locis, qui sunt proximi aerariis metallis*, subdit; *Minium, et Indicum nominibus ipsis indicant, quibus in locis procreantur.*

(2) IN EADEM FORNACE] Lectio haec est Cod. R. 2. cum Cod. R. 1. et Ed. V. habeant, *in eandem fornacem*. De Atramento egit Vitruvius Lib. VII. Cap. 10.

(3) CONTERES] Codices, *conteris*.

(4) ET AQVAM AD MODVM] Hoc est, aquae convenientem quantitatem. Cod. R. 1. *et aquam admodum*: Cod. R. 2. *et admodum*: Ed. V. *et aquae in modum*.

(5) ARSERINT] Sic Cod. R. 2. At Cod. R. 1. *arderent*: Ed. V. *ardeant*.

(6) SVAVITATEM] Ed. V. Verum Codices, *suavitate*.

(7) VSTA FAEX VINI] Cod. R. 1. *Usta vero quam*: Cod. R. 2. *Usta quae*: Ed. V. *Usta vero, quae*. In hac varietate, similitudo tamen aliqua reperitur; nimirum similitudo obscuritatis; cum nuspiam profecto quid sit res *usta* appareat. Conjectando, loco particulae *vero*, posui *faex*; propterea quod Vitruvius (Cap. cit.) de *atramento* scribens, postquam de *fuligine* et de *sarmentis* mentionem fecit (ita etiam noster fecit) *non minus*, ait, fiet atramentum, *si faex vini arefacta et cocta in fornace fuerit*.

(8) GLEBAE SILIS BONI] Non imitari Editionem Vascosani non licuit. *Sil* est genus pigmenti (*silis* habet etiam Vitruvius) Cod. R. 1. *Glebae silices bonae*: Cod. R. 2. *Glebae, vel silices, bene*. Sed quid silices ad propositam rem?

(9) CAERVLEI TEMPERATIONES] Codices *Cerussi temperationes*. Sed videtur manifestus Amanuensium error, si inspiciatur Vitruvii Caput XI. Libri VII. ex quo haec depromsit noster.

(10) AES CYPRIVM] De iis vocibus, quamvis male in utroque Cod. et in Ed. V. scriptis, dubitandum non erat.

(11) AFRVGVM] Ita Codices. Ed. V. *aeruca*; haud dubie quia Vitruvius (Lib. VII. Cap. 12.) habet; *de cerussa, aerugineque, quam nostri aerucam vocant*. At quis sciat, num sequiore aevo cerussa *afrugum* potius, quam *aeruca* vulgo vocitaretur?

(12) VITIOSA VINEAE] Cod. R. 1. *vitiosa mineae*: Ed. V. *vitio amineae*: in Cod. R. 2. nonnullae voces desiderantur. At, pro *mineae*, *vineae* reponendum esse conjeci.

(13) CONCVLAE] Nempe conchae ostrearum, ex quarum testis eximitur *ostrum*, ut docet Vitruvius (Lib. VII. Cap. 13.) Exiguae quaedam differentiae in hoc loco inter Ed. V. et Codices intersunt: at sententiam non turbant.

peratur. Ideo autem ostrum est appellatum, quod ex testis humor elieitur; qui cito ex salsugine inarescit (1), nisi temperatus humor mel circumfusum habeat. Fiunt etiam purpurei eolores infeeta creta (2) rubiae radiee; similiter ex floribus alii colores inficiuntur. Itaque Pictores eum voluerint sil Atticum imitari, violam aridam in vaso cum aqua ad ignem adponunt, ut ferveat; et decoctam in linteolo exprimunt, et in mortario cum ereta conterunt, et faciunt silis Attici colorem. Eadem ratione vaccinium cum lacte temperantes, purpuram faciunt elegantem. Qui non possunt, chrysocolla propter caritatem uti, herba, quae lutear appellatur (3), sueeum caeruleum inficiunt; et utuntur viridissimo colore. Haec autem infectiva appellantur. Propter inopiam coloris, simili modo cretam (4) formosam, sive annulariam, vitro (5) miscentes, inficiunt indici colorem.

(1) NISI TEMPERATVS HVMOR MEL CIRCVMFVSVM HABEAT, FIVNT] Cod. R. 1. *nisi temperatur humor melle circumfusus habeat. Fiunt*: desunt autem huic loco ea verba in Cod. R. 2. Ed. V. habet; *nisi temperetur humor melle circumfuso.* Sed, ut feci, ita emeudandum eensui locum hunc. Vitruvius (loco cit.) ostrum *cito fit siticulosum, nisi mel habeat circumfusum.*

(2) RVBIAE RADICE] Sic edidit Vascosanus: Codices, *rubra radice.* Vitruvius (Lib. VII. Cap. 14.) *infecta creta rubiae radice*: nonuulli tamen Vitruviani Codices habent, *rubra radice.*

(3) SVCCVM] Haec vox exstat in Codice utroque: desideratur in Ed V. et iu Vitruvii Capite paullo ante commemorato; ex quo noster Auetor periodum illam plaue descripsit.

(4) FORMOSAM SIVE ANNVLARIAM] Codiees, *formosam sive angulariam.* Ed. V. *selinusiam sive annulariam*: haee verba ex Vitruvio (ut opinor) deseripsere Editores illi. Ego vero nesciens, num ea *creta* appellaretur etiam *formosa* quo tempore seripsit noster, primum illud verbum intactum reliqui. Alterum mutavi, cum differentia esset in una littera *n*, pro *g*, substituenda.

(5) MISCENTES, INFICIVNT] Ita Cod. R. 2. Verum plura sunt iu Cod. R. 1. in quo legitur: *miscentes, quod Graeci Staen sine rationibus vocant inficiunt*: Ed. V. *miscentes, quod Graeci ὕαλον vocant, inficiunt*: Vitruvius (Capite commemorato) *miscentes, quod Graeci ὕαλον appellant, inficientes.* Itaque, in tanta discordia, placuit defeetum Cod. R. 2. imitari potius, quam nimis hariolari.

Hoc loco iterum in Regio Vaticano Codice 1286. sunt Articuli plures quam in Regio 1504. aut in Vascosani Editione. Eorum primis ea, quae etiam in Auctoris uostri superiore Articulo scripta sunt, continentur: sed alio tamen ordine, initiis aliis, variisque adjectis interpolationibus: quaedam enim in iisdem nova esse videntur. Ego saltem ea ex nostri Auctoris fontibus minime promanasse reor: non secus ac sensi de Articulis aliis alibi in hunc eundem Codicem ingestis. Nihilo tamen minus hosce diversos omnes Articulos (quemadmodum superius feci) sive ut ex ipsis aliqua, ubi fieri possit, utilis eliciatur comparatio, sive ut habeantur tamquam parerga, subjeci.

De generibus colorum.

Colorum alii sunt albi, alii nigri, alii medii. Et albi quidem species cerussa, calx, alumen. Nigri vero fuscus, et qui ex sarmentis componuntur. Medii, rubeus, viridis, croceus, purpureus, prasinus, lazur, indicus. Quorum expersio per se pulchra est; sed interdum sibi invicem permixti pulchriores fiunt, quia sua varietate gratiam praestant, dum aliud compositi monstrant. Nam ut in medicinae confectionibus species sibi commiscentur, sic colores ejusdem qualitatis, ut partem ex alterius natura, partem ex sua trahant. In qua commixtione, et in eo quomodo in pictura post se ponantur, summa subtilitas requiritur. *Siquidem post album niger, aut rubeus melius convenit, quam croceus. In temperatione mediocritas sectanda est, quia color nimium spissus, et nimium tenuis cito deficit. Rubri itaque multis locis generantur, sed optimi in Ponto, et in Hispania nascuntur. Paraetonium ex ipso loco, unde foditur, habet nomen. Eadem ratione et melinus, quod ejus metalli species per insulas cycladas melo dicitur. Creta viridis pluribus locis nascitur, sed optima in Creta Cirina, quae graece theodote dicitur a Theodoto quodam, in cujus solo primum est inventa. Arsenicon, id est, auripigmentum, in Ponto nascitur. Sandaraca plurimis locis generatur, sed optima in Ponto et juxta flumen ypanim. Minii autem natura primum a Graecis Ephesiorum solo reperta memoratur; deinceps in Hispania: cujus natura has admirationes habet. Glaties itaque eum ex metallis primum exciduntur, argenti vivi guttas exprimunt, quas artifices ad plures usus colligunt. Neque enim argentum, neque aes, sine his inaurari potest. Nam confusae in unum guttae argenti vivi ita, ut IV. sextariorum mensuram habeant, C. librarum pondus efficient; supra cujus liquorem centenarium saxi pondus si posueris, sustine-*

XXVIII.

De Normae Inventione.

Quoad omnes usus normae ratio subtiliter inventa videtur, sine qua nihil utiliter fieri potest. Hoc modo erit disponenda. Sumantur itaque tres regulae,

bit, scrupulum auri supra si posucris, in liquorem descendit: unde intelliges, non ponderis, sed naturae esse discretionem. Itaque si aurifex pannis textilibus adustis ex friso in rudi vase fictili solidari pulverem volueris, lava. Postea mixtum argento vivo, vel in panno vel in linteolo comprimis, ut liquor argenti expressus emanet, et aurum solidum intrinsecus remaneat. Verum probatio minii sic erit observanda, in lamina ferrea mittatur, et supra igneam ponatur tamdiu, donec lamina rubescat; tunc retractum refrigescat: si colorem non mutaverit, optimum erit; si mutaverit, vitiatum erit.

De colorum commixtione.

Colores autem omnes calcis mixtione corrumpi manifestum est. Siquidem est in temperamento folii utiliter calx ex duro saxo facta; miscetur, ne nimis pressum pereat, quippe aquae distemperato folio, cum parvissima quantitate albugenis (idest glarae ovi) pulcherrime in pergamena depinguatur. Mineo vero in temperamentis utiliter miscetur sanguis draconis, aut sandyx (idest guarentia) ejus scilicet purus succus, aut creta rubea, viridi quoque et croceo, alii suae qualitatis permiscentur utiliter. Chrysocolla a Macedonia venit, foditur autem ex metallis aerariis; Indicus ab ipsis ostenditur quibus locis nascitur. Atramenti vero compositio sic erit observanda, quae non solum ad usum picturae necessaria videtur, sed ad quotidianas scripturas. Lacusculus curva camera struatur: huic fornacula sic componitur, ut nares, idest suspiracula, habeat in lacusculo, qua fumus possit intrare. Taedae in eadem fornace incendantur, super taedas ardentes resina mittatur, ut omnem fumum, et fuliginem per nares in lacusculum exprimat. Postea fuliginem diligenter conteris, et admodum misces, et atramentum facies nitidum. Pictores autem glutinum miscent, et nitidius videtur. Sed ad celeritatem operis, etiam taedarum carbones cum glutino attriti parietibus praestabunt atramenti suavitatem. Nec minus sarmenta exusta, et contrita, atramenti colorem imitabuntur: sed sarmenta uvae nigrioris, si in optimo vino arserint, et postea exusta fuerint, addito glutino, imitata indici suavitate monstrabunt. Usta quae plurimum accessaria in operibus picturae videntur glebae, vel silices, bene in igne coquuntur, tunc aceto acerrimo perfusae cxtinguuntur, et reddunt purpureum colorem. Cerussi temperationes Alexandriae primo sunt inventae. Nunc autem Puteolis ex arenae pulvere, et nitro flore temperatur. Sed cuprum adustum fit cerussa, quam nostri afrugum vocant: sic itaque erit conficienda. Infuso aceto in dolio super tabulae plumbeae componantur, ut acetum tangant, et dolium cludatur: pluribus mensibus transactis, aperiatur, et Cerussa in fornace coquatur; quae, mutato colore, in minium meliorem efficiet sandaraca. Ostrum autem, quod pro colore purpurae temperatur, plurimis locis nascitur; sed optimum in insula Cypro, et ceteris, quae Solis cursui proximae habentur. Concula itaque cum circumcisa ferro fuerint, lacrimis purpureum colorem remittunt, quibus collectis purpureus color temperatur. Ideo autem ostrum est appellatum, quod ex testa humor elicitur, qui cito ex salsugine inhaerescit. Fiunt etiam purpurei colores infecta creta rubra radice. Similiter ex floribus alii colores inficiuntur. Itaque Pictores, cum voluerint sil atticum imitari, violam aridam in vase cum aqua ad ignem ponunt, ut ferveat; et decoctam in linteolo exprimunt, et in mortario cum creta conterunt, et faciunt silis attici colorem. Eadem ratione vaccinium cum lacte temperantes, purpuram faciunt elegantem; uti herba, quae lutea appellatur, succum inficit caeruleum; et utuntur viridissimo colore; haec infectiva appellantur, propter inopiam colorum. Simili modo cretam formosam, sive angulariam, vitro miscentes inficiunt indici colorem.

De Croco Hispanico.

Crocus quoque Hispanicus cum lucidissimo glutine distemperatus, et stanno limpidissimo bene brunito et claro superpositus *speciem auri procul intuentibus mentitur; quae a se colorem, a stanno accipit fulgorem.*

Quomodo scribatur ex auro, vel cupro.

Aurum vel cuprum cum cote teritur, et tritum scypho, idest barintio, excipitur. Quod caute lavatur, quia melius cum aqua interdum proiicitur; et iccirco ipsa aqua frequentius in diversis vasculis reripitur. Postea, parato lucidissimo ex pergamenis glutine, in hypogeis,

ut (1) duae sint pedibus binis, et tertia habeat pedes duos uncias X. ac regulae aequali grossitudine compositae extremis acuminibus jungantur, schema facientes trigoni. Sic fiet periti norma composita.

XXVIIII.

De Horologii Institutione.

Multa variaque genera sunt horologiorum; sed Peligni, et Hemicycli magis aperta, et sequenda ratio videtur (2). Pelignum enim horologium dicitur quod ex duabus tabulis marmoreis vel lapideis superiore parte latioribus, inferiore angustioribus componitur: sed hae tabulae aequali mensura fiunt, et quinis lineis directis notantur, ut angulum faciant, qui sextam horam signabit. Semis ergo ante primam, et semis post undecimam supplebunt XII. numeros horarum, sed junctis aequaliter ante, et extensis in angulo summo juncturae circinum figes, et angulo proximum circulum facies, a quo primum lineae horarum partitae aequaliter notantur. Item alium majorem circulum ab eodem puncto anguli facies, qui prope (3) oram tabularum attingat, ad quem aestivis temporibus gnomonis umbra pervenit. Subtilitas ergo disparis mensurae de spatio horarum expectanda non est, quando aliud majus, et aliud minus horologium (4) poni solitum videatur, et non amplius pene ab omnibus, nisi quota sit solum inquiri (5), festinetur. Gnomon itaque in angulo summo juncturae paululum inclinis ponitur, qui umbra sua horas designet. Constitues autem horologii partem, qua decimam horam (6) notat, contra Orientem aequinoctialem; sicut de exemplis multifariam cognoscitur. Horologium autem, quod (7) Hemicyclium appellatur, simili modo de lapide, vel de marmore uno,

aut calidis locis, convenit scribere. Deinde limpidissima petra, idest onychino, aut simili re, convenit scripta detergere, quia sic et soliditatem accipient, et colorem.

(1) DVAE SINT PEDIBVS BINIS, ET TERTIA HABEAT PEDES DVOS VNCIAS X.] Quaelibet ex binis illis habebit uncias 24. numeri quadrati, respondentes illis, simul sumti conficient 1152. Tertia constabit unciis 34. huic conveniens quadratus numerus erit 1156. quattuor tantum partibus excedens numerum 1152. satis ergo (si Prop. 47. Lib. 1. Eucl. consideremus) proxime angulus trigoni a nostro effecti ad rectum accedet. Melius tamen Vitruvius, qui (Lib. IX. Cap. 2.) *si sumantur*, ait, *regulae tres, e quibus una sit pedes tres, altera pedes quattuor, tertia pedes quinque* etc. Ternario enim et quaternario quadrati numeri respondentes, in unam summam collecti, dant 25. nimirum quadratum numerum praecise convenientem numero quinario regulae tertiae sive hypotenusae.

(2) PELIGNVM] Ita in Codice utroque perspicue legitur. Ed. V. habet *Plinthium*; haud dubie quia *Plinthium* nominat Vitruvius (Lib. IX. Cap. 9. ubi agit *de horologiorum ratione, et usu.*) At, si Vitruvius horologiorum descriptiones haudquaquam exhibuit, qui fieri poterit, ut sciamus, *Plinthium horologium* illud fuisse, quod hisce in Codicibus *Peligni* nomine designatur? Porro, si vocum similitudo duntaxat fuisset attendenda, *Pelecinon* (de quo item in commemorato Capite Vitruvius) pro *Pelignum*, potius quam *Plinthium*, fuisset reponendum. Sed cum desint Antiquorum monumenta fere omnia, ex quibus res ab Auctore nostro in Articulo hoc propositae cognoscantur; atque adeo nullae comparationes institui queant; plane sequitur, ut haerere aqua debeat ubi in hoc eodem Articulo offenduntur varii caliginosi, seu male affecti loci, minime quidem tentandi; quippe qui sint de genere illorum, quos neque ipse Apollo illustraverit, aut sanaverit.

(3) ORAM] Ita Ed. V. Est in Cod. R. 1. *horarum*: Cod. R. 2. *horas.*

(4) PONI] Exscripsimus Ed. V. Cum Codices habeant, *pones*.

(5) FESTINETVR] Cod. R. 1. *festinet*: Cod. R. 2. *festinatur.*

(6) NOTAT] Hic quoque Ed. V. secuti sumus: Cod. R. 1. *nota ut*: Cod. R. 2. *notasti.*

(7) HEMICYCLIVM] De hoc horologiorum genere, quod *ab Beroso Chaldaeo inventum* tradi

quattuor partibus sursum latioribus, infra angustioribus componatur (1); ut ab ante, et a tergo latiores partes habeat. Sed frons aliquantum permineat, atque umbram faciat majorem. Sub hac fronte rotunditas ad circinum notatur, quae cavata (2) introrsus hemicycli faciat schema. In hac cavatura tres circuli fiunt; unus prope summitatem horologii, alius per mediam cavaturam, tertius prope (3) horam signetur. A minore ergo circulo usque ad majorem circulum horalem I. et decem lineae directae aequali partitione ducantur, quae horas demonstrent. Per medium vero hemicyclium supra minorem circulum planitia aequalis subtiliori grossitudine fiat; ut, aperta rotunditate digitali, facilius Solis radius infusus per numeros linearum horas demonstret. Hiemis ergo tempore per minorem circulum horarum numeros servabit. Æquinoctiali tempore medium circulum sequetur, aestivo tempore per majora circuli spatia (4) gradietur. Sed, ne error in (5) construendo horologio cuiquam videatur, libero loco alto, vel plano, sic ponatur, ut angulus hujus, qui occiduas horas notabit contra aequinoctialem vernum spectet, unde Sol nono Kal. Aprilis oriatur. Fit etiam in uno horologio duplex elegantiae subtilitas; nam dextra ac sinistra extrinsecus in lateribus ejus quinae lineae directae notantur, et ternae partes circulorum (6) aequali intervallo sic fiunt, ut una proxima sit angulis posterioribus, ubi styli ponentur, qui umbra sua horas designent: altera mediam planitiem detineat: tertia prope (7) horam contingat. Has enim partes circulorum hieme, vere, et aestate sic, ut interius, gnomonis umbra sequitur. In angulis ergo posterioribus stylos modice obliquos figes, qui umbra sua horas (8) designent. Oriens enim Sol in primo latere sex horas notabit, occidens alias sex in (9) sinistro latere percurret. Legitur etiam, horas sic comparari debere; primam, sextam, septimam, et duodecimam uno spatio mensuraque disponendas: secundam, quintam, octavam, et undecimam pari aequalitate ordinandas. Tertiam, quartam, nonam simili ratione (10) ducendas. Est et alia de modo et mensuris horarum comparatio, quam prolixitatis caussa praetereundam aestimavi. Prima (11) quoniam haec diligentia ad paucos prudentes pertinet. Nam omnes fere, sicut supra memoratum est, quota sit solum requirunt. Quantum ergo ad privatum usum (12) expectat necessaria huic libello (13) ordinavimus.

dit Vitruvius (lòc. cit.) egit Jacobus Zeiglerus; de cujus tamen opusculo opportunius ad commemorata modo Vitruvii verba dicetur.

(1) VT] Cod. R. 1. Sed Cod. R. 2. et Ed. V. *ita ut.*

(2) INTRORSVS HEMICYCLI] Lectio haec est Cod. R. 2. In Cod. R. 1. et in Ed. V. est, *intro rasu emicyclio.*

(3) HORAM] Ita Cod. R. 1. et Ed. V. At Cod. R. 2. *horas.* Lubens scripsissem, *oram.*

(4) GRADIETVR] Verbum ex conjectura eo modo emendandum putavi. Cod. R. 2. et Ed. V. *graditur*: Cod. R. 1. *gradiet*; et fortasse, illo sequiore aevo, *gradio* etiam, pro *gradior*, dicebatur.

(5) CONSTRVENDO] Hoc verbum ubique legitur: crederem tamen, *constituendo*, esse legendum.

(6) AEQVALI INTERVALLO SIC FIVNT] Consentiunt Cod. R. 1. et Ed. V. Sed Cod. R. 2. habet; *intervallo aequali eas secant.*

(7) HORAM] Sic Ed V. In Cod. R. 1. *hora*: in Cod. R. 2. *horas.* Iterum tentabar, ut reponerem, *oram.*

(8) DESIGNENT] Ab Cod. R. 1. et ab Ed. V. differt Cod. R. 2. qui habet, *demonstrent.*

(9) SINISTRO] Hic quoque differt Cod. R. 2. in quo, pro *sinistro*, est *alio.*

(10) DVCENDAS] Sic emendavimus coniectando. Codices, *dedendas*: Ed. V. *edendas.*

(11) QVONIAM] Ita Codices. Ed. V. *quum.*

(12) EXPECTAT] Id Verbum Codicum est: Ed. V. *spectat.*

(13) ORDINAVIMVS.] Post hoc verbum (quod postremum est Art. XXIX. in Cod. R. 1. et in Ed. V.) in Cod. R. 2. sequuntur haec: *Civitatum sane, et ceterarum rerum institutiones praestanti sapientiae memorandas relinquimus.*

XXX.

De (1) *Malthis diversis.*

(2) Compositio maltharum: malthae (3) calidariae picem duram, ceram albam, aequis ponderibus stuppam, picis liquidae totius ponderis partem dimidiam, testam minutam, florem calcis, omnia in uno mixta, in juncturas fundito. Item ammoniacum remissum siccum, et stuppam, et picem liquidam in pila tunde, et juncturas oblinito. Item ammoniacum, et sulphur, utrumque remissum injicito, sive infundito. Item picem duram, ceram albam, et am-

Eodemque in Codice, nimirum Regio 1286. post hunc Art. XXIX. alius sequitur Articulus, cujus nullum indicium in Regio Codice 1504. nullum in Vascosani Editione reperitur. Quae vero de aliis in eum Codicem insertis Articulis supra dicta sunt (pag. 187. et pag. 207.) eadem de hoc quoque quem subjeci, dicta intelligantur.

De Sphaera, vel Hemisphaerio.

Sphaera, ad caelestes circulos, vel signa ostendenda, componitur ex omni parte rotunda. Quam dividit circumducta linea mediam aequaliter in LX. partibus divisa. Ubi itaque constituis caput lineae, unum circini pedem fige, et alterum pedem e regione ibi constitue, ubi sex partes sumuntur de LX. partibus praedictae lineae. Et dum circinum circumduxeris, XII. partes includes. Non mutato primo pede, secundus pes extenditur usque ad locum, quo de praedicta linea XI. pars finitur; et ita circumducitur, ut XXII. partes complectatur. Eodem modo adhuc pes usque ad finem XV. partis praedictae lineae pertenditur, ut circumductione XXX. partes habeas; media sphaera secatur. Tunc mutato circino in altera parte sphaerae, ubi primum pedem fixeras, attendens ut contra statuas, praedictam rationem mensurae circumductionis, et partium complexionis observabis. Nam quinque erunt solummodo circumductiones, quarum media aequalis est lineae in LX. partibus divisae. Altero igitur istorum hemisphaeriorum sumpto interius cavato; et, ubi circini alterum pedem in praedicta linea ad circumducendum fixeras, perforas; ut circumductio medium foraminis teneat. In capitibus quoque sphaerae, ubi primum pedem circini posuisti, singula foramina facis, ut medietas foraminum illorum terminet praedictum hemisphaerium. Nam ita VII. erunt foramina, in quibus singulis, singulas semipedales fistulas constituis; eruntque duae extremae contra se positae, ut per utrasque, ac si per unam, videas. Ne vero fistulae hac illac titubent, ferreo semicirculo, ad modum praefati hemisphaerii secundum suam quantitatem, mensurato, partito, et praeforato utere, quo superiores extremitates fistularum cohaereant. Quae hic differunt a fistulis organicis, quod per omnia aequalis sunt grossitudinis, ne quid offendat aciem per eas caelestes circulos contemplantis. Semicirculus vero duorum digitorum ferme latitudinis, ut omne hemisphaerium triginta partes habeat longitudinis, servans aequalem rationem divisionis, perforatas fistulas recipit. Notato itaque nostro Boreo polo, descriptum hemisphaerium taliter pone sub divo, ut per utrasque fistulas, quas diximus extremas, ipsum Boreum polum libero intuitu cernas. Si autem de polo dubitas, unam fistulam tali loco constitue, ut non moveatur tota nocte, et per eam stellam suspice, quam credis polum esse. Et, si polus est, eam tota nocte per fistulam poteris suspicere. Sin alia mutando loca non occurrit visui paulo post fistulam. Igitur, praedicto modo, locato hemisphaerio ut non moveatur ullo modo, prius per inferiorem, et superiorem primam fistulam polum Boreum, per secundam arcticum circulum, per tertiam aestivum, per quartam aequinoctialem, per quintam hiemalem, per sextam antarcticum, circulos tota nocte metiri poteris. Pro polo vero antarctico, qui sub terra est, nihil caeli, sed tantum terra per utrasque fistulas intuenti occurrit.

(1) MALTHIS] Gul. Philander (in Annot. ad Vitr. Ed. 1552. pag. 206.) *arenatum*, ait, *idest, mortarium, et marmoratum, quod nostra aetas stucchum appellat, atque maltham, quam smaltum vulgus Italorum nominat*; subditque, ejus *rationem propriam esse castellorum aquae.*

(2) COMPOSITIO MALTHARVM : MALTHAE] Ita Cod. R. 1. et Ed. V. Sed Cod. R. 2. *Compositio maltharum, idest solidamentorum ad solidandas quaslibet res. Malthae.*

(3) CALIDARIAE] Vocem hanc habent Codices; verum Ed. V. *calcariae*; recte tamen Codices, nam Palladius (Lib. I. Tit. XLI.) *Scire convenit, quoniam de balneis loquimur, quae sunt malthae calidariae, vel frigidariae*: ex commemorato autem Palladii Articulo primam sui Articuli partem desumsit noster.

moniacum, et sulphur remissum in unum; juncturas omnes linito, et cauteriato. Item florem calcis cum oleo mixtum; juncturas linito. Item ficum, et picem duram, et testam ostrei siccam in unum tunde; juncturas linito. Item sanguinem bovis semigelatum pondo VI. calcis glebae, idest vivae, pondo XXV. stuppae quo plus dederis fiet melius; haec omnia in pila bene subiges, et exinde loca, quae volueris, induces. Item pulverem puteolanum, aut cinerem de ligno germano (1), idem olivae cum colata misces, et ante stuppa in pice (2) tincta coagmenta; inde rimas claudito, et superinducito species suprascriptas. Similiter hoc et in cellis frigidis facito. Compositio maltharum frigidarum (3). Sanguinem bubulum, florem calcis, scoriam ferream in pila tunde; ad crassitudinem ceroti juncturas linito. Item sevum liquefactum cum (4) cinere criblato bene faciet, et claudet frigidam aquam. Item calcis vivae modium, qui (5) protinus minui debet, et emitti per (6) criblum, et cerni, et tunc in pilam mitti, cui adjicies olei pondo VI. deinde spatha commovebis: quod cum feceris rursus addes olei sextarium, et spatha iterum (7) commovebis: tertio olei adjicies sextarium ea ratione spatha commovebis. Tunc alii Juvenes succedant cum pisonibus ligneis, et id efficiant pisando, ut concalefiat ita, ut non dissimilis sit farinae subactae. Quod cum bene calefactum fuerit, cum locum, quem stagnare velis, perunges ante oleo, et adhuc calentem maltham induces. Item sevum caprinum, et picem liquidam simul contundes, et facies ad modum ceroti veluti (8) pistillos, et pro modo coagmentorum (9) conspissabis idem; rimas pro modo suo claudi facies. Item picis durae pondo XXV. sevi pondo X. corticis suberinae combustae et tritae pondo II. gummi pondo V. sulphuris (10) vivi pondo VI. cineris colati pondo II. cerae vernaculae pondo VIII. ammoniaci pondo VII. tundis; et sic illinis. Maltha marmorea resinae pondo X. calcis vivae (11), cerae propoleos, sive cineris terna, thuris masculi pondo V. olei sanguinis bubuli pondo dena et quina, tundes, et omnia commisces in modum ceroti; atque inde perfricabis: hoc etiam perspicuum marmor efficiet. Item (12) faecis pondo XV. (13) cerae

(1) IDEM OLIVAE CVM COLATA MISCES] Ita Cod. R. 1. At Ed. V. *id est olivae cum colata misces*: Cod. R. 2. *idest olivae colatum misces.*

(2) TINCTA COAGMENTA; INDE RIMAS CLAVDITO] Haec descripsi ex Ed. V. In Cod. R. 1. legitur, *juncta coagmenta. idem trimas claudito*: in Cod. autem R. 2. legitur; *coagmenta rimas claudit*; post verba haec, nonnulla desunt in eodem Codice R. 2.

(3) SANGVINEM BVBVLVM, FLOREM CALCIS ..... IVNCTVRAS LINITO] Palladius, inter cetera (loco commemorato) *Sanguini taurino et oleo florem calcis admisce, et rimas conjunctionis obducito.* Nihil autem eorum in Vitruvii Libris uspiam reperies. Fortasse, Vitruvii aetate, ille *bubulus sanguis* haudquaquam, pro hujuscemodi rebus, erat in usu.

(4) CINERE CRIBLATO] Uterque Codex: Palladius de re eadem, *cribellato cineri*: Ed. V. *cribrato.*

(5) PROTINVS] Ita Codices: Ed. V. *pro tunc.*

(6) CRIBLVM] Vocem hanc habent Codices: Ed. V. *cribrum.*

(7) COMMOVEBIS] Sequens periodus deest in Cod. R. 2.

(8) PISTILLOS] Sic Codex R. 1. Cod. R. 2. *pastillos*: Ed. V. *pastillo.*

(9) CONSPISSABIS IDEM, RIMAS PRO MODO SVO] Descripsi haec ex Cod. R. 1. in quo tamen nulla est interpunctio: Cod. R. 2. *conspissabis, et rima pro modo suo.* Ed. V. *conspissabis, id est rimas modo suo.*

(10) VIVI .... TVNDIS] Quae exstant inter illa duo verba, leguntur perspicue non modo in Cod. R. 2. verum etiam in Ed. V. sed in Cod. R. 1. omnino desiderantur.

(11) CERAE PROPOLEOS] *Propolis* in operibus apum est tertium fundamentum, ac cerae genus: itaque adhaesi Ed. V. in qua, *cerae propoleos*, legitur: in Cod. R. 1. *cerappolinis*: in Cod. R. 2. *cerae pollinis.*

(12) FAECIS] Sic Ed. V. *Sevi* reposuissem, cum *sevi* habeat Cod. R. 1. sed *sevum* ponitur infra. Nullus dubito, quin hic locus sit depravatus. Cod. R. 2. *fac*; sed in hoc Codice nonnulla desunt pertinentia ad propositum locum.

(13) CERAE VERNACVLAE] Descripsimus haec ex Codice Regio 1. et ex Vascosani Editione: at Codex Regius 2. habet; *cerae vernaciae.* Credibile est, *cerae vernaculae* nomine hoc loco

vernaculae pondo II. ammoniaci pondo V. resinae frictae pondo I. sulphuris pondo V. bituminis pondo X. sulphuris vivi pondo I. (1) caementum pondo V. scobis lapideae pondo . . . . stuppae pondo X. sevi pondo X. haec omnia in uno remissa commisces in modum ceroti, et quod (2) malthare volueris prius calefacies, ut possit melius inhaerere: haec maltha etiam lapidaria est. Maltha vitraria faciens, et in balneis (3) ostrei combusti et (4) creti (5), albi de ovo, flores gypsi, fici candidi, calcis libras singulas simul misces; et inde sarcies. (6) EXPLICIT.

indicari ceram nondum purgatam, redditamque albam; quae nunc apud nos nova cera vocitari consuevit.

(1) CAEMENTVM PONDO V. SCOBIS LAPIDEAE PONDO . . . . STVPPAE PONDO X. SEVI PONDO X.] In Cod. R. 1. legitur: *cominum poda scobis lapidee pondo . . . . . stuppe.* Ed. V. *cementum pondo V. scobis lapideae pondo decem, sevi pondo decem.* Hoc quoque in loco, non omnia, quae indicantur a Codice Regio primo, et ab Vascosani Editione, habentur (ut alibi etiam quaedam alia defuisse monuimus) in Regio secundo Codice.

(2) MALTHARE] Verbo hoc usus est etiam Plinius (Lib. XXXVI. Cap. 24.) *Maltha*, ait, *e calce fit recenti. Gleba vino restinguitur: mox tunditur cum adipe suillo et ficu, duplici linamento: quae res omnium tenacissima, et duritiam lapidis antecedens. Quod malthatur, oleo perfricatur ante.*

(3) OSTREI COMBVSTI] Sic Cod. R. 1. Legitur autem, *ostri combusti*, in Cod. R. 2. et in Ed. V. Verum quid ad rem hanc *ostrum combustum*? facilius intelliges quid ad candem propositam rem facere possint *ostreorum* testae combustae.

(4) CRETI] Ita Cod. R. 1. In Cod. R. 2. legitur, *cereti*: Editio autem Vascosani habet *ceroti*.

(5) ALBI DE OVO, FLORES GYPSI] Cod. R. 1. et Ed. V. *albi de ovola aenetae, flores gypsi*: Cod. R. 2. (ut descripsimus) *albi de ovo flores gypsi.* Lubens restitui, pro *ovola*, *ovo*, et expunxi vocem, *aenetae.* Quis tamen negare nunc posset, sequiore illo aevo, quo hoc Compendium commentatus est Auctor noster, *ovola* etiam, pro *ovum*, nonnullos dixisse? Sed, exemplo quocumque deficiente, Cod. R. 2. malui usurpare lectionem. Venerat in mentem, legi posse, ovo *anetae*: *Aneta* enim dicebatur *Anas* aevo sequiore (ut ad idem verbum, *Aneta*, videre est in *Glossario Mediae et Infimae Latinitatis*) quasi noster de *ovo anatino* verba fecerit: sed malui Codicem sequi. Ceterum, vitri fragmentis agglutinandis, utile esse candidum ex ovis testatur Plinius, qui (Lib. XXIX. Cap. 3.) postquam multa de utilibus ovorum proprietatibus tradiderat, subdit haec: *Et ne quid desit ovorum gratiae, candidum ex his admixtum calci vivae glutinat vitri fragmenta.*

(6) EXPLICIT] Verbum hoc plane demonstrat, eos, qui in Codice Regio antiquiore *Architecturae Compendium* descripsere, reputavisse, illud extremo hoc Articulo XXX. absolutum esse, atque perfectum. Ita etiam Parisienses Editores; cum in Vascosani Editione, post verbum, *sarcies*, haec sequantur verba: *Architectonici Compendii Finis.* At in recentiore Regio Codice, post verbum, *sarcies*, adjicitur descriptio alterius generis malthae; quod hujusmodi est: *Ammoniaci, cerae albae, picis durae partes aequales; remittuntur ad focum in patella; post haec autem additur flos calcis, et stuppa concisa, et pix liquida, et subigitur, et calidum inducitur.* Tum subjiciuntur duo Articuli, nihil facientes ad rem; nec quidem hoc loco describendi. Ad extremum habentur haec: *Explicit de Architectura. Incipit de multiplicatione numerorum.*

F I N I S

EXERCITATIONES

VITRUVIANAE TERTIAE

SEU SYLLOGE OPUSCULORUM

AD

VITRUVII

ILLUSTRATIONEM PERTINENTIUM

QUORUM TITULUS

SEQUENS PAGINA OSTENDET

Ptolomaei Claudii Epistola, in qua agitur de nova Vitruvii librorum editione adornanda; nunc primum ex Italica in latinam linguam conversa.

Elementa Architecturae, collecta ab Henrico Wottonio.

Baldi Bernardini Scamilli impares Vitruviani nova ratione explicati: refutatis priorum Interpretum Gulielmi Philandri, Danielis Barbari, Jo. Baptistae Bertani sententiis.

Goldmanni Nicolai Voluta Jonica Vitruvii, hactenus amissa, modo autem restituta.

Salviati Josephi pictoris ratio accurate deformandi tum Volutam, tum capitulum Jonicum, secundum Vitruvii praecepta; nunc primum de italica in latinam linguam conversa.

Bertani Jo. Baptistae Loca obscura et difficilia operis Jonici Vitruviani perpetuo commentario et figuris illustrata.

Cavalerii P. Bonaventurae de Echeis, hoc est de vasis theatralibus, de quibus mentionem facit Vitruvius lib. V. cap. V. Diatriba; quae est caput XXXVI. operis ab eodem Cavalerio conscripti, cujus titulus est: *Lo specchio ustorio*; nunc primum de italica in latinam linguam conversa.

Kirkerii D. Athanasii de Echeis sive phonismis theatri Corinthiaci a Vitruvio descriptis lib. V. cap. V. Diatriba; quae est caput I. Kirkeriani operis, cui titulus Phonorgia nova.

CLAVDII PTOLOMAEI
CVRSVLENSIS EPISCOPI
EPISTOLA

IN QVA AGITVR DE NOVA LIBRORVM

VITRVVII

EDITIONE ADORNANDA

NVNC PRIMVM EX ITALICA IN LATINAM LINGVAM CONVERSA

INTERPRETE

FRIDERICO GHISIO

CL. PTOLOMAEUS
COMITI AUGUSTINO DE LANDIS
S. D.

Desiderium tuum, de quo fecisti me postremis litteris certiorem, ab amore uno profectum esse, aut potius duplici cum amore plane cohaerere, intelligo; tum quo liberalia studia prosequeris, tum quo studiosos tui. Quo tandem pacto duabus repugnem caussis, qui vel simplici obsistere minus possem? Hujus ergo novi Architecturae studii rationem, quam accurate totam exposui, perinde ut vis ac petis, ad te mitto. Tu vero sic habeto, si vel paululum ex sua ipsorum dignitate hac super re principes egerint, a nobis ex officio nostro actum iri sane plurimum. Sed nimirum sine solis ope stellae non lucent. De te quaeso, ne gravere isthaec legere; ac sicubi facultatem mihi deesse animadverteris, tamen voluntatem probes. Architecturae quanta sit jucunditas, utilitas, praestantia, copiose alias et illustribus et veris argumentis est demonstratum: dignae mehercule artis, cujus studia foveant promoveantque summi principes; quippe qui in lucem proferenda mira, quae per eam conficiuntur, opera, curare praecipue possunt; ut passim, sed Romae in primis obviae tot ingentium aedificiorum reliquiae declarant. His inflammati quidam excellenti ingenio viri, ceperunt id consilii, ut praeclarum hoc studium iterum excitent, vocentque pro virili e tenebris in aliquam lucem: rati se hinc aditum permultis aliis ad id amplius illustrandum patefacturos. Cum autem et ceterae fere artes et architectura prae ceteris meditatione et actione constet, atque adeo cupientibus in illa utcumque excellere, non modo meditandum sit, sed etiam ad opus necessario procedendum: isti, quibus aedificare in praesentia non licet, se se ad vetera aedificia scrutanda contulerunt. Hinc tradita a scriptoribus praecepta cum exemplis, quae ab operibus proveniunt, conjungentes, utramque partem, quoad poterunt, respicient. Ex scriptoribus, quoniam plerique interiere tum Graeci tum Latini, Vitruvium sequentur; quod et prope unus supersit, et, quae ad Architecturam pertinent (ut ipse testatur) copiose omnia complexus fuerit. Ex operibus, eorum primum, quae Romae magna cum admiratione omnium conspiciuntur, exempla sibi sument; nec negligent, si qua erunt alibi, quorum de structura, ratione, artificio, vere ac certe aliquid cognosci possit. Porro cum intelligant, homines generatos esse, ut hominibus prosint, non praesentibus modo, sed etiam longinquis, et posteris; meditantur, ut studiorum suorum omnibus utiles existant fructus, qua de architectura, qua de rebus aliis illuc spectantibus, multa litteris mandare. Illud vero propositum in primis habent, ut verba sensusque Vitruvii interpretentur; quem vulgo existimant ob materiae difficultatem, vocabulorum novitatem, compositionis asperitatem, codicum depravationem, Œdipo conjectore indigere. Primum ergo latinus conficietur liber, in quo per fusas adnotationes exponen-

tur illius loca omnia, ita difficilia captu, ut eorum tamen sententiam assequi possimus; eaque potissimum, quae architecturae regulas attingunt; additis figuris, prout identidem videbitur ad majorem perspicuitatem opus esse. Jam Vitruvii exemplaria, tum typis edita, tum M. S., cum valde inter se discrepent, ex quo non mediocris perturbatio et obscuritas frequenter objicitur, seorsum colligentur majoris momenti variantes lectiones, quaeque, et quam ob caussam magis arriserit, statuetur; ut is demum ad probatissimos Codices castigatus imprimatur. Figuras multas, quarum ope quaedam loca commodius perciperentur, a Vitruvio delineatas, et ad calcem cujusque libri appositas esse, vel ex ipsius frequenti testimonio liquido constat. Sed illae nunc eodem fato, quo complures alii veteres libri, desiderantur. Huic arti ut consuleret, Vitruvio figuras aliquot, quae expressae typis extant, per haec postrema tempora adjunxit Jucundus Veronensis: magna sane propterea laude dignus, qui ad intelligentiam scriptoris hujus ingenio et industria sua non parum contulit. Quod si erravit interdum, aut interdum figuras, utcumque necessarias, praetermisit, mirabitur nemo, qui consideret, nec unquam potuisse quicquam simul inchoari, simul perfici, nec licere oculo uni penitus omnia perspicere. Quare cogitant isti tum renovare figuras omnes, et, quoad licebit, elegantius accuratiusque omnes effingere; tum a Jocundo perperam editas emendare, et omissas supplere. Ac ad Vitruvii cognitionem cum hoc non leve momentum afferet, tum illud, quod, cum is passim exhibeat Graecas ac Latinas voces novas ac paene inauditas, duo digerentur Lexica; alterum Latinorum vocabulorum satis locuples, in quo juxta litterarum seriem omnia, quibus aliquid difficultatis aut obscuritatis inest, explicabuntur; alterum Graecorum, quibus nihilo minus apud illum frequentibus, quam rationibus regulisque Graecae architecturae, qua vi latine reddita, qua notatione prolata, non mediocris lux accedet. Genus dicendi, utpote quod a Caesare, Cicerone, principibusque aliis linguae Latinae valde abhorret, quibusdam saepe insolens videtur. Propterea ita contexetur latinum opus de Vitruvii formulis, ut, quae nimia offendunt asperitate, similibus adstruantur optimorum scriptorum exemplis, si qua suppetent; sin minus, ad peculiarem ipsius elocutionem referantur. Quosdam etiam cupido incessit experiundi, utrum liceat eum clariore quodam et castigatiore latino stilo reddere; servata elocutione et compositione aliorum latinorum principum quoad fieri potest. Egregium vero istud, si cedat ex sententia, ex aspero ac difficili, planum facilemque Vitruvium intueri. Res architectonicae impense expetuntur, et hac tempestate assidue exercentur ab iis, qui parum admodum latine sciunt: statuariis, pictoribus, fabris lignariis, plebeiis architectis. Hactenus cum prodierint ad tres vernaculae Vitruvii interpretationes, adeo absurdae sunt, salebrosae, perplexae, seu verba singula, seu verborum structuram species, ut Italicus Vitruvius aliquanto difficilior captu videatur, quam Latinus. Id autem accidit, non solum quod earum auctores germanam interpretandi normam praescriptionemque nescierint. sed etiam quod in abstrusioribus quibusdam locis omnino illos ratio fugerit. Juverit ergo insuper bene mereri de Rep. Vitruvium iterum transferendo purum in Etruscum sermonem; cavendoque, ut ut sit ex argumenti subtilitate difficilis, saltem rudis ne appareat ex asperitate verborum et perplexitate. Succedet huic opus aliud perutile, Etruscum Lexicon, juxta litterarum seriem ordinatum, Architectonicarum rerum; ut cuique parti commune verumque nomen tribuatur. Si

quod autem vernacula haec lingua non suppeditabit, substituetur cudeturque (jus enim hoc est sua cuique in arte) omnium suffragio et consensu; diligenti tamen ratione habita, unde ducatur, et quomodo formetur. Sic patebit latius, quo pacto Graeca et Latina Architecturae vocabula Etrusca lingua commode reddi possint; fietque e re illorum maxime, qui velint patrio sermone de eadem arte aut loqui, aut commentari aliquid. Ad haec aliud concinnabitur, majoris vel perspicuitatis, vel utilitatis caussa, Italicum Lexicon juxta seriem instrumentorum aut partium. Exempli gratia sumta, et proposita columna sua cum basi et capitulo, exponentur membra singula; Scapus, Plinthus, Astragalus, et sic deinceps. Ita exhibita figura, quo quaeque pars nomine donanda sit, apertum statim fiet. Excipiet haec liber, multum habiturus utilitatis et delectationis, de Vitruvii praeceptionibus una cum operum exemplis. Quoties enim is aut praeceptum tradet, aut ordinem quempiam architecturae statuet, quo loco ille ordo servatus fuerit in veteribus aedificiis, ostendetur. Si quo autem in aedificio compertum sit, architectum ab eo discessisse, simul ejus rei mentio fiet, simul aperietur, unde evenerit, ut illud opus ad Vitruvii normam minime exigeretur. Sic et nexus quidam existet cognitionis cum actione, et devenietur ad jucundas aeque ac fructuosas contemplationes. Ex tractatione ista Romanorum aedificiorum Architectonica velut sponte se offeret occasio studii alterius instituendi, quo monumenta omnia antiquitatis per historias, non minori cum emolumento, quam voluptate, explorentur, et funditus cognoscantur. Hic se in conspectum dabunt et quadrata Roma vetus, et quotquot illa deinceps incrementa cepit. Complectetur etiam solers investigatio portas et vias, quarum haberi possit notitia aliqua; tum templa, porticus, theatra, amphitheatra, curias, basilicas, arcus, thermas, circos, pontes, denique quidquid aedificiorum est, quorum vestigium adhuc supersit. Nec omittetur eorum etiam, quae penitus extincta sunt, mentio; indicato saltem loco, in quo steterant. Ad extremum pars nulla, cui liceat faenerari lucem ab Historia, intentata relinquetur. Illa omnia simul cum tempore, et usu in quem extructa sunt, declarata, et litteris prodita, hoc erunt jucundiora auditu, et utiliora cognitu, quod de eodem oleo atque opera, qua venerandae reliquiae istae, complura etiam utriusque linguae poetarum, historicorum, et oratorum loca illustrabuntur. Consequetur hos libros egregium opus, in quo designata proferentur monumenta (quorum quidem aliquod reliquiae indicium faciunt) quotquot intra vel extra Romam exstant. Omnium dabuntur ichnographiae, latera, obliquitates, prout res postulare videbitur, inscripta sua cuique mensura ad modulum Romani pedis, cum ratione proportionis, quae illum inter, et recentiores mensuras intercedit. Conjungentur cum figuris explanationes duae; altera historica de qualitate, auctore, et fine cujusque aedificii; architectonica altera de ratione, ordine, et norma item cujusque. Id bene ac diligenter factum, praeterquam quod magno erit usui architectis omnibus, Romam etiam jam intermortuam, evocatam veluti e sepulcro, vitae restituet, sin minus aeque pulcram, ac antea, tamen aliqua pulcritudinis specie obductam. Jam pergendo ad partes multas cum architectura connexas, agetur de pilis; et quae Romae, quaeque circa, fissae, aut integrae, cernuntur pilae, describentur, atque explanabuntur dupliciter singulae. Primum ratione historica, docente, quae insculpta sit fabula aut historia, et quo spectet, et figura haec aut illa quid sibi velit. Quo loco cum sint permulta in bono lumine collocanda, quae

ad sepulcra, sacrificia, ceterosque antiquitatis ritus pertinent, opus erit apprime utile, tum per se, tum propter varia, quae exponentur, Graecorum et Latinorum loca. Explanatio altera sculpturam respiciens, docebit, quae sculpturae ratio sit in unoquoque opere, qua recta, qua mira, qua prava. An illud constet caelatura anaglypha, an exstantibus signis, an media inter utramque, an molli, an sicca, et quam aetatem prae se ferente. Denique nihil non eorum colligetur, quae sub sculptoris animadversionem cadunt. Opus, huic non dissimile, de statuis, omnes deformatas exhibebit, admonens subinde, quae illae sint, et quo argumento, indicio, auctoritate, conjectura se se prodant. Nec tempus nec artifex tacebitur, si de illis quicquam constet: ut de singularum itidem ratione, perfectione, aut vitio quid sentiendum sit, ibidem praescribetur. Quoniam vero multa ac diversa zophoris, tabulis, fragmentisque aliis insculpta Romae suppetunt, continebit opus aliud, eodem prorsus ordine, istorum omnium effigiem una cum peculiari enarratione, et judicio. Sequitur labor alius exprimendi quaecumque reperire licebit vetera ornamenta januarum, zophororum, epistyliorum, ceterorumque ejusmodi, quorum subjicietur singillatim ratio, et mensura: duo sane architectis pernecessaria; in quibus propositum habituri sint exemplar ad imitandum. Versabitur opusculum aliud in expendendis antiquis vasis; quorum sive labra illa sint, sive alia cujusvis generis, praeter figuram, dicetur de materia, de forma, de usu, de loco denique, in quo etiamnum quaedam observantur. Apud veteres in usu erant instrumenta multa, quorum ex scriptoribus, aut caelaturis, aut numismatis notitia aliqua ad nos pervenit. Hinc vero pulcherrimus componetur liber, in quo a religione ad rem militarem, tum rusticam, postea familiarem, et deinceps alias gradu facto, singulis instrumentorum figuris subjicietur separatim, quid unumquodque fuerit, quo nomine, quo usu, qui meminerint scriptores, quibus contineatur antiquis monumentis. Adjungetur superius commemoratis volumen inscriptionum, quae Romae, aut circa existentes, ad leges, ornamenta, sepulcra, demum alia cujuslibet generis monumenta spectant. Describentur ergo, seu publicae, seu privatae, ad unguem, disponenturque servato rerum ac temporum ordine; adjectis, quae inerunt, figuris; nec praeterita explanatione difficultatum, si quae forte aut ab Historia, aut a singularibus litteris oborientur. Nulli ex antiquis rebus majorem diuturna aetas cladem intulit, quam picturae; quae, ut infirmissima, annorum atque hominum injuriam minime potuit sustinere. Quaedam tamen reliqua sunt adhuc, utcumque pauca, partim recto picturae genere in tabulis, partim liberiore in quibusdam antris. Quae ut vindicentur ab interitu, et consulatur, quantum in nobis erit, antiquitatis memoriae, in libellum erunt referenda; loco, in quo conspiciuntur, et picturae ratione inibi adnotata. Satis constat, memoriam hominum ac rituum plurimorum oblivioni ereptam esse beneficio numismatum; ex quibus tum Graecis tum Latinis multa proficiscuntur eruditionis adjumenta. Ad id opus incumbetur toto pectore; distinguendis per aetates, loca, hominumque conditiones numismatis; proferendis auctoribus, et caussis, propter quas haec aut illa cusa fuerint; exhibenda denique aversa parte cum iis omnibus, quae aut responsum elegans, aut eruditum quidpiam respicere videantur. Trium partium, circa quas architectura vertitur, una est aeque utilis ac difficilis, machinalis scientia. Huc directa industria et contentione, curabitur, ut germana e tenebris eruatur machinarum forma; quarum in aquis primum, deinde in

quaestionibus, postremo in ponderibus impellendis usus extitit apud veteres. Redigentur ergo in hunc librum non solum machinae ex Vitruvio nobis cognitae, sed ex aliis etiam Graecis, ac Latinis; additis figuris, traditaque ratione tum structurae tum mensurae. Requirunt pro suo quodam jure peculiarem curam aquaeductus; partim ob eorum amplitudinem et speciem tantam, ut humanam omnem cogitationem excedat; partim ob utilitatem; quod scilicet elementum aquae, tam necessarium humano generi subvehant et impertiant. Doctrina haec, ut ut fuse pertractata a Julio Frontino, tamen, cum parum absit, quin funditus deleatur, instauranda erit pro virili ac restituenda. Itaque primum investigatis aquaeductibus; quicumque olim in Urbem influebant, postea indicabitur, ubi conciperentur, qua decurrerent, quibus aquis fluerent, ubi finirentur. Tradetur etiam, quis et quorsum eos faciundos curaverit, describeturque pars aliqua, ut illorum processus inde conjici possit. Nec silebitur, tot aquae Romam antiquitus petentes, quo nunc loci abjerint derivataeque sint. Non dubito, quempiam fore, qui hoc opus ingens, arduum, et qua rerum multitudine infinita, qua insuperabili nonnullarum obscuritate, majus humanis viribus suspicetur. Verum simul ac idem noverit, ad egregium istud facinus non unum, sed permultos excellenti ingenio viros animum appulisse, et suam cuique provinciam demandatam esse, nihilo plus, credo, mirabitur, quam eum in civitate ampla et frequenti centenas amplius artes exerceri simul animadvertat. Ut onus vel gravissimum, partiendo efficias quantumvis leve, ita cui dubium esse potest, quin haec munia, inter doctissimos viritim distributa, triennio ad summum absolvantur? Neque vero tantum isti sibi arrogent, ut illa etiam, quae nec scintillam amplius, neque adeo vel perexiguum semen lucis retinent, illustrare se posse credant. Quae utcumque affecta, spiritum tamen, ut ita dicam, trahunt, his fert animus mederi, ne omnino incursione temporum, aut inscitiae tenebris obruantur. Habes, o Comes, praeclara opera, quae isti moliuntur; et opinor, vides, ea praeter auctorum industriam, alicujus excelso praestantique animo principis, a quo mutentur, fulciantur, foveanturque, auxilio et patrocinio indigere. Nescio utrum praesto futurus sit quispiam M. Alexandro similis; qui simul, ne vividi flagrantesque excellentium ingeniorum velut igniculi defervescant, laudando, incitando, subveniendo, largiendoque prohibeat; simul eorum voluntatem urgendo honesta et magna necessitate, currentibus, ut dici solet, stimulos addat. Id si contingat, opus nunc adumbratum, videbis, ut spero, quamprimum absolutum ac perpolitum. Quod si intra decimum octavum diem Alexander oppidum in Scythia condidit, quidni, auspice altero Alexandro, liber hic intra triennium expediatur? Sed ut ut illorum virtuti fortuna desit (quod neque novum hercle, neque mirum acciderit) ipsi certe adnitendo, et quoad liceat, satagendo sibi non deerunt. Vitruvii opus legentes, castigantes, interpretantes, rem litterariam juvabunt pro virili. Spero autem, fore, ut ab aequis aestimatoribus potius eo, quod praestiterint, quamtulumcumque illud fuerit, gratiam ineant; quam ut, opere non ad fastigium perducto, cum per ipsos non steterit, reprehensionem subeant. Bene vale, meque, si quid possum, pro tuo jure utere. De Comite Julio jamdiu est cum ad me nullus affertur nuncius; cupio autem afferri aliquem; illum enim vehementer amo.

Roma XVIII. Kal. Decembr. M. D. XLII.

ELEMENTA
ARCHITECTVRAE
COLLECTA

AB

HENRICO WOTTONIO

ANGLICO IDIOMATE EDITA LONDINI ANNO M. DC. XXIV. IN LATINVM VERSA

A

IOANNE DE LAET

ELOGIUM AUCTORIS

HENRICUS WOTTONIUS Anglo-Cantianus, THOMÆ Optimi VIRI Filius natu minimus, a Serenissimo JACOBO I.°, MAGNÆ BRITANNIÆ, etc. Rege, in Equestrem Titulum ascitus; Ejusdemque ter ad Remp. VENETAM Legatus Ordinarius; semel ad Confoederatarum Provinciarum ORDINES in JULIACENSI negotio; bis ad CAROLUM EMMANUELEM SABAUDIÆ Ducem; semel ad Unitos Superioris GERMANIÆ Principes in Conventu Heilbrunnensi; postremo, ad Archiducem Leopoldum, Ducem Wirtenbergensem, Civitates Imperiales ARGENTINAM ULMAMQUE, et ipsum Romanorum Imperatorem FERDINANDUM II. Legatus extraordinarius; Tandem hoc didicit,

ANIMAS SAPIENTIORES FIERI QUIESCENDO.

PRÆFATIO

Haud opus mihi erit (ut maximae parti Scriptorum) commendare subjectum de quo agere institui. Architectura enim non potest desiderare commendatores, quamdiu erunt nobiles Viri et nobilia ingenia; quapropter in hac praefatione potius profitebor per quos profecerim, siquidem tantum collector et dispositor sum supellectilis alienae, ad meum commodum. Praecipuus noster magister est VITRUVIUS, *atque ita saepissime eum nominabo; cui quidem haec felicitas obtigit, quod scripserit cum Romanum Imperium pene ad summum pervenisset, aut saltem cum Augustus (qui studiis illius favebat) in animo haberet (nisi fallor) suis limitibus Monarchiam circumscribere. Haec, inquam, erat ejus bona fortuna. nam temporibus quae adhuc incrementum capiunt, Artes ut plurimum a praxi submerguntur; verum, ex altera parte, revera fuit infelicior, quod se exprimat tam male, praesertim scribens (uti fecit) aevo feracissimo optimorum scriptorum: qua obscuritate, miro infortunio, accidit, quod licet ipsius concives optime in operibus illum secuti fuerint; tamen postquam literae revixerunt et denuo sunt politae, (quas calamitates tumultus medii aevi conturbarant et in barbariem verterant) melius aut saltem primum a peregrinis fuerit intellectus. Nam Italorum, qui primi illi manus admoverunt, qui erant boni Grammatici, videntur Mathematices fuisse imperiti, et qui boni Mathematici, ignari Grammaticae, donec utrumque sufficienter conjungeretur in* Leone Baptista Alberti *Florentino, quem primum doctum Architectum judico trans Alpes: ille tamen magis sategit se ipsum auctorem profiteri, quam magistrum suum illustrare. Quapropter inter illius commentatores (secundum meam opinionem) oportet primam laudem tribuere inter Gallos* Philandro *et inter Germanos* Gualthero Rivio: *qui, praeter notas suas, publico dedit elaboratissimam versionem, qualis haud facile extet in alio vulgari sermone totius orbis; licet aliquoties deploret in eo opere defectum vocabulorum Artis, uti et ego in meo; nam si Saxonica, matrix nostrae linguae, conquesta fuit, eodem jure, meo judicio, debet et filia: etenim linguae ut plurimum in vocabulis artium et doctrinarum suam naturalem patiuntur inopiam, licet abundent phrasibus et similibus fucis. Quod ad recentiores attinet, qui ex mera praxi scripserunt, dabo illis quod ipsorum est, ubi nascetur occasio. Nunc autem post hanc brevem censuram aliorum, vellem equidem satisfacere uni atque alteri objectioni, quae gravius mihimet ipsi videntur incumbere: dicetur quippe me tractare Artem, quae neque cum muneribus quae obivi, neque fortuna conveniat. Atque ita reus peragar, tum quod falcem miserim in alienam messem, tum etiam indecori. Ad primum respondeo; Licet indulgentissimi et gratiosissimi Principis mei bonitate, et indulgentia, foras obiverim aliquam civilis ministerii partem; tamen postquam domum sum reversus, in animum induxi reverti ad propriam simplicitatem, decentius opinatus, me calamum exercere (praesertim in hoc primo conatu) in his simplicibus commentationibus, et tractabili subjecto; quam in labyrintho et mysteriis aulicis atque politicis; et minus me indignum visum iri, quod qui*

diu contemplatus sum illustrem Rempub. scribam de Architectura, quam antiquitus fuerit judicatum in Hippodamo Milesio (1), *scribente de Rebuspubl. quum tantum esset Architectus. Ad secundum, cogor humeros contrahere, ut peregre didici, et fateri non esse meae fortunae, exemplum dare per praxim Artis quam contemplor: id ipsum tamen vel ab impotentia mea bene fecit sperare; operam hanc eo gratiorem fore, quia nullus causa minus quam mei ipsius esset suscepta. Et hac confidentia aggressus sum hos conatus, quorum duae viae sese offerebant: una historica in descriptione praecipuorum operum, maximam partem absoluta a* Georgio Vasario *in vitis Architectorum: altera Logica, redigendo regulas et cautiones hujus Artis ad convenientem Methodum; atque hanc mihi sumsi, non tantum ut brevissimam et maxime Elementariam, sed ut re ipsa certissimam. Nam licet in practicis scientiis, unumquodque perfectum exemplar, loco regulae esse possit: tamen regulae videntur praecedere oportere, ut per eas idonei reddamur de exemplis judicare. Atque ita ad propositum; nolo enim prolixius praefari.*

(1) Aristot. Politic. lib. 2. cap. 6.

ELEMENTORUM ARCHITECTURAE

PARS PRIMA

In Architectura, ut in caeteris practicis Artibus, finis debet dirigere operationem. Finis autem est bene aedificare.

Bona aedificatio, tres habet conditiones: commoditatem, firmitatem et delectationem. Communis est haec divisio inter Professores hujus Artis, licet, quo pacto ignoro, nonnihil dislocata ab ipso Vitruvio lib. I. cap. 3. quem malo sequi, ut praeceptorem potius Symmetriae quam Methodi. Ut autem hunc finem assequamur, universum subjectum sub duobus capitibus est considerandum, statione seu situ, et ipso opere. Quare primum de situ. Praecepta quae huc pertinent, respiciunt aut universam posituram (ut ita dicam) aut dispositionem singularum partium. Quarum prima, quamquam vulgo tradatur ab Architectis ut pars ipsorum professionis: tamen revera mutuo accipitur ab aliis disciplinis: quia inter Artes et scientias, haud secus quam inter homines, quaedam est societas et communicatio principiorum. Deprehendes enim quaedam eorum esse mere Physiologica, quantum spectat ad qualitatem et temperiem aeris. qui cum sit continuum ambiens et ingrediens, cujusque defectus in singulis habitationibus (quod maxime intendo) corrigi non possunt, propterea majorem requirit cautelam: ne sit aut nimium crassus, aut nimis subtilis et penetrans; non obnoxius infestis nebulis et vicinis palustribus et caenosis locis; aut mineralibus exhalationibus ex ipso solo; non indigestus ob defectum Solis, aut inexercitus ob defectum venti; quod est vivere quasi in palude aut stagno aeris, ut Albertus Florentinus Architectus ingeniose comparat. Quaedam videntur magis Astrologica, ut cum suadent cavendum a malignae influentiae locis; ubi Terraemotus, contagia, monstrosi partus et similia frequentius accidunt sine evidenti causa; quorum consideratio fortassis non est omnino vana. Quaedam sunt plane oeconomica. Nimirum ut locus abundet aqua et victu; ne sit nimis praeceps, et difficilis accessu tam amicis, quam domesticis. Ut non sit nimis remotus a navigabili aliquo fluvio aut sinu maris, ut annona facilius subvehi possit. Et aliae ejuscemodi domesticae observationes. Quaedam rursus dici possunt optica; quae videlicet pertinent ad probe electum prospectum; quem lubet appellare regalitatem visus. Nam uti est dominium (ut ita dicam) pedum, quo Dominus plurimum delectatur, cum ambit limites suae possessionis; ita quoque et Dominium oculorum seu visus; qui cum sit imperiosus sensus, et, ut ita dicam, usurpator, ferre non potest angustam circumscriptionem, sed nutriri vult extensione pariter atque varietate. Invenio tamen e contrario improbari a bonis auctoribus vastos et indefinitos prospectus, qui extinguunt omnem apprehensionem extremorum objectorum, quasi hoc pacto periret bona pars delectationis, de qua agimus. Denique reminiscor particularis cautionis, quam haud scio quo referre debeam, nisi cam

forte Politicam nominem. Ne omnino aedificetur juxta potentem vicinum; id enim revera esset, tam infortunate locatum esse in terra, quam Mercurius est in coelo, qui ut plurimum versatur in combustione aut obscuritate, propter alterius luminis illustriores radios, quam sint ipsius.

A diversis hisce scientiis, ut dixi, et fortassis aliis quoque, derivant Architecti suam doctrinam quoad electionem situs: in qua non ita fui severus, ut doctus vir nostri aevi, qui praecise restringit perfectum situm, praesertim quoad salubritatem (1), *ad locum contra quem Sol radios suos fundit cum sub Ariete oritur*: Ut verbo dicam, vult habere primam salutationem veris. Sed hae notae, ubicumque illas offendimus in gravibus aut levibus auctoribus, meo judicio potius vota sunt quam praecepta, atque hac qualitate illas missas facio. Interea affirmo, in situ eligendo (quod est veluti connubium cum loco) tam prudentes esse debere aedificantes, quam sunt proci: ne cum omnia fecerimus, in nos congruat condemnatio, quam Magister noster pronunciat in Mytilenen: *oppidum quidem*, inquit, *aedificatum eleganter, sed imprudenter positum*. Atque haec quidem de universali positura, seu statione.

Sequitur jam dispositio partium; de qua (ut quam minimum tribuam in hoc meo opere imaginationi, quae est incerta et irregularis) proponam regulam a me ipso collectam, et in quam incidi hoc modo: Notaveram, omnem artem tunc esse perfectissimam, cum reduci potest ad naturale aliquod principium. Quid enim sunt judiciosissimi Artifices quam mimi naturae? Hoc me duxit ad contemplandum corporis nostri fabricam, in quod summus Architectus tantam ostendit industriam, ut humanam rationem in stuporem rapiat. Ibi offendi Cor, ut vitae fontem, in medio circiter locatum ad aequalissimam spirituum vitalium distributionem. Oculos sursum sitos, ut tanto majorem describere valeant circulum intra suum conspectum. Brachia ad utrumque latus projecta, ut facilius prehenderent. Breviter (ne aberremus in jucunda hac speculatione) plane apparet, uti sententia petita a divina luce, locum uniuscujusque partis determinandum a suo usu.

Ut igitur procedamus a naturali structura ad artificialem, et in rudioribus rebus conservemus aliquam imaginem excellentissimarum: Omnia principalia conclavia voluptati inservientia, ut musea et Bibliothecae spectent Orientem: nam *aurora Musis amica*. Omnia loca ministralia, quae calorem desiderant, ut coquinae, balnea, pistrina, lavatoria et similia, Meridiem. Omnia quae requirunt frigidam temperiem, ut penuaria, granaria et similia, Septentrionem. Ad idem quoque latus quae destinata sunt motioni, ut porticus, praesertim in fervidis climatibus, aut quae praeterea postulant constans et invariabile lumen, ut Pinacothecae, (inquit *Vitruvius*) per quas intelligit (si licet conjicere ex illius Graeco, ut saepe necesse est de Latino) certa repositoria rariorum operum pictorum aut aliorum, quae ab Italis *Studioli* appellantur, quae aliis locis ubi Solis cursus umbras variat multum amitterent gratiae. Et secundum hanc regulam, habita semper ratione usus, quaeque pars apte poterit locari.

Non est hic praetereundum, veteres Graecos et Romanos, ruri et in loco undique libero, pene religiose frontes suarum aedium constituisse ad Meridiem; fortassis ne domini domum revertentis oculus caligaret, aut ut frons a Sole il-

(1) Jo. Heurn. Hist. Med. lib. 7. c. 2.

lustrata gratiorem redderet adspectum, aut ob aliquam talem causam. Sed Itali hodie ab eo discrepant, de quo alibi plura dicentur. Haec hactenus suffecerint de positione singulorum membrorum: cujus, sicuti Auctor noster saepe et inprimis lib. 6. cap. 10. insinuat, singularis est habenda ratio, pro natura Regionum; nam quaeque Natio tenetur supra regulas quascunque prudenter prospicere adversus inconvenientia sua, et propterea fortassis bonum triclinium in Ægypto, faceret bonum penuarium in Anglia. Sequitur jam secundum membrum, de generali sectione operis. In opere, primum considerabo praecipuas partes; deinde accessoria aut ornamenta: et in principalibus, primo praeparationem materiarum et secundo dispositionem, quae est forma.

Porro quod ad materiam attinet, haud dedecet Architectum, quod decet Philosophum, explorare proprietates lapidum et materierum: uti Abietes, Cupressos. Cedros et similes aereas plantas; quae cum sint naturali quodam rigore (quem in homine arrogantiam vocarem) inflexibiles deorsum, eapropter aptissimae sunt ad arrectaria, et columnas aut similes usus erectos; et contra, quercus et similes materiae, quae robustae sunt in quavis positione, magis conveniunt decussatis et transversis operibus, uti tignis et coagmentantibus trabibus, ut vocant. Ad eundem modum considerandi lapides, quia alii meliores sunt intrinsecus, alii aptiores ad ferendum tempestates: Quinimo submittere nos debemus ad examinandum quoque arenam et calcem, et argillam. (de quibus Vitruvius egit minus delicate, ut et plerique recentiores). Licet autem haec contemplatio sit liberalis; tamen ut hanc professionem et operam meam vindicem a contemtu, observa, delectum et repartitionem materiarum ad singulas partes fabricae, magis pertinere ad secundum superintendentem inferiorum materiariorum, qui, ut opinor, ab Auctore nostro appellatur *Officinator* lib. 6. c. 11. et eo loco manifeste ab Architecto distinguitur; cujus gloria magis consistit in designatione et idea totius operis; illiusque ambitio debet esse formam fingere, quae est nobilior pars, et, ut ita dicam, triumphat supra materiam. Atque hic obiter mentio facienda templi *Sanctae Justinae* in urbe Patavina, singulari arte exstructi, cujus materia cum sint tantum ordinarii lapides, sine ulla sculptura, tamen in admirationem rapit (nescio quomodo) spectatorem, ob secretam harmoniam proportionum. Et sane, hic est finis ad quem aliquo modo adspirandum in privatis aedificiis; ad quae licet properem, liceat tamen prius colligere paucas minus triviales cautiones, quae ad materiarum comparationem pertinent. *Leo Baptista Alberti* tam curiosus est, ut optet omnem materiem caedi ex eadem silva, et omnes lapides erui ex eadem lapicidina. *Philibertus de l' Orme* Gallus Architectus adhuc longius progreditur, velletque caementum fieri ex eodem saxo, quod in structura collocandum erit; credens fortassis melius coalitura ob quandam originis affinitatem. Sed hi conceptus videntur nimis subtiles in his rudimentis, licet eos haud jocose producam. Nam sane ejusmodi sympathiae saepe possint habere prudentem ad Artem applicationem. Omnino fatendum est, facere caementum, sine delectu, e materia abjecta, ut vulgo facimus, Anglicum esse errorem, haud parvi momenti in nostris structuris. Cum Itali ad hunc diem, et magis adhuc veteres, urant solidissimum saxum, atque adeo fragmenta marmoris, ubi abundat; quod successu temporis denuo pene fit marmor, aut saltem duritiae est indissolubilis, ut apparet e Theatris quae supersunt. Non possum praeterire, dum haec ago, quandam laterum speciem, descriptam a *Daniele Barbaro*

Patriarcha Aquilejensi, in amplissima editione Commentariorum in Vitruvium: figurae triangularis, quovis latere pedem longi et sesquidigitum circiter crassi, quam commendat ob varias causas: quod magis commode tractentur, minoris sint impensae, pulchrioris aspectus, addantque majorem venustatem et firmitatem angulis parietis, ubi venuste concurrunt in dentatum opus; ita ut mirer illorum usum a nostris non acceptum, cum proponantur a viro magnae auctoritatis in hac scientia; nisi quod omnes nationes repudiant novitates, et mordicus haerent propriis modulis. Hic apte dubitari posset, ut quidam dubitarunt, utrum antiqui Itali coxerint lateres, necne; quod unus atque alter Vitruvii locus ambiguum relinquit. Sane ubi naturalis calor satis est validus ad supplendum artificialem, curiosa foret stultitia multiplicare operam et expensam: praeterquam quod probabile, per amicum et temperatum calorem futuros pulchriores, laeviores et minus distortos, quam per violentum. Tantummodo duas patiuntur exceptiones; primo quod in hac remissa exsiccatione multum amittitur temporis, quod alioquin in collectionem impendi posset: deinde quod careant emulgente quadam siti seu igneo appetitu calcem imbibendi, quae structuram debet coagmentare. Sed haec controversia remitti potest ad Meridiem: ubi plus est fervoris et patientiae. Quare nolo diutius in hoc scrupulo haerere, sed concludo hanc partem de materiis, cautione principali: copiam materiae et pecuniae semper paratam esse oportere, antequam structuram aggrediamur: nam si nunc una nunc altera pars per intervalla struatur, structura siccatur et considet inaequaliter, unde parietes evadunt rugosi et rimosi: quare ejusmodi morae recte improbantur a Palladio lib. 1. c. 1. et omnibus aliis. Excerptis veluti Spicilegio in hunc modum hisce observationibus de materia, licet jam progredi ad dispositionem quae format opus. In forma, quemadmodum feci in situ, primum considerabo generalem figurationem, deinde singula membra.

Figurae aut sunt simplices aut mixtae. Simplices aut sunt circulares aut angulares: et circularium aut perfectae, aut deficientes, ut ovales. quibus speciebus ero contentus, quanquam divisio accuratior esse posset.

Porro exactus circulus revera est figura, quae ad nostrum propositum multas obtinet idoneas et eminentes proprietates; puta aptitudinem ad commoditatem et receptum, cum sit capacissima: item ad firmitatem et durationem, cum sit e partibus maxime unitis; ad pulchritudinem et voluptatem, cum imitetur orbes coelestes, et universi formam. Praeterea videtur habere naturae approbationem, cum operetur instinctu, quae est mystica illius schola; nam aves nidos suos faciunt sphaericos. Verum non obstantibus hisce attributis, revera valde inutilis est figura in privatis structuris, quia omnium est sumtuosissima; multum spatii perdens, curvatura parietum, cum dividitur: praeter pravam distributionem luminis, a centro tecti. Ita ut antiquitus non fuerit usurpata, praeterquam in Templis et Amphitheatris, in quibus partitiones non requirebantur. Ovales, et aliae imperfectae circulares figurae, easdem patiuntur exceptiones, et minus beneficium capacitatis. Ita ut contemplanda restet, in hac generali figurarum disquisitione, angularis et ex utraque mixta. Quod spectat ad angularem, licet alienior videatur, tamen vera est observatio, hanc artem amare neque multos, neque paucos angulos. Nam primum triangulus qui habet pauciora latera et cornua, prae omnibus maxime improbatur, utpote revera incapax et infirmus (cujus ratio postea reddetur) atque non resolubilis in aliam regularem figuram quam suam, in interioribus partitionibus.

Quantum ad figuras quinque, sex, septem aut plurium angulorum, eae aptiores sunt ad militares structuras, in quibus propugnacula projici possunt in cornua, et latera servire intervallis, quam civili usui: licet haud ignorem famosum illud aedificium *Caprarolae*, quod est familiae *Farnesiorum* a *Baroccio* structum figura pentagona, cum inscriptione, in qua Architectus ingenue fatetur se luctatum cum idonea collocatione luminum et vacuitatibus vitandis. Verum uti haec molimina magis adspirant ad raritatem, quam ad commoditatem, malim ea admirari, quam magnopere commendare.

Hisce perpensis, tam praeceptis quam praxi optimorum Architectorum, ducimur ad probandum quadratum rectangulum, uti medium inter nimis paucos et nimis multos angulos; et propter aequalem laterum inclinationem (quae rectangulum faciunt) firmius quam rhombus aut aliud irregulare quadratum. Verum, utrum exactum quadratum an oblongius sit melius, non reperio determinatum, quanquam meo judicio, posterius praeferrem; ita tamen ut longitudo non excedat latitudinem nisi tertia parte; nam alias minueret venustatem aspectus, ut liquebit, cum de Symmetria agemus.

De mixtis figuris partim circularibus, partim angularibus non est opus dicere, quia cum jam egerim de simplicibus, mixtae secundum suam compositionem participant eosdem respectus: Tantummodo contra has una est objectio, quod offendant uniformitatem; de qua itaque aliquid dicendum, quoad externum aspectum, de quo jam agimus. In Architectura videri possent duae contrariae affectationes, uniformitas et varietas, quae tamen inter se reconciliari queunt, ut videre est in magno exemplari Naturae, ad quod mihi saepe est recurrendum: neque enim ulla structura uniformior esse potest, quam corporis nostri in tota figuratione, utroque latere congruente, tam in numero, quam qualitate et mensura partium: et tamen quaedam partes sunt rotundae, ut brachia, quaedam planae, ut manus, quaedam convexae, quaedam concavae; ita ut videamus diversitatem non destruere uniformitatem; et membra nobilis structurae satis bene correspondere posse, licet varia sint, modo non pergamus ad quasdam inventiones extravagantes, de quibus dicturus sum largius, ubi venero ad divisionem totius operis. Cavendae quoque sunt enormes altitudines sex aut septem contignationum; quemadmodum et ab irregularibus figuris: et contra cavendum ab humilibus distentis frontibus, quae invenustae sunt; et rursus ne facies structurae sit angusta et venter profundus. Ad quae extrema, quaedam nationes aut urbes addictae sunt, quarum nomina civiliter sileri possunt. Atque haec de generali figuratione aut aspectu operis.

Nunc de partibus singulis. Omnes partes structurae, ad quinque capita reduci possunt, quam divisionem accepi a *Baptista Alberti*, ut ipsi suum tribuam. Suntque, *Fundamentum*, *Parietes*, *Aperturae seu lumina*, *Compartitio*, *Tectum*. De quibus proposui colligere principales cautiones, et in transitu attingere rationes Artis naturales; ut discursus meus minus mechanicus videatur.

Primum itaque, quoad fundamentum, exactissimam curam desiderat. nam si hoc salire contingat, turbabit omnem voluptatem domus: quapropter ut bene possimus habitationem nostram fundare, primo considerandus est lectus (ut ita dicam) soli, super quod struere instituimus, ac deinde substructio, ut Antiqui vocant. Quoad primum, habemus generale praeceptum apud *Vitruvium*, bis ab eo repetitum, ut rem magni momenti. primum lib. 1. cap. 5.

et rursus aptius lib. III. cap. 3. his verbis, ut Philander bene correxit vulgatos codices: *Substructionis fundationes fodiantur, si queant inveniri, ad solidum et in solido.* Quibus verbis judico illum commendare non modo diligens sed et zelosum examen, quid solum ferre possit, monens nos non debere acquiescere apparenti soliditati, nisi universa terra, quam fodimus, similiter solida sit. Verum quam profunde in hac indagine procedendum sit, nusquam, si bene memini, determinavit, quia fortassis hoc magis pendet a prudentia, quam certa regula, secundum fabricae pondus. *Andreas Palladius* tamen pulchre conatus est ad regulas reducere. Concedens isti fossurae (ipse vocat *Cavazione*) sextam partem altitudinis totius structurae; praeterquam si cellae sint sub solo; tunc enim (ut videtur) vellet nos paulo profundius fodere. Quidam Itali praescribunt: postquam elegimus aream, et extendimus limites operis; primum fodere puteos et cisternas et alios subterraneos ductus, et cloacas ad exonerandas sordes domus; duplici beneficio; nam et natura soli tuto deprehenditur, et aperturae serviunt ad evacuandos ejusmodi vapores, qui aliter exitum non habentes, structuram forte possent conquassare. Atque haec satis de *Fundatione*, quae licet non sit pars solidae fabricae, hic tamen opportunus erat locus de ea agendi.

Sequitur *Substructio*, aut fundamentum totius aedificii, quod parietes sustinet; et est quaedam artificialis fundatio, ut prior erat naturalis. In qua haec potissimum advertenda: primum ut solum sit exacte libratum; unde Itali ut plurimum ibidem ponunt tabulatum ex asseribus: deinde infimus chorus aut ordo constet e nudis lapidibus (quo latior eo melior) conjunctim positis sine mortario; quae est generalis cautio in omnibus partibus structurae, quae contiguae sunt asseribus aut lignis, quia calx et lignum sociari nolunt, omnium minime in fundatione. Tertio ut substructionis latitudo sit ad minimum dupla ad insistentem parietem, magis aut minus, prout pondus fabricae requiret: nam oportet, ut hoc repetam, judicium esse liberius, quam artem. Denique reperio apud quosdam curiosum praeceptum, ut lapides ponantur ut nati sunt in lapicidina; supponunt enim, plus roboris habere in naturali sua positura. Nam ut *Philippus de l' Orme* observat, ruptura aut inclinatio saxi in hac parte latitudinis tantum dorsi cultri, efficit in superiore parte structurae fissuram plus quam dimidii pedis. tam periculosi sunt errores fundamentales. Nihil in hisce observationibus dixi de palatione fundationis, a Vitruvio praecepta, cum humido et paludoso loco superstruimus. nam hic error est in primo delectu. Itaque tales situs quibus necesse est his uti subpalationibus (ut Venetis nobili exemplo) initio electi videbuntur, consilio Necessitatis.

Porro fundatione explorata et substructione collocata, de parietibus dicendum. Parietes aut sunt integri et continui, aut intermissi: et intermissiones aut sunt columnae aut antae. malo enim hic de illis agere, quam ut alii fecere, inter ornamenta. Integri parietes diverse a scriptoribus distinguuntur, a quibusdam pro qualitate materiae, ut lapide aut latere, etc. ubi obiter notandum; parietes strui et majora opera e silice; cujus rei non desunt exempla in nostra Insula, et particulariter in Cantio. antiquis opinor prorsus fuisse incognitum, qui observantes in eo silice aliquid metallici vel saltem fusibilitatis, ad nobiliorem usum illum destinarunt. Ars nunc penitus amissa, aut forte paucis Chymicis nota. Quidam rursus non tam considerant qualitatem, quam positionem harum materiarum: ut cum lateres aut quadrata saxa locantur secun-

dum suam longitudinem, lateribus et frontibus conjunctis; aut cuneis eorum junctis, instar retis (nam ita vocat Vitruvius *reticulatum opus*,) in communi usu, ut videtur, ipsius aevo; licet postea fuerit repudiatum, forte propter subtilem illam speculationem, quam ipse tangit: quia ita positi aptiores sunt in subsidendo cuneis suis perrumpere, quam in jacente positione, atque ita parietem findere: sed ut haec relinquamus inferioribus artificibus; magis essentialia sunt quae sequuntur.

Ut parietes sint exacte perpendiculares ad fundationem: nam rectus angulus (inde dependens) est vera causa stabilitatis, tam in naturalibus quam artificialibus positionibus; homo quippe firmissime stat erectus. Ut solidissimae et gravissimae materiae sint infimae, utpote aptiores ferre, quam ferri. Ut structura, prout surgit, proportionaliter in latitudine diminuatur, ad levamentum oneris et expensarum. Ut certi ordines caeteris robustiores interponantur instar *ossium*, ad prohibendam ruinam totius operis, si inferiores partes fatiscant. Denique ut anguli firmiter vinciantur, qui sunt *nervi* totius aedificii; quare communiter corroborantur ab Italis, etiam in lateritiis structuris, ab utroque latere angulorum, saxo bene quadrato; quod et firmitatem addit et venustatem. Atque haec de integro et solido pariete.

Intermissiones, ut dixi, fiunt aut per Columnas aut per Antas. Columnas possem dividere in simplices et compositas; sed ut planiori et vulgari viae insistam, quinque sunt ordines columnarum, secundum dignitatem et perfectionem, ita digesti; *Tuscanicus*, *Doricus*, *Jonicus*, *Corinthius*, *Compositus* aut (ut quidam vocant) *Romanus*, aliis magis generaliter *Italicus*. De quibus quinque ordinibus, dicam primum quae habeant communia, deinde quae propria. Communia, quantum observavi, habent potissimum tria: primo omnes sunt rotundae; nam licet quidam putent columnam *Atticurgem*, de qua Vitruvius lib. 3. cap. 3. fuisse quadratam; praetereunda foret ut irregularis et nunquam recepta inter hos ordines, haud magis quam aliae extravagantes inventiones contextarum pampinatarum et figuratarum columnarum, quas auctor noster ipse condemnat, cum in toto opere suo hostis sit ejusmodi imaginationum. Secundo, omnes diminuuntur et contrahuntur insensibiliter, plus aut minus, secundum proportionem suae altitudinis, ab tertia parte scapi sui sursum; quod *Philander* praescribit ex exacta dimensione antiquarum reliquiarum a se observatarum ut venustissimam diminutionem. Atque hic mihi reprehendenda est consuetudo, quae multis locis, nescio quo pacto, inolevit, columnas in medio inflandi, quasi tympanite aut hydrope laborarent, sine ullo authentico exemplo aut regula, quod sciam, et valde invenusto (meo quidem judicio) aspectu. Verum quidem est, Vitruvium lib. 3. cap. 2. dicere: *De adjectione, quae adjicitur in mediis columnis; quae apud Graecos* ἔντασις *appellatur, in extremo libro erit formatio ejus*: qui locus videtur huic errori patrocinari. Sed in hac promissione, uti et aliis alibi, Magister noster nos fefellit, sive memoriae lapsu, sive injuria temporum, atque ita in tenebris sumus relicti. Certus interea sum, praeter exempli defectum, contrarium hoc esse originali et naturali arborum typo, quem ante secuti sunt in columnis, ut ipse Vitruvius observat lib. 5. cap. 1. Quis enim unquam vidit Cupressum aut Pinum (quae ibi allegantur) angustas infra supraque, et turgentes in medio, nisi fuerit morbosa planta; ut Natura (licet formosissima Magistra) nonnunquam patitur suas deformitates et irregularitates.

Tertio, omnes suos habent stylobatas, altitudine tertiae partis totius columnae, comprehensa basi et capitulo; uti superiora sua additamenta, epistylium, zophorum et coronam, quarta parte dictae columnae; quam regulam singularis usus et facilitatis traditam inveni a *Jacobo Barocio*, cui majorem fidem adhibendam duco, quam iis qui ab eo in his dimensionibus differunt quia huic parti maxime animum advertit. Haec potissimum habent communia, omnes ordines. Proprietates illarum seu differentiae optime cognoscentur ex modica descriptione singularum, cum suis epistyliis, zophoris, et coronis, ut vulgo tractantur.

Primo igitur, *Tuscanica* est plana, massiva, seu rustica columna, similis robusto alicui et bene artuato ruriculae, viliter amicto; quo genere comparationis Vitruvius videtur delectari lib. 4. cap. 1. Longitudo ejus erit sex diametrorum crassissimae partis inferioris ipsius scapi: quae est omnium proportionum maxime naturalis. Nam Auctor noster nos docet lib. 3. cap. 1. pedem hominis esse sextam partem illius corporis in ordinaria dimensione, et homo ipse, secundum *Protagoram* (quod Aristoteles alicubi approbat) est τό τῶν ἁπάντων χρημάτων μέτρον, quasi prototypus omnis exactae symmetriae, quam alia occasione jam ante attigimus. Hanc columnam bono jure vocavi *Ruralem*, secundum Vitruvium lib. 3. cap. 2. Itaque non est necesse ejus ordinem considerare inter caeteras. Intervallum ejus seu *Intercolumnium* (quo vocabulo artifices vulgo utuntur) potest esse circiter quatuor illius diametrorum, quia quae communiter hisce columnis superponebantur potius erant e materie, quam e lapide; ob quorum levitatem epistylium non poterat laborare, licet leviter suffultum, multo minus columna ipsa tam massiva existens. Contractio superius erit (secundum praxim maxime receptam) quarta parte inferioris crassitudinis. Ut concludam, (intendo enim tantum quantum pertinet ad justam distinctionem, et non delineationem minuti cujusque membri) Tuscanica est maxime rudis columna; et praecipuus illius character est simplicitas.

Doricus ordo, gravissimus est eorum qui recepti sunt in vulgarem usum, conservans, respectu aliorum qui sequuntur, magis masculum aspectum; et nonnihil elaboratior quam Tuscanicus qui praecessit, praeter sobrium nonnunquam ornamentum, capitum leoninorum in corona, triglyphorum et metoparum semper in zophoro. Nonnunquam quoque, sed raro est canaliculatus; et levis sculptura adhibetur in hypotrachelio sive cervice infra capitulum. Longitudo septem diametrorum. Gradus ejus sive ordo est humillimus omni congruentia, cum sit massivior reliquis tribus, et per consequens aptissimus ad ferendum. Intercolumnium triplo amplius quam inferior ejus crassitudo. Contractio ejus superius, quinta parte ejusdem mensurae. Discernere illum potius est Heraldi, quam Architecti; melius enim cognoscitur e loco, cum est in societate aliorum, et e peculiari ornamento zophori (ante dicto) cum est solus.

Jonicus ordo repraesentat speciem quandam foemineae gracilitatis, attamen, ut ait *Vitruvius*, matronali potius et decenti ornatu, quam meretricio. Longitudo ejus octo diametrorum. Gradu, uti et soliditate, proximus est Dorico, sustinens tertium, et adornans secundum gradum. Intercolumnium duorum suimet diametrorum. Optime agnoscitur e suo ornatu. nam corpus hujus columnae semper est striatum, ut stola profunde rugata. Capitulum comtum utrinque, haud dissimile foeminarum cincinnis in concrispatione. Jonicam vocant

volutam. Zophorus intumescens instar pulvini; et propterea haec columna haud ineleganter dicitur *Pulvinata.* Hi sunt potissimi characteres.

Corinthius ordo, est columna lascive amicta instar scorti; in quo participat (ut omnia inventa) loco ubi primum nata est: Corinthus siquidem fuit, sine controversia, una luxuriosissimarum civitatum totius orbis. Hic ordo est novem diametrorum. Gradus ejus, uno intervallo supra Jonicum, et altissimus utique simplicium ordinum. Intercolumnium duarum sui diametrorum et quartae partis; quae est decentissima distantia. Contractio septima parte. In coronice tam denticuli quam mutuli: (nostrates artifices vocant *Teeth* et *Cartouzes.*) Zophorus ornatus figuris omnis generis pro libitu. Capitulum sculptum foliis pulcherrimae plantae quam natura producit, post *Aconitum Pardalinaches.* rejectum forte ut ominosum, nimirum *Acanthi*, aut *Brancae ursinae*; licet *Vitruvius* delectum hujus attribuat fortunae; et oportet ipsi credere. Breviter ut simplicitas et character Tuscanicae, ita luxus et varietas est Corinthiae, praeter gradus illius altitudinem.

Postremus est *compositus ordo*; cujus nomen index est illius naturae: nam haec columna haud aliud est quam mixtura aut congeries praecedentium omnium ornamentorum, furto constituens novam speciem. et licet opulentissime sit comta, tamen eo indigentissima est, quod omnem suam pulchritudinem mutuo capiat. Ejus longitudo (ut aliquid proprii habeat) est decem diametrorum. Ejus gradus haud dubio altissimus, propter ea quae ante sunt dicta. Verum pauca palatia sive antiqua, sive recentiora excedunt tertium urbanum ordinem. Intercolumnium tantum unius diametri et semis, aut certe paulo minus quam duarum. Contractio columnae debet esse octava parte minor superius, quam inferius. Cognoscitur facile e suis ornamentis seu amictu.

Atque haec de quinque ordinibus Columnarum; quae concludam duabus aut tribus haud ineptis cautionibus. Primo, ubi plures quam unus horum ordinum in diversis contignationibus, diligens cura est adhibenda, ut columnae praecise una supra alteram collocentur, ut ita solidum respondeat solido, et vacuum vacuo; tam propter venustatem quam firmitatem structurae. Et per hanc cautionem sequitur plane, quod cum loquimur de intercolumnatione, quae debetur unicuique ordini, nos intelligere de Dorica, Jonica, Corinthia porticu aut peristylio, aut simili loco, et non de structuris quae pluribus contignationibus seu tabulatis constant. Secundo, sint columnae superiores quarta parte minores quam inferiores, inquit Vitruvius lib. 5. c. 1. Mirum praeceptum, mea opinione, et ita mirum, ut fortasse magis conveniat, secundum ipsius principia, facere eas quarta parte majores. nam lib. 3. cap. 2. ubi magister agit de contracturis columnarum, habemus opticam regulam, quo altiores sunt, eo minorem esse debere earum contracturam superiorem, quia oculus ipse naturaliter contrahit objecta, magis aut minus, pro intervalli ratione; quae consideratio neglecta videri posset in cautione quam modo dedimus. Verum Vitruvius (optimus sui interpres) dicto loco lib. quinti, bene absolvit suam mentem his verbis: *Columnae superiores quarta parte minores quam inferiores, sunt constituendae, propterea quod oneri ferendo quae sunt inferiora esse firmiora debent*: praeferens ut sapiens mechanicus naturalem rationem Mathematicae, et subtilem conceptum abstractis. Et tamen lib. 4. cap. 4. rursus videtur affectare subtilitatem, concedens, columnas, quo magis sunt striatae, eo graciliores esse posse: *quod oculus*, inquit, *plura et crebriora*

signa tangendo, majore visus circuitione pervagatur. totum objectum apparet majus, atque ita quantum istae cavitates subducunt, tantum suppletur a fallacia visus. Verum hic quoque existimo magistrum magis debuisse considerare naturalem inconvenientiam: nam licet columnae per striarum ductum videantur nobis crassiores factae, tamen revera sunt in se imbecilliores, et propterea fortasse oportuerit, si rem bene perpendas, non esse graciliores, sed corpulentiores; nisi apparentia praeponderet veritati. sed contra Magistrum non est disputandum.

Tertia cautio est, quod projecturae, ut vocantur, sint valde moderatae, praesertim Coronices inferiorum ordinum. nam dum quidam putant, se illis dare pulchrum et regalem aspectum per amplitudinem, nonnunquam impediunt interius lumen, (de quo plura dicam suo loco) atque etiam detrahunt aspectui frontis exterioris; ut apparet in una principalium structurarum Venetiis, nimirum Palatio *Grimani* ad *Grandem canalem*, quod magnifico hoc errore nonnihil dedecoratur. Non opus est nunc plura dicere de columnis, et ipsarum adjunctis, de quibus tam prolixe Architecti in suis scriptis, quasi ipsi termini Epistyliorum, zophororum, coronicum et similium sufficerent ad graduandos Magistros hujus Artis. Sed liceat mihi, antequam pergam ad aliud subjectum, obviam ire familiari objectioni. Dicetur forte, omnem hanc doctrinam de quinque ordinibus, magis convenire lapicidinis Asiae, quae dederunt 127. columnas, 60. pedes altas, templo Ephesino; aut Numidiae, ubi marmora abundant; quam Anglicis ingeniis, quae ignobilioribus materiis coguntur esse contenta. Ad quod respondeo, hoc non debere nostros deterrere: nam saepe contemplatus sum Venetiis cum summa voluptate *Atrium Graecum* (Antiporticum interpretari possumus more Graeco) structum ab *Andrea Palladio* supra octo columnas ordinis compositi; Bases sunt e saxo sine stylobatis, scapi aut corpora e meris lateribus, tres pedes crassi et semis in diametro inferiori, e per consequens xxx. pedes alti, ut ipse descripsit lib. secundo. Nunquam vidi tam magnificas columnas e saxo aut marmore: nam lateres primum formati circulares, et dein antequam urerentur, caesi in quatuor partes aut plures; quarum latera postea tam arcte junguntur, et cunei tam exacte concurrunt in unum centrum, ut columnae ex uno saxo factae videantur. Quam brevem descriptionem praeterire nolui, ut appareat nos potius destitui Arte quam materia, ut desideriis nostris satisfaciamus.

Post columnas sequuntur in mea distributione Antae (vulgo *pilasters.*) quarum meminit Vitruv. lib. 5. cap. 1. et pene haud alibi, sub nomine parastadum, ut *Philander* opinatur; quod Grammaticum argumentum (licet forte non satis clarum) nolo prolixus examinare. Quae res designetur, planum est ex idiomate nostro vulgari; de qua breviter colligam observationes maxime considerandas.

Antae seu parastatae non debent esse nimis altae aut graciles, ne videantur columnae; neque nimis pumilae aut crassae, ne pilas pontium imitentur. Decet illas non tam elegantia, quam rustica superficies. magis enim adspirant ad firmitatem et robur, quam ad elegantiam. In privatis aedificiis non oportet angustiores esse quam tertia parte, non latiores quam duabus partibus totius vacuitatis inter antam et antam. Iis tamen quae stant ad cornua, paulo major dari potest latitudo, ad angulos firmandum: in Theatris et Amphitheatris, et ejusmodi gravibus structuris, observat *Palladius*, tam latas esse posse quam dimi-

dium aut interdum totum intervallum: Notat insuper (consentiuntque alii) justam earum symmetriam esse exactum quadratum : verum ob diminutionem expensarum et loci amplificationem communiter angustiores sunt in lateribus quam in fronte. Earum gratia consistit in dimidiis aut integris columnis, quae ipsis applicantur: quo casu bene notatum ab auctoribus, columnas posse esse paulo altiores solito, quia acclinant tam bonis fulcimentis. Atque haec sufficiant de Antis, quae sunt parvae impensae, sed firmae et nobilis structurae genus. Porro quia saepius, tam ad pulchritudinem, quam majestatem reperiuntur fornicatae, quam aliter: agendum mihi de fornicibus, et sub eodem titulo de cameris: nam fornix revera nihil est aliud quam contracta camera; et camera, quam dilatata fornix: quare, ut de hac parte compendiose et fundamentaliter agam, redigam totum negotium in pauca theoremata.

Theorema I. Omnes solidae materiae, nisi impediantur, descendunt perpendiculariter deorsum, quia pondus naturalem habet inclinationem ad centrum universi, et natura perficit suos motus per brevissimas lineas.

Theorema II. Lateres ducti ordinaria sua rectangulari forma, si coagmententur secundum librarum ordinem, inter fulcimenta sustinentia ambos fines omnes intermediae partes necessario subsident naturali sua gravitate, et multo magis si a superiore pondere premantur, quia cum latera eorum sint parallela, habent spatium perpendiculariter descendendi, sine impedimento, ut in priori theoremate; quapropter ut persistant, necesse est ipsorum aut positionem mutari, aut figuram, aut utramque.

Theorema III. Si lateres ducti aut lapides quadrati cuneatim, id est latiores supra quam infra, ponentur in librato ordine, finibus suffultis, ut in praecedenti Theoremate, punctis concurrentibus in unum centrum, nulla mediarum partium potest subsidere, donec fulcimenta concedant, quia destituuntur spatio in illa figura ad descendendum perpendiculariter: Sed haec adhuc infirma est structurae species, quia fulcimenta obnoxia sunt plurimae impulsioni, praesertim si linea sit longa. quare haec forma raro usurpatur, praeterquam in fenestris et angustioribus portis. Eapropter quemadmodum ad firmandum opus in hoc tertio Theoremate supposuimus omnes materias differentes ab illis in secundo, ita et nunc positio est mutanda, ut liquebit in Theoremate sequenti.

Theorema IV. Si materiae figuratae, ut ante, cuneatim, non collocentur libratim, sed forma arcus, aut portionis circuli, concurrentes in unum centrum, neque partes camerae possunt subsidere, quia carent spatio perpendiculariter descendendi; neque fulcimenta (uti vocantur) dictae camerae tantam violentiam pati possunt, quam in praecedenti plana positione. rotunditas enim faciet incumbens pondus potius quiescere super fulcimenta, quam illa impellet. E quo evidens collorarium deduci potest, securissimam omnium camerarum esse semicircularem, et omnium fornicum hemisphaericam, licet non absolute liberam ab omni naturali infirmitate, (quae est sola praerogativa perpendicularium linearum et rectorum angulorum) ut *Bernardinus Baldus Abbas Guastallae*, in commentarijs ad Aristotelis Mechanica, recte probat; ubi obiter observo, cum aliqua res mathematice demonstrata est infirma, magis infirmam esse mechanice; quia errores facilius occurrunt in tractatione solidarum materiarum, quam in grammicis delineationibus.

Theorema V. Ut semicirculares camerae, aut hemisphaericae fornices, om-

nium sunt rotundissimae et per consequens firmissimae, secundum praecedens theorema; ita et venustissimae sunt, quae praecise servantes eandem altitudinem, tamen distenduntur quartam decimam partem longius quam est integra diametros: quae additio distensionis multum conferet ad earum venustatem, et paulum tantum demet earum firmitati. Hanc observationem reperio in *Leone Baptista Alberti*: sed praxis conservandi eandem altitudinem, et tamen distendendi brachia aut terminos arcus ratio est in *Alberti Dureri* Geometria, qui Italos docuit multas et excellentes lineas, quarum magnus usus est in hac Arte.

Super haec quinque theoremata omnis disciplina camerandi fundatur. Quoad cameras, quas nostri artifices vocant *of the third and fourth point*; et Hetrusci scriptores *di terzo* et *di quarto acuto*, quia semper occurrunt in acutum angulum et saliunt a divisione Diametri, in tres, quatuor aut plures partes pro libitu; Ajo, tales, tum ob naturalem imbecillitatem acuti ipsius anguli, et propter invenustatem, abdicandas esse a judiciosis oculis, et relinquendas primis inventoribus Gothis aut Longobardis, cum caeteris reliquiis barbari illius aevi.

Cum, e prima mea partitione partium cujusque fabricae in quinque capita, duo priora absolverim et per accidens ductus fuerim ad hanc doctrinam de cameris, sequuntur jam in ordine *Aperturae*; sub qua notione comprehendo, *ostia, fenestras, gradus, caminos et alios conductus*: breviter omnia emissaria aut immissaria; ad quae pertinent duae cautiones.

Primo: ut sint tam paucae numero in dimensione, quam consistere potest cum aliis necessariis respectibus: nam uno verbo, omnes aperturae infirmant.

Secundo: ne nimium appropinquent angulis parietum: esset enim essentialis soloecismus infirmare illam partem, a qua oportet reliquas roborari: praeceptum bene notatum ab Italis, sed male ab ipsis servatum praesertim Venetiis, ubi observavi diversas pergulas aut meniana (ut Vitruvius videtur appellare, quae sunt certae balaustratae extantiae ad satisfaciendum visus curiositati) valde periculose projecta, ad ipsam aciem muralis anguli. Porro, licet festinem ad repartitionem totius operis, (cum revera sit summa perfectio hujus Artis, distribuere utiliter et venuste bene electum subjectum) ante tamen sub certis capitibus libet colligere breviter praecipuas notas, quae pertinent ad has particulares aperturas.

De foribus et fenestris. Haec admissaria hominum et luminis, conjungo, quia invenio eorum dimensiones relatas ad unam regulam, a *Leone Alberti* (docto indagatore) qui e Pythagoreorum schola (in qua fundamentalis erat maxima, omnium rerum imagines latere sub numeris) determinat, decentissimam esse proportionem inter latitudines et altitudines, si reducas symmetriam symphoniae et harmoniae sonorum, ad speciem harmoniae visus, hoc modo: Duae principales consonantiae, quae maxime aures rapiunt, consensu naturae, sunt quinta et octava: quarum prima radicaliter exsurgit ex proportione inter duo et tria: altera ex duplici intervallo inter unum et duo, aut inter duo et quatuor, etc. Jam autem si has proportiones transferamus ab audibilibus objectis ad visibilia, et applicemus eas, quam fieri potest aptissime; (natura loci semper considerata) nimirum in quibusdam fenestris et foribus symmetriam duorum ad tria, in ipsarum latitudine et longitudine; et in aliis duplo, ut ante dictum: sine dubio ab utralibet resultabit venusta et harmonica dele-

etatio ad oculos. Quae contemplatio licet vulgaribus artificibus fortassis videbitur nimis subtilis et sublimis, tamen meminisse oportet, *Vitruvium* ipsum multa determinare in sua professione per fundamenta Musices, et valde commendare in Architecto spiritum Philosophicum. id est, vellet (ut opinor) illum esse non superficialem et fluctuantem artificem, sed indagatorem causarum et mysteriorum proportionis. De ornamentis tam ostiorum quam fenestrarum alio loco dicam: sed liceat hic addere unam observationem: Magistrum nostrum (ut apparet e diversis locis, et potissimum lib. 6. cap. 9.) supra modum dilexisse luminosa aedificia; et sane fatendum est, liberale lumen non dedecere quodcunque aedificium; exceptis solummodo templis; quae antiquitus erant obscura, quemadmodum et hodie aliqua proportione (1). *Devotione magis requirente collectos quam diffusos spiritus.* Interea cavendum, ne faciamus aedes (licet civilis tantum usus) totas oculatas, ut erat Argus; quod in borealibus partibus esset nimis frigidum, in meridionalibus nimis fervidum; et eapropter haec res requirit plus quam facetam comparationem. Praeterea nulla structurae pars aut majoris est expensae, quam fenestrae; aut magis ruinae subjecta; non solum ob vulgarem illam rationem, quod exposita sit violentiae omnium tempestatum, sed etiam quia constat tam diversis et insociabilibus materiis, ligno, ferro, plumbo et vitro, atque his ita exiguis et infirmis ut facile concutiantur. Oportet quoque ut reminiscar (licet tantum grammatica sit observatio) quoad ostia. Horum enim quaedam erant fores, quaedam valvae; illae (ut ipsum nomen indicat) foris se aperiebant, hae introrsum; et erant communiter e duabus tabulis, aut *panes*, ut nos vulgo appellamus, atque ita minorem requirebant circuitum in explicando; quam ob causam hodieque ab Italis plurimum usurpantur: sed imperfectionis accusandae sunt, quia licet aeque bene intromittant quam priores, tamen pejus excludunt.

De Scalis. Perfectam Scalam facere, curiosa admodum Architecturae est pars. Vulgares cautiones sunt hae. Ut habeant valde liberale lumen, adversus omnes lapsus et impactiones. Ut spatium supra caput sit largum et aerium, quod Itali vocant *un bel sfogo*, quasi dicas probam ventilationem, quia ascendens multum exspirationis impendit. Ut areae (*half-paces*) Anglis distributae sint convenientibus intervallis ad quiescendum in ascensu, et descensu. Ut vitentur obviationes, et praeterea ad venustatem aspectus scala haud parcam habeat latitudinem, id est, in principali ascensu, ad minimum decem pedes in regalibus aedificiis. Ut latitudo uniuscujusque gradus nunquam sit minor quam unius pedis, nec major sesquipede. Ne ullo modo excedant dimidium pedem in sua altitudine aut crassitudine. nam crura nostra magis laborant in elevatione, quam in distentione. Hae sunt familiares observationes. Quibus adde, ut gradus collocentur, ubi junguntur, *con un tantino di scarpa*, quod interpretari possumus, nonnihil inclinati, ut pes quodammodo simul possit ascendere et descendere, quod licet a paucis observatum, secreta et subtilis est deceptio molestiae in ascensu. Denique, ut haec doctrina redigatur ad naturale aut saltem mathematicum fundamentum, magister noster (ut videre est lib. 9. cap. 2.) mutuatur has proportiones, quae trianguli rectanguli latera constituunt, et quae antiqua schola infimis terminis solet exprimere per numeros 3. 4. et 5. id est, tria pro perpendiculari a Scalae capite

(1) Lumen est diffusivum sui et alieni.

ad solum; quatuor pro soli ipsius linea aut recessione a pariete; et quinque pro tota inclinatione aut proclivitate in ascensu. quae proportio, inquit, efficiet *temperatas graduum librationes*. Hactenus de scalis directis; sunt praeterea spirales aut cochlides scalae, sive circulares sive ovales, et nonnunquam currentes circum columnam, interdum vacantes; in quibus *Palladius* (in hoc subjecto singularis felicitatis) dividebat diametrum prioris generis in tres partes: dans unam ipsi columnae, et duas gradibus: secundi generis in quatuor, quarum duas dabat gradibus, et duas vacuitatibus, quae omne suum lumen accipiebant a superiori parte; atque hoc in perfectis ovalibus est opus magistrale.

De Fumariis. In hoc subjecto Itali (qui valde frugales instruunt focos) fortassis haud optimi sunt consiliarii: quapropter potius ab iis discas, partim constituere pulchra frontispicia (Anglice *mantels*) intra conclavia, partim venuste educere foras fumariorum gulas variis formis, ut usurpant, de quibus agam in posteriore parte mei operis, et reliqua petam a *Philippo de l'Orme* in hac parte operis sui magis diligenti, quam in caeteris, aut, ut ipsi tribuam suum, magis quam quisquam alius.

Primum observat valde sobrie, illum qui in dispositione alicujus structurae consideraverit naturam Regionis, et ventos qui ordinario perflant ab hac aut illa parte, posse conclavia ita ordinare, ut parum incommodi patiatur a fumo; et propterea opinatur hoc incommodum ut plurimum oriri ab imprudenti initio. Aut si non sit erratum in dispositione, sed in ipsa structura, tunc instituit logicam disquisitionem: ventum aut nimium admitti in summo ad orificium sive nares fistulae, aut fumum constipari infra: sin horum nihil sit, tunc est repulsio fumi ab altiori monte aut fabrica, quae superant fumarii fauces et operantur hos effectus. Si neque hoc fuerit, tum concludit; locum qui infestatur, necessario nimis esse angustum et clausum, ita ut fumus non possit egredi per naturale principium, carens successione et supplemento novi aeris.

Porro in hisce casibus, suggerit diversa artificiosa remedia: quorum uni tribuam brevem descriptionem, quia redolet Philosophiam, et ab ipso *Vitruvio* tangitur lib. I. cap. 6. sed ab hoc authore ingeniose applicatur ad praesentem usum. Vult nos comparare duas aeneas concavas pilas, modicae capacitatis, cum exiguis foraminibus apertis in utraque, ad recipiendum aquam, aere prius exhausto: harum una collocanda cum foramine sursum super ferreum filum, quod transversat fumarium, paulum supra frontispicium, ad ordinariam altitudinem acerrimi caloris aut flammae, cujus aqua rarefacta, atque per rarefactionem resoluta in ventum, erumpet, et ita pellet fumum sursum, quia alias posset retardari in gula et saepe reverti: altera, inquit, possumus supplere locum prioris ubi exhausta fuerit, aut interea, si opus fuerit, focum sufflaminare. Quam inventionem interposui ad aliquantam Lectoris delectationem; et noto e *Palladio*, Antiquos calefecisse conclavia sua secretis quibusdam fistulis sive canalibus transversantibus parietes, et perducentibus calorem (ut opinor) ad diversas aedium partes e communi furno; nomen imponam illis caloris ductibus, ut venti ductus et aquae ductus dicuntur qui conducunt ventum et aquam: sive id consuetudinis aut voluptatis fuerit, frugalitatis certe fuit et usus, supra Germanorum stuvas: et praeferrem quoque nostrae consuetudini, nisi ignis aspectus aliquam gratiam conclavibus adderet, ut Homerus nos docet suo versu (*Αἰθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι* Hom. Epigr.) qui satis arguit illum non fuisse caecum, ut quidam volunt.

Quod attinet ad *Cloacas*, ad emittendas sordes ex aedibus (quae licet viles quoad usum, tamen ad salubritatem habitantium sunt necessariae, et forte magis quam reliqua) reperio in nostris auctoribus haec consilia: Arti imitandam esse naturam in his ignobilibus conductibus, et illos semovendos a visu (ubi deest fluens aqua) in remotissimam et solidissimam partem fundationis; cum secretis spiraculis, quae transeunt per parietes instar tubulorum in patentem aera; et ab omnibus Italis structoribus commendantur, ad derivandos noxios vapores, licet alibi, quod sciam, vix usurpeutur. Siquidem jam expendi praecedentes aperturas singulatim, perveni nunc ad dispositionem et contextum totius operis, qui comprehenditur sub notione *Compartitionis*: quam aggredi nequeo (utpote praecipuam partem) nisi praemisero aliquot generales cautiones, ut feci in aliis membris.

Primum igitur, nemo aedificaturus, animum expleat Ichnographia structurae in charta, liceat quam exactissime dimensa aut nitide exposita secundum opticam: aut nuda delineatione areae, ut vocant Sciographiam; sine modulo aut typo totius operis et singularum partium, partitionisque, e ligno aut charta. Secundo, ut modulus tam sit simplex quam fieri potest sine coloribus aut alio ornatu, ne delectamen oculorum praeoccupet judicium; quod monitum, praetermissum ab Italis, reperio apud *Philippum de l' Orme*, et propterea (licet Gallia non sit theatrum structurarum) merebatur ut hic illius nominis mentio fieret.

Denique quo major fuerit typus, eo melior erit, non quod suadeam ejusmodi enormitatem, qualem typus ille S. Petri Ecclesiae Romae ab *Antonio Labaco* factus habuit, qui continebat XXII. pedes in longitudine, XVI. in latitudine, et XIII. in altitudine, et constiterat 4184. coronatis; pretium revera modicae capellae: attamen in fabrica 40. aut 50. mill. librarum, optem 30. libras ad minimum impendi in exactum typum; nam exigua parcitas in praemissis, potest in fine generare absurditatem majoris impensae.

Post has praecautiones venio jam ad ipsam *Compartitionem*; per quam auctores hujus artis (ut ante dictum) intelligunt venustam et utilem areae distributionem in partes, quae aut ad ministeria, aut receptus pertinent, prout aut capacitas aut regionis qualitas patitur. Quae circumstantiae in hoc subjecto imprimis considerandae, longioremque poscerent disquisitionem, quam Elementaris Rhapsodia permittit. Quare (ut breviter anatomizem hanc definitionem) venustas, de qua agitur, consistit in duplici *Analogia*, aut responsu. Primo inter partes et totum, per quam magna structura magnas habitura est partitiones, ampla lumina, magnos introitus, magnas columnas aut antas, denique omnia membra magna. Secundo inter partes ipsas, non solum considerando ipsarum longitudines et latitudines, ut ante, cum ageremus de ostiis et fenestris; sed et hic ingreditur respectus altitudinis; subjectum, fateor, difficulter reducibile ad aliquod generale praeceptum. Verum quidem est, Antiquos definivisse longitudinem omnium conclavium, quae erant longiora dupla proportione latitudinis; *Vitruvius* lib. 6. cap. 5. et altitudinem dimidia parte longitudinis et latitudinis conjunctarum. Verum cum conclave erat perfecte quadratum, altitudinem faciebant dimidia parte latitudinis: quas dimensiones recentiores Architecti pro libitu variarunt, nonnunquam quadrantes latitudinem, et ducentes diagoniam lineam ab angulo ad angulum dictae quadrae, altitudinem facientes, interdum majorem, at raro minorem quam sit integra latitudo: quam auda-

ciam omittendi antiquas proportiones, quidam attribuunt *Michaeli Angelo da Buonaroti*, forte propter authoritatem, quam consecutus erat in aliis duabus Artibus.

Secundo ratio est habenda *Commoditatis*, quae consistit in sufficienti numero conclavium omnis generis, et apta ipsorum connexione, absque distractione aut confusione, ita ut spectatores non solum dicere possint *Una fabbrica ben raccolta*, ut Itali solent loqui de structuris bene unitis, sed etiam videri possit luminosa et apta ad recipiendos hospites festive: principalis difficultas se offert in bene ordinando lumina scalasque; de quibus attingam unam atque alteram notam. In primo observo antiquos Architectos haud laborasse. Nam tam Graeci quam Latini (de quorum privatis aedificiis *Vitruvius* nonnulla scripta reliquit) communiter habebant duo columnata hypaethra cavaedia, unum serviens foeminarum regioni, alterum virorum; qui fortassis hodie tantam separationem ducerent parum amicam. Quomodocunque sit, per haec media, receptio luminis in corpus aedium, promta fit, tam ab extra quam intro; quae hodie supplenda, aut per aliquam apertam formam fabricae, aut inter venusta refugia, addita aliquo meniano contignationi, cui obscuritas metuitur; aut denique per perpendicularia lumina a tecto; quae supra omnia maxime sunt naturalia, ut mox ostendetur. Quoad secundam difficultatem quae sese offert in collocandis scalis; quod subjectum licet per se non sit valde difficile; nisi quatenus incommoda affert spatiis ad alios usus necessariis (quod lumina non faciunt) inducor hic de iis dicere. Et primum de ministralibus. Observavi in Italis fabris, quod lubenter distribuant coquinam, pistrinam, lavatorium, atque adeo penuarium sub solo, et proxime supra fundationem, et nonnunquam librata cum area aut pavimento cellae; extollendo primum ascensum in aedes quindecim pedes aut amplius, in illum finem; quo non modo ejusmodi incommoda ab aspectu removentur, et plus spatii superius acquiritur, sed et per elevationem Frontis, majestas additur aspectui. Atque hac dispositione principalis Scalae, quae communiter nos ducit in planum secundae contignationis, mira effici possunt exiguo spatio, cujus rei possem egregia exempla producere apud exteros; nullumque majoris artis et venustatis, quam aedem structam a *Daniele Barbaro Patriarcha Aquilejensi*, cujus ante mentionem feci inter nobiles Commentatores in Vitruvium. Verum definitio (supra determinata) vocat nos ad contemplationem nostrae Regionis, ubi licet alia omnia viliora ministeria (supra descripta) ita remota esse possunt, tamen ob agnatam Anglis hospitalitatem, opus est ut cella penuaria sit magis conspicua, et fortassis, pro nostris ordinibus, indigemus magis spatiosa et luminosa Coquina, quam supradicta compartitio possit ferre, atque ut vicinior sit coenaculo. Aliter enim, praeter alia incommoda, fortassis quaedam fercula in itinere possunt intercipi. Notemus et hunc communem defectum, quod careamus valde utili conclavi, quod Itali vocant *il Tinello*; communi atque adeo necessario, in omnibus ipsorum majoribus familiis. Locus est proprie destinatus conservandis cibis qui a mensa tolluntur, (donec famuli comedant) qui apud nos, veteri consuetudine, magis indecenter interim seponuntur. Leo Baptista Albertus vocat cellam opsonariam. Porro quantum ad distributionem conclavium, improbanda mihi consuetudo, quae, nescio quo pacto, praevaluit apud Italos, licet sine veterum exemplo, quantum colligere possum e *Vitruvio*. Quod designo, est, eos ita partitiones suas disponere, ut omnibus foribus apertis introspectus sit

in totam aedem ; quae res necessario intolerabilem servitutem imponit omnibus conclavibus praeterquam intimo , siquidem ad id nemo potest accedere nisi per reliqua , aut alias oportet parietes facere extreme crassos , ut secretos dent aditus. Nec tamen id remedium potest afferre , nisi singula conclavia , tria ostia ad minimum habeant ; quod maxime intolerabile in frigidis et ventosis regionibus , et ubique valde infirmat totam structuram : quare apud nos , qui frigefactione haud indigemus , probare non possum ejusmodi directas oppositiones aperturarum , cum causam habeant meram ambitionem , exponendi nimirum conspectui omnium peregrinorum totam supellectilem ; ideoque et magis probatur ab iis quibus animus est paucos hospitio accipere ; quo tantum lucrantur vanitatem , et raro sentiunt inconvenientiam. Est et alter defectus (nam raro absurditates sunt solitariae) qui necessario sequitur tam servilem dispositionem interiorum conclavium : Quod cogantur facere tam multa communia atria quam sunt diversae contignationes ; quae (praeterquam quod ut plurimum sunt obscura , quod difficulter vitari potest , cum per medium totius domus discurrant) tantum spatii devorant , ut propterea careant porticibus et aliis locis receptus , quod saepe observavi (ut verum fatear) cum magna admiratione ; animadverti enim , nullam nationem in toto orbe , naturae tam privatae et secretae , quam Italos , et quae contra minus absconditas aedes habeat , ita ut pugna sit inter eorum habitationes et ingenia. Fortassis hic expectet quis , ut saltem describam (quod alii fecere in Ichnographiis et Orthographiis) diversas figuras arearum et partitiones et varias inventiones : verum Theoretici scriptores (qualem me profiteor) non coguntur complecti omnes particulares casus circa subjectum quod tractant ; satis est si tradant generales directiones , et obiter quaedam vitia indicent : reliqua industriae Architecti sunt relinquenda , qui cum areae angustia conflictans saepius ad ingeniosa subsidia confugit : Uti interdum ad conclave aliquod proscribendum , licet alias singularis usus , ut venustati aliorum consulat. Itali vocant *una stanza dannata* , uti cum cella penuaria conjicitur infra Scalam , aut simile quid , aut cum haec pulcherrima faciunt , quae maxime oculis se offerunt et reliqua (instar industrii pictoris) veluti in umbra relinquunt , cum multis aliis , quae persequi infinitum esset. Concludam itaque hanc partem de *compartitione* , quam festivissime possum , brevi descriptione Triclinii aut coenaculi , secundum Ægyptiorum morem , qui videntur (saltem ad aevum *Vitruvii*) a veteribus Hebraeis et Phoenicibus (a quibus omnis disciplina fluxit) retinuisse , cum aliis scientiis , in eminenti gradu , principia quoque et praxin magnificae hujus Artis. Nam quantum conjicere possum e Magistri nostri textu lib. 6. cap. 5. (ubi , sicut et in aliis locis , torsit suos interpretes) nulla forma ad regalem hunc usum potest comparari cum illa hujus nationis , quam conabor explanare.

Concipiamus aream praeclarae longitudinis (exempli gratia ad minimum cxx. pedum) et latitudinis nonnihil majoris dimidia longitudine , cujus ratio postea reddetur. Secundum duo longissima latera , et frontem dicti triclinii , discurrit ordo columnarum quas *Palladius* supponit Corinthias , (ut ex illius Orthographia animadverto) supplens hoc subjectum e Graeco , quia non novimus ordinem proprium Ægyptiis. Quartum latus relinquo introitui. Super dictas columnas collocabatur epistylium ; cujus *Vitruvius* solum facit mentionem. (*Palladius* addit , et jure , zophorum et coronam.) super quod ascendebat conti-

nuus paries, et in eo dimidiae aut trientales columnae, exacte respondentes inferiori ordini, sed quarta parte minores: et inter has dimidias columnas, totum conclave erat in ambitu fenestratum, deinde ab inferioribus columnis superstruebatur contignatio, sustentata ab exteriori pariete et capitibus columnarum, cum meniano balaustrato, sub dio (inquit Magister;) idque tuto praecipere poterat in Ægypto, ubi nubila haud metuenda: quapropter *Palladius* (qui relinquit hoc menianum in medio intectum et balaustratum circumcirca) fortassis illum recte intellexit, licet in eo discrepans a caeteris; saltem oportet intelligere justam meniani latitudinem relictam inter aperturam et fenestras, ad delectamentum spectatorum, qui despecturi sunt in Triclinium. Latitudinem supposui, contra priores positiones, paulo majorem dimidia longitudine; quia columnae congrua distantia ab exteriori pariete collocatae, per visus interceptionem, nonnihil videbuntur latitudinem diminuere; quo casu (ut semel atque iterum ante dixi) prudentia plus sibi potest sumere quam Ars.

Haec est descriptio Ægyptii oeci sive Triclinii. Circum cujus parietes imaginari possumus integras statuas, inferius locatas, illustratas a descendente lumine a concameratione, uti et fenestris inter dimidias columnas superiores: ita ut hoc Triclinium abundans habuerit lumen, et praeter caeteros ornatus, necessario accipiebat magnam dignitatem ab ipsa altitudine laquearis, quod incumbebat duobus ordinibus columnarum. Atque ita absolutis quatuor partibus primae meae generalis divisionis, nimirum *Fundatione, Parietibus, Aperturis et Compartitione*, licet jam aedi imponere suum pileum, hactenus intectae, et eapropter inidoneae tegere alios. Quod subjectum licet sit postremum hujus artis in executione, tamen semper est primum in intentione. nam quis velit aedificare nisi ad tuitionem? quapropter tam locum quam dignitatem obtinens finalis causae, diligenter fuit tractatum a pluribus, sed a nemine doctius quam a *Bernardino Baldo Abbate Guastallae*, (supra aliquoties citato) qui fundamentaliter et mathematice demonstravit firmissimas coagmentationes superiorum tignorum quae efficiunt tectum. Sed scopus meus fuit in hisce Elementis, omnium fundamentum petere ab ipsa natura, quae simplicissima est Artis mater. Quare nunc tantum exponam paucas aptissimarum et (ut ita dicam) naturalissimarum considerationum, quae ad hanc partem spectant.

Duo extrema vitanda sunt in tecto: ne sit aequo aut gravius, aut levius. primum patitur vulgarem objectionem, quod nimis premat inferius opus. alterum continet magis secretum incommodum; nam tectum est non tantum nuda defensio, sed et vinculum et ligatura totius structurae. et propterea requirit convenientem gravitatem. sed ex hisce duobus extremis pessimum est aedem nimis ponderose esse tectam. Deinde ratio est habenda aequalitatis, ne structura magis ab una quam ab altera parte prematur; et hic *Palladius* (ut prudens artifex) vult interiores parietes bonam partem ponderis sustinere, et exteriores minus onerari. Tertio, Itali valde praecise dant tecto venustam declivitatem, totam latitudinem dividentes in partes novem; quarum duae serviunt elevationi supremi fastigii ab infimo. Verum in hoc subjecto qualitas regionis consideranda: Nam (ut Vitruvius insinuat) climata quae metuunt multas et incumbentes nives, magis inclinata tecta postulant; et venustas debet necessitati concedere.

Hae sunt utilissimae observationes, quas apud Auctores inveni; de postre-

mo eapite divisionis, quibus concludam primam mei operis partem. Restat secunda de ornamentis interioribus aut extra aedificium ; pars non ita arida ut mera contemplatio proportionum : Quapropter spero me nonnihil recreaturum Lectorem et memet ipsum.

FINIS

ELEMENTORUM
ARCHITECTURAE
PARS SECUNDA

Cum uniuscujusque mansio et domus, sit Theatrum ipsius hospitalitatis, sedes sui ipsius fruitionis, jucundissima vitae pars, nobilissima filii haereditas, species privati principatus, adeoque possessoribus epitome totius orbis; meretur sane, secundum domini conditionem decenter et amaene ornari. Ad quem finem duae artes Architecturae ancillantur, quasi duae pedissequae quae dominam vestiunt et comunt, Pictura et Sculptura. Inter quas, antequam pergo, veterem de praecedentia litem dirimam hac distinctione: in ornando aedificio, haud dubio primas tenere Sculpturam, utpote ipsi Architecturae magis affinem, et per consequens magis naturale et decentius ornamentum. Sed contra, (si utraque Ars philosophice et non mechanice consideretur) excellens opus picturae, meo judicio magis est admirandum objectum, quia propius accedit ad artificiale miraculum, utpote distinctas eminentias faciens apparere in plano, vi umbrarum, cum tamen ipsae umbrae non appareant; quam´ opinor esse summam dignitatem et virtutem Pictoris, et ad quam pauci singulis seculis pervenerunt. Harum duarum artium (prout pertinent ad hoc subjectum de quo agimus) primum considerandus est delectus, deinde dispositio. Quoad delectum, habemus alicubi regulam, uti recordor, apud *Plinium*, et quidem elegantem, qua observatur, mutuam illas inter se censuram exercere. Pictura enim abstans optima est si videatur sculpta, et sculptura cum ita subtilis est ut picta putetur, id est, cum tam conspicuus levor est in membris, ut non scalprum excidisse videatur e lapide aut alia materia, sed penicillus duxisse et lineasse oleo. quod judiciosus Poeta bene animadvertit;

Excudent alii spirantia mollius aera.

Sed haec generalia non sufficiunt bono delectui, sine magis particulari contractione judicii. Quapropter cum opus artis nobis objicitur, sit prima cautio, non quaerere quis fecerit, ne fama auctoris captivet imaginationem emtoris. Nam excellentes viros semper excellenter operari, falsa est conclusio. Ad quod, inter Italos artifices, tres notabiles audiuntur phrases, quae bene delineant gradus ipsorum operum. Dicent tibi, opus esse factum, *con diligenza, con studio, et con amore*: prima est tantum ordinaria diligentia; secunda est docta diligentia, tertia longe major est, atque adeo plena amoris diligentia. Non intelligunt autem erga emtorem operis, sed erga opus ipsum, ex singulari affectu in hanc aut illam historiam. Et cum haec omnia concurrunt (potissimum postremum) in eminenti Auctore, tum fortasse suffecerit, *Titianus fecit*, aut ὁ φιδίας ἐποίει, sine ulteriori disquisitione; alias, artifices non modo suos habent profectus et perfectiones, sed etiam suos genios et tempora.

Proxima cautio sit, (ut logice procedatur) uti in judicando de ipsis operibus, non distrahamur simul in diversas res. Quare primo (ut ordiamur a

pictura) observandum, utrum bene sit ducta, aut, ut elegantiores artifices loquuntur, designata : dein an rite sit colorata. quae sunt duo summa capita; et unum quodque habet duo principalia requisita ; nam in designatione oportet esse veritatem et gratiam; in coloratione robur et affectum. reliquae laudes tantum ex his sequuntur.

Veritas (ut metaphorice sumitur in hac arte) est justa et naturalis proportio in singulis partibus determinatae imaginis. *Gratia* libera quaedam dispositio, in tota delineatione, respondens inaffectatae libertati qualitatis in vivo corpore, maris aut foeminae, quae animat pulchritudinem ubi adest, et supplet, ubi deest. *Robur* consistit in rotundationibus et elevationibus operis, secundum quod membra magis aut minus requirunt, ita ut spectator non offendat aliquam aciem in extremis lineis, ut cum sutores excidunt vestem, quod Itali apte dicunt in hac comparatione, *Contorni taglienti*, neque ullam planitiem in figurae corpore, quod quomodo fiat ab altiore disciplina est petendum; nam optici nos docent, planum appariturum prominens et quasi convexum, si partes remotiores ab oculi axe, maxime umbrentur. Quia in omni obscuritate, est quaedam profunditas. Sed ut in arte persuadendi, praecipuum praeceptum est artem celare, ita et hic visus suaviter decipiendus est; per insensibilem transitum, ab illustrioribus coloribus ad saturatiores, quos Itali vocant medias tincturas: id est, non quemadmodum albumen et luteum ovi collocata sunt in testa, distinctione visibili, verum uti se habent concussa et mixta in patina, quae est maxime propria comparatio quam comminisci possum. Denique *Affectio* est viva repraesentatio cujusvis passionis, quasi figurae haud collocatae forent super lineum pannum aut tabulam, sed agerent in scena. Atque hic commemoranda est cum stupore nota; quam accepi ab excellentibus artificibus, quod licet laetitia et dolor, natura sint opposita, tamen ita affines et vicinas esse in arte, ut vel levissimus penicilli ductus, flebilem vultum in hilarem convertat: quae instantia, praeter plures similes, saepius mihi in memoriam revocat ingeniosam speculationem *Cardinalis Cusani* in ipsius operibus, de coincidentia extremorum. Atque haec de quatuor requisitis et perfectionibus picturae.

In Sculptura itidem duae priores absolute sunt necessariae, tertia inconveniens; nam solidae imagines non egent elevationibus per lumina et umbras; ideoque in locum illius surrogare possumus (ut ante dictum) genus quoddam teneritatis, quam Itali vocant *Morbidezza*, in qua scalprum, ut verum fatear, majorem habet gloriam quam penicillus; quod tam durum instrumentum existens, et agens in tam refragantem materiam, relinquat tamen ductus tam subtiles apparentes.

Quarta quae est expressio affectuum (quatenus dependet ab activitate et gestu imaginis) tam propria est Sculptori quam Pictori. licet haud dubio colores in hoc sint majorum virium: unde, fortassis, primum apud nos orta est consuetudo colorandi etiam Regales statuas, quam liceat appellare Anglicum barbarismum. Porro in his quatuor requisitis jam commemoratis, mirum est notatu, nullum artificem unquam fuisse culpatum ob excessum in ullo trium posteriorum; Solummodo *Veritas* (quae innocentissima videri poterat) passa est aliquam objectionem; et omnia secula dederunt unum aut alterum artificem, tam prodigiose accuratos, ut nimium naturales judicati fuerint in suis ductibus: ut apparet ex illustri loco *Quintiliani* de Antiquorum artifi-

cum Characteribus. cujus memoria cum mihi nunc apte occurrat, cum hic referre cogor, uti operae pretium fuerit. Locus ad quem collimo, extat in penultimo capite totius ipsius operis, atque ita se habet. *Primi, quorum quidem opera non venustatis modo gratia visenda sunt, clari Pictores fuisse dicuntur* Polygnotus *atque* Aglaophon, *quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia, ac velut futurae mox artis primordia, maximis, qui post eos extiterunt, autoribus praeferantur proprio quodam intelligendi, ut mea opinio fert, ambitu. Post* Zeuxis *atque* Parrhasius, *non multum aetate distantes, (circa Peloponnesia ambo tempora, nam de* Parrhasio *sermo* Socratis *apud* Xenophontem *invenitur) plurimum arti addiderunt. Quorum prior luminum, umbrarumque invenisse rationem, secundus examinasse subtilius lineas traditur. Nam* Zeuxis *plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus, (ut existimant)* Homerum *secutus, cui validissima quaeque forma etiam in foeminis placet. Ille vero ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem vocent, quia Deorum atque heroum effigies, quales ab eo traditae, caeteri, tanquam ita necesse sit, sequuntur. Floruit autem circa* Philippum, *et usque ad successores* Alexandri, *pictura praecipue, sed ex diversis virtutibus: nam cura* Protogenes, *ratione* Pamphilus, *ac* Melanthius, *facilitate* Antiphilus, *concipiendis visionibus (quas φαντασίας vocant)* Theon Samius, *ingenio et gratia, quam ipse maxime in se jactat,* Apelles *est praestantissimus.* Euphranorem *admirandum facit, quod et caeteris optimis studiis inter praecipuos, et pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. Similis in statuis differentia. nam et duriora et Tuscanicis proxima* Calon *atque* Egesias, *jam minus frigida* Calanus, *molliora adhuc supradictis* Myron *fecit. Diligentia ac decor in* Polycleto *supra caeteros, cui quanquam a plerisque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. Nam ut humanae formae decorem addiderit, supra verum, ita non explevisse deorum auctoritatem videtur, quin aetatem quoque graviorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra leves genas. At quae* Polycleto *defuerunt,* Phidiae *atque* Alcameni *dantur.* Phidias *tamen diis quam hominibus efficiendis melior artifex traditur, in ebore vero longe citra aemulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis aut Olympium in Elide Jovem fecisset, cujus pulchritudo adjecisse aliquid etiam receptae religioni videtur, adeo majestas operis deum aequavit. Ad veritatem* Lysippum *et* Praxitelem *accessisse optime affirmant. Nam* Demetrius *tanquam nimius in ea reprehenditur, et fuit similitudinis quam pulchritudinis amantior.*

Haec est ingeniosa censura veterum artificum, quam *Quintilianus* nobis reliquit. In qua postremus character *Demetrii*, aliquod philosophicum examen desiderat, quomodo artifex, cujus scopus est imitari naturam, possit esse nimium naturalis; quod itidem nostro aevo fuit vitium aut (ut mitius loquar) nimia perfectio *Alberti Dureri*; et fortassis quoque *Michaelis Angeli Buonaroti*: inter quos memini me audire ab ingenioso Artifice subtilem admodum differentiam, quod Germanus nimis exprimeret quod erat, et Italus quod esse deberet. Quae nimis severa observatio naturae in unius communissimis, in alterius absolutissimis formis, necessario producit quendam rigorem et per consequens majorem naturalitatem quam venustatem. Haec est evidentissima ratio, ob quam quidam exacti symmetriae observatores culpati fuerint, quod nimis essent veraces; quantum mentem meam possum explicare. Atque haec de de-

lectu picturae et Sculpturae sequitur applicatio utriusque ad ornatum structurarum.

Primo itaque quoad Picturam, occurrit dubium, quod nimis leviter fuit tractatum non modo ab aliquot viris, sed et nationibus; videlicet, utrum hoc ornamentum deceat extimum latus aedium. Cujus Germani tam exiguam habuere rationem, ut nobilissima ipsorum oppida videre sit maxime picta, ut Augustam et Norimbergam. Ad expediendum hanc quaestionem uno verbo: verum est, Historiam a proba manu expressam, ubique judiciosum oculum rapere; sed haud minus verum est, varios colores in extimis aedium parietibus plus habere delectamenti quam dignitatis. Quare nolim ibi admittere alias picturas quam e nigro et albo, neque in eo genere ullas imagines (si locus sit capax) minus quam novem aut decem pedes altas, quae haud vulgarem artificem requirent; quia vitia magis conspicua sunt quam in minoribus designationibus. In picturis autem, quae imagines non habent, nobilissima est imitatio marmoris, et architecturae ipsius, ut fornicum, columnarum et similium.

Quantum ad interiorem parietum partem, aliud nascitur dubium, utrum pictura *Grottesca*, ut Itali, aut *Antique*, ut nos vocamus, sit recipienda, adversus expressam auctoritatem *Vitruvii* lib. 7. cap. 5. Ubi; *Pictura*, inquit, *fit ejus quod est, seu esse potest*; excludens per hanc severam definitionem omnes imagines compositas e diversis naturis aut sexibus, ita ut Sirenes et Centauros abdicarit. Verum hic a Magistro nobis abeundum, praesertim loquente extra suam professionem, et concedente pictoribus (qui semper haud minus illimitati fuerunt quam Poetae) angustiores limites imaginationis, quam vel ipsis gravissimis Philosophis, qui interdum utuntur instantiis, non existentibus in Natura, uti videmus in Amphisbaena Platonis, et Aristotelis Hircocervo. Et sane (ut rem determinemus) quid erat communius et familiarius apud ipsos Romanos quam statua Termini, unius ipsorum numinum? quae si bene consideremus, est Grotescae opus. Propter has rationes nolim inopem reddere hanc artem, licet optarim ejuscemodi emblematicas picturas restringi ad ornamenta zophororum et Scotiarum, ut ipsarum proprium locum. Quantum ad historica opera in parietibus, dubito Clima nostrum nimis esse humidum ad hunc ornatum. Quare relinquens hoc habitatoris prudentiae, secundum loci qualitatem: tantum addam unam atque alteram cautionem, circa dispositionem picturarum interius. Primo, ne ullum conclave nimis multis oneretur; esset enim excessus ornamentorum, praeterquam si fuerint peristylia aut pinacothecae. Secundo, ut optimae picturae collocentur non ubi minores sed ubi pauciores sunt fenestrae: quapropter conclavia, non tantum ab utraque parte fenestrata, (quae nos appellamus *throug-lighted*) sed et quae duas aut plures habent fenestras ad idem latus, arti sunt inimica: certumque est, nullam picturam videri in plena perfectione (ut omnis natura est illuminata) quam singulari lumine. Tertio, uti in dispositione ratio habeatur, quomodo pictor steterit in pingendo, quod intelligens oculus facile deprehendet, et positio illa est maxime naturalis; ita ut Italicae picturae melius appareant in conclavi cujus fenestrae sunt altiores; quia communiter factae sunt ad descendens lumen, quod praeter caetera hominum vultus verissime exprimit.

Denique, ut decenter distribuantur tam secundum qualitatem, quam venustatem: id est, amoenae picturae in tricliniis et coenationibus; graviores historiae in porticibus; regionum descriptiones, et sylvae, et ejuscemodi sylvestria opera in hypaethris et similibus locis.

Atque haec de *pictura*, quae liceat concludere hac observatione: licet praecedens deductio mea forte sufficere possit ad ducendum in rationabilem delectum ejuscemodi delectamentorum, nemo tamen speret se per speculativam eruditionem discernere posse magistrales et mysticos ductus hujus Artis, praeter ipsum artificem; cui praerogativa haec relinquenda est judicandi de modo et opera; sicuti ipse cogitur concedere licentiam aliis in quibusdam, fortassis haud minoris momenti; exempligratia, utrum historia bene repraesentetur, an imagines vere agant, personae amictae sint secundum suas qualitates, an affectus sint proprii et robusti, et similia.

Nunc quoad *Sculpturam*, ordiendum itidem a controversia, ut ante, (quae cadit in hunc locum) nisi liceat vocare imaginationem, fortuito susceptum a *Palladio*: qui cum observasset in uno atque altero antiquo Arcu Veronae, quasdam partes materiae jam sculptas in varias figuras, et quasdam rudes, concludit, (secundum suam Logicam) Antiquos exteriorem faciem marmorum, et aliorum lapidum nativorum, non sculpsisse ante quam coagmentata essent in corpus structurae: cujus et hanc reperit rationem (quemadmodum et alii comminiscuntur, antequam res ipsa sit certa) quod lapides rudes facilius fabrorum manibus tractarentur, quam si levigati forent, et latera magis exacte possint conjugari. Quam opinionem semel conceptam porro conatur persuadere, notans in certis historicis Sculpturis antiquis, partes et lineas figurarum, quae ab uno lapide transeunt ad alterum, admodum exacte concurrere, quod putat difficulter potuisse fieri (dum loquitur de rebus antiquis, oblitus diligentiae antiquorum) nisi sculptae fuissent post coagmentationem. Verum omnia haec argumenta non possunt superare incommodum commovendi et dislocandi commissuras tot ictibus cuneorum, praeter molestam operationem in suggestis: praesertim cum desint testimonia ad confirmandum, quae quidem viderim in commentariis hujus Artis. Quinimo potius verum est, quadrasse, sculpsisse et polivisse lapidea sua et marmorea opera, in ipso antro lapicidinae, antequam a patenti aere indurarentur: Sed omissa disputatione, proponam aliquot notas, de dispositione Sculpturarum, quia de delectu jam ante egimus.

Primo omnium, ne nimis magnus sit numerus; qui faceret domum videri pinacothecam. Atque in hoc moralis Philosophia quae moderatur phantasias, dominatur Arti. Et specialiter ut justum sit moderamen in primo accessu; in quo Auctores nostri magis probant Doricum quam Corinthium ornatum. Itaque si majus ostium sit arcuatum, cum habebit insigne caput e lapide aut marmore exsculptum pro clusura Arcus, et duae imagines incumbant venustae, una versus alteram acclinatae, quasi inter se collaturae: Opinarer, hoc oblectamentum primae judiciosi oculi exceptioni sufficere debere: cui secundo addi vellem duas magnas erectas statuas ad utrumque latus pavimenti quod ducit intra aedificium, ita ut spectator in primo ingressu aciem oculorum per medium illarum possit conjicere.

Ut *Nichii* sive cellulae, si contineant simulacra ex albo lapide aut marmore, in concavitatibus non pingantur nimis atro colore. nam licet contraria juxta se posita magis elucescant, secundum veterem regulam; tamen subtiliter et recte fuit observatum, visum nostrum non satis probare tam subitos transitus ab uno extremo ad alterum; quare potius fuscum habeant colorem, quam absolute nigrum.

Ut subtiles et tenerae Sculpturae adjuventur vicinitate, et crassiores distantia. Quod apparuit in veteri controversia inter *Phidiam* et *Alcmenem* circa Veneris statuam; in qua prior ostendit prudentiam, et pepercit operae, quia opus spectandum erat in magna altitudine, quae mergebat suaves et diligentes adversarii ductus. Nobilis haec fuit aemulatio inter duos principes artifices, et a Graecis Poetis celebrata.

Ut in collocatione statuarum erectarum, constituantur nonnihil se inclinantes introrsum, ideo quod (inquit Magister noster lib. III. cap. 3. ex arte nobiliori, quam sua (*cum steterimus contra frontes, ab oculo lineae duae si extensae fuerint, et una tetigerit imam operis partem, altera summam, quae summam tetigerit, longior fiet. Ita quo longior visus lineae in superiorem partem procedit, resupinatam facit ejus speciem. Cum autem (uti supra scriptum est) in fronte inclinata fuerint, hinc in aspectu videbuntur esse ad perpendiculum et normam.* Quod *Albertus Durerus* exacte docuit in sua Geometria. Vitruvius noster vocat hanc affectionem in oculo resupinationem imaginis. Pro quo verbo (ipsi peculiari ut opinor) non minus ipsi debemus, quam pro ipsa observatione. Atque haec breviter sufficiant de delectu et usu harum ornantium Artium. Nam loqui de ornatu structurae, per integrum ordinem erectarum statuarum circum ambitum uniuscujusque contignationis, magis convenisset Athenis aut Romae, cum vel maxime florerent, cumque (ut Plinius testatur de suo aevo) pene tot sculptae essent imagines, quot homines viventes; nobili contentione inter Artem et Naturam de foecunditate: qui locus arguit non modo summam copiam, sed et magnifica et plena majestatis desideria etiam in privatis illius aevi, plus minusve secundum ipsorum fortunas. Certumque est, marmorea monumenta et memorias virorum bene de Repub. meritorum, quibus publicae viae utrinque quasi sparsae erant, non tam fuisse nudum et transitorium oblectamentum oculorum, aut suavem temporis deceptionem itinerantibus: verum et secretum et potentem influxum habuisse, ad ipsius Monarchiae provectum, per continuam repraesentationem exemplorum virtutis; ita ut Ars fieret pars imperii.

Porro sicuti Picturam et Sculpturam subordinavi Architecturae, tanquam ipsarum Dominae, ita sunt inferiores quaedam artes illis subordinatae; Ut picturae *opus Musivum*; Sculpturae *Plastice*; quas duas tantum nomino, quia aptissimae sunt ad ornandum fabricas.

Musivum est genus picturae, per parvos calculos, conchylia, et testas varii coloris, et posterioribus seculis etiam particulas vitri, ad libitum figuratas: ornamentum revera magnae pulchritudinis, et aevi; sed et maximi usus in pavimentis.

Plastice autem, non subest tantum Sculpturae, sed revera et ipsa est Sculptura, verum hac differentia, quod Plastes formet imagines addendo, sculptor adimendo. De quo festive *Michael Angelus*, Sculpturam haud aliud esse quam purgationem a superfluis. Deme enim a ligno aut lapide omne quod superfluum est, et reliquum erit imago quam intendis. Plastices hujus usus praecipuus est in venusta concameratione aedium. Itali autem potissimum usurpant, frontispicia fumariorum adornando majoribus figuris. Opus magnificum, haud magnae impensae, et pene tam durabile introrsus, quam duriores formae extrorsus. Atque hic praetermittere nequeo perbrevem digressionem, nimirum horum morem deformandi fumariorum gulas in varias figuras, quarum nobilissima

est pyramidalis; opus sane politae et civilis prudentiae, ipsos conductus fumi et fuliginis convertendi in ornamenta. Atque haec hactenus de corpore aedificii.

Porro sunt ornamenta forinseca, ut horti, fontes, luci, conservatoria variorum quadrupedum, avium, piscium. Quarum ignobiliorum creaturarum, dicit maximus Auctor inter Naturae filios Aristoteles lib. v. de partib. animal. *Non oportet pueriliter despicere ignobiliorum animalium contemplationem: in omnibus enim rebus naturalibus inest aliquid admirabile.* De his externis delectamentis verbum unum atque alterum.

Primum notanda diversitas quaedam inter Structuras et Hortos; nam cum aedificia oporteat esse regularia, ita hortos quodammodo irregulares, aut saltem valde ruditer regulares. Exemplo demonstremus: Vidi Hortum (quoad modum forte incomparabilem) cujus primus introitus erat eminens ambulacrum instar porticus, a quo despectus erat in totam aream inferiorem, sed potius secundum delectabilem confusionem, quam planam partium distinctionem. Ab hoc spectator descendens per multos gradus, rursus ducebatur per varios ascensus et descensus ad varia oblectamenta odoratus et visus; quae non opus est describere; (esset enim Poeticum:) tantum observabo, singulas varietates ita fuisse dispositas, quasi magice transportatae fuissent in novum hortum. Licet autem aliae regiones magis solis beneficio fruantur quam nostra, et propterea aptiores sint ad has voluptates, tamen conspexi in hac nostra, tam delicatam et diligentem curiositatem, sine parallelo inter alias nationes, videlicet, in horto *Henrici Fanshaw* equitis ad mansionem ipsius in *Ware-parke*, ubi, ut probe memini, tam accurate examinaverat tincturas, et tempestates suorum florum, ut in disponendo eos, intimi illorum qui eodem tempore proventuri erant, paulo saturatiores essent quam extimi, atque ita pro subtili quadam umbra servirent, quasi opus non naturae fuisset, sed artis. Cujus hic per occasionem visum mentionem facere, propter amicitiam quae diu inter nos viguit, quanquam fateor cum injuria reliquarum illius virtutum, quae magis solidam memoriam postulant, quam inter festivas hasce observationes. Atque haec de Hortis.

Fontes aut sunt figurati aut solum meri aquaeductus. Utrorumque describam incomparabile exemplar. Primum factum nobili manu *Michaelis Angeli Buonaroti*, in figura agrestis foeminae lavantis et exprimentis lineos pannos, quo actu exprimit aquas fontis; quae erat venusta et naturalis inventio Artificis, docens hoc praeceptum; omnes deformationes in hoc genere proprias esse oportere.

Alterum requirit largiorem expressionem: Vadit longum, rectum, herbidum seu muscosum ambulacrum convenientis latitudinis, sub pedibus molle, marginatum ab utroque latere aquaeductu e candido saxo, pectoris altitudine, cum concavo canali in fastigio, ubi pulcher rivus labebatur, ad cujus aciem collocati erant frequentes tenues fistulae plumbeae in exiguis foraminibus, tam eleganter, ut vix percipi possint, donec manubrioli versatione, evomant aquam ab uno latere ad alterum alternatim, ad humanam altitudinem, figura arcus, sine ulla intersectione aut obviatione sursum, quia fistulae non sunt directe oppositae, ita ut spectator, praeter id quod labitur in aquaeductum utrimque in illius conspectu, ambulet sub continuo hemisphaerio aquae, nec gutta ulla in ipsum decidat. Inventio ad refrigerandum sane plurimum excellens omnes Alexandrinas delicias, et pneumatica Heronis.

Speluncae, et artificialia inventa sub solo, magnae sunt expensae, et exiguae auctoritatis, quae mea sententia optem conversa in illas cryptas, quarum mentio inter curiosa opera *Tychonis Brahae* Danici Ptolemaei, uti merito ipsum appello: quae erant profundae in hortis concavitates, in quibus stellae observari possunt ipso meridie. Nam (obiter) putare, lucidissimum solis corpus sursum, mergere aspectum minorum luminum, error est popularis; cum solum impedimentum existat splendor, qui per reflexionem se spargit supra nos a facie terrae; ita ut caveae supra dictae non conducant ad deliciosum, sed doctum oblectamentum.

In *Aviaria* viminea, ad alendum omnis generis volucres, Itali (licet haud prodiga natio) in quibusdam locis vastas faciunt expensas, includentes magnum terrae spatium, varios frutices et sublimes arbores, rivos, et caldarium nonnunquam adjunctum ad aerem hybernum temperandum: ita ut hae cantatrices, nisi forte magis delectentur volatu quam cantu, diu vivere possint, tam apto et commodo loco, antequam se captivas agnoscant; ita ut mihi in memoriam revocent sententiam Romani illius Stoici, qui, comparatione liberae suae contemplationis, judicabat, magnas et splendidas sui aevi fortunas, paulo minus esse quam commodos carceres.

Quoad *Piscinas* delectabiles circa aedes, referam me ad gravem Auctorem nostratem, (quanquam magis illustrem ob aliud ipsius opus de Nugis Curialium) nimirum *Sarisburiensem* de Piscina. Atque hic finem imponam secundae parti de ornamentis tam intrinsecis quam extrinsecis aedificiorum.

Nunc, sicuti plerique qui tradiderunt elementa Logicae, vulgo concludunt capite de methodo; hic abripior spiritu quodam critico, et aveo hanc aedificationem Elementorum concludere methodica directione judicandi de fabricis jam structis. Etenim sine contractione judicii, quod se perdidit per tot particularium diffusionem, existimarem magis arduum, bonum esse censorem, quam Architectum; quia operans adjuvari potest deliberatione, sed judicium oportet fluere ab extemporaneo habitu. Quare (ne hanc partem fraudem aliquo lumine) optarim eum qui judicaturus est de aliquo nobili opere, primo examinare se ipsum, utrum forte aspectus multarum eximiarum rerum ante (quarum formae veluti impressae manent) illum aptum reddiderint nihil bonum credere, praeterquam optimum; nam hic humor foret nimis acer. Dein, antequam accedat ad constituendum aliquam imaginabilem opinionem, omnibus modis satagat se informare exacte de aetate operis, de quo judicaturus est. Et si reperiat, apparentes ruinas excedere proportionem temporum, concludat sine ulteriori inquisitione, uti absolutum decretum, aut materias fuisse nimis viles, aut situm improbum. Porro, si post haec praemissa, domus deprehendatur bene aetatem suam ferre, (quae semper est nota firmae constitutionis) tunc subito retro currat (nam methodus censendi contraria est methodo componendi) ab ornamentis quae oculum alliciunt, ad magis essentialia membra, donec aptus sit concludere, opus esse commodum, firmum et delectabile, quae (ut dixi initio) sunt tres conditiones principales requisitae in probis aedificiis, apud omnes auctores tam veteres quam recentiores. Et haec est, ut ita dicam, magis scientifica via censendi. Sunt aliae haud negligendae. Prima, apud *Georgium Vasarium*, ante laboriosum illius opus de vitis Architectorum, obiter examinare totum aedificium secundum qualitates hominis bene facti. nimirum an parietes stent perpendiculariter supra puram fundationem; utrum fabrica sit

pulchrae staturae; utrum quoad latitudinem appareat satis obesa; an principalis introitus sit in medio frontis aut faciei, ut os nostrum; an fenestrae, ut oculi nostri, aequali numero sint positae in utroque latere; utrum ministeria, ut venae in nostro corpore, utiliter distributa; et ita porro. Nam haec allegorica disquisitio extendi potest, quousque libet ingenio otioso.

Secunda via est in *Vitruvio* ipso lib. 1. cap. 2. ubi summatim determinat sex considerationes, quae hanc Artem absolvunt: *Ordinatio, Dispositio, Eurythmia, Symmetria*, *Decor et Distributio*. Quarum, mea sententia, duae priores praeteriri possunt. Nam quantum intelligo, aut ex illius interpretibus, aut ipso textu, (qui in illo loco, in quo forte clarissimus esse debebat, est maxime obscurus) per *ordinationem* nihil aliud indicat quam constitutionem moduli totius operis; nec per *dispositionem* amplius quam planam et plenam expressionem primae Ideae aut designationis illius; quae forte magis pertinent ad artificem quam censorem. Reliquae quatuor sufficiunt ad damnandum aut absolvendum quamcunque fabricam. Quarum *Eurythmia* est grata illa *Harmonia* inter latitudinem, longitudinem, et altitudinem omnium conclavium structurae, quae ubi adest rapit quemque spectatorem per secretam potentiam proportionis: in qua hoc solum liceat notare; quod, licet minimis error vel offensa quae committi potest contra visum, est excessus in altitudine; tamen hoc vitium nusquam non magni est momenti, quia maxime offendit marsupium.

Symmetria est convenientia quae discurrit inter partes et totum, de qua ante dixi.

Decor est custodia justi respectus, inter habitatorem et habitationem. E qua *Palladius* concludebat, principalem introitum nunquam regulandum secundum certas dimensiones, sed secundum dignitatem domini; tamen, peccare potius in excessu, quam defectu, argumentum est generositatis, et potest semper excusari nobili aliquo Emblemate aut inscriptione, ut illa *Comitis de Bevilacqua*, super ejus largam portam Veronae, ubi forte commissa erat nonnulla disproportio.

Patet Janua: Cor magis.

Atque mihi hic commemorandus est noster semper memorabilis Eques *Philippus Sidneius*; (cujus ingenium revera erat regula congruitatis) qui sciens Basilium (uti depinxit dignitatem illius mentis) potius caruisse extraordinariis quibusdam formis ad oblectandum fantasiam suam, quam spatio pro aulicis, contentus fuit illum locare in stellaeformi cubiculo, quae alias fuisset, severo judicio Artis, incommoda figura.

Distributio est idonea dispositio omnium conclavium ad ministeria, receptum, aut voluptatem; de qua ante prolixius egi, quam de ulla alia parte.

Haec sunt quatuor capita quae unumquemque obire oportet, antequam determinatam censuram agat operis quod examinat; quibus concludam hanc postremam partem de ornamentis. Adversus quae videor mihi audire objectionem, etiam bene sentientis viri, has delectabiles Artes variis modis male posse applicari. Fatendum sane est, posse et lascivum, et similiter superstitiosum esse usum; tam Picturae quam Sculpturae. Cui possibilitati male applicandi, non tantum subjectae sunt semi-liberales hac Atres, sed etiam summae perfectiones et beneficia Naturae. Ut pulchritudo in meretrice, Eloquentia in homine seditioso, audacia in sicario, prudens observatio horarum et humorum in Au-

lico corrupto, ingenii acumen in seductore scholastico; et similia. Quin imo, liceat quaerere, quae Ars potest esse magis perniciosa, quam ipsa *Religio*, si convertatur in Artis instrumentum? Quapropter *ab abuti ad non uti, negatur consequentia.*

Cum itaque jam quadantenus consuerim has Animadversiones de Architectura, et ornamentis illius: sentio jam, spiritus contemplativos tam inquietos esse, quam sunt activi: nam dubitans apud me ipsum (ut omnis imbecillitas est suspiciosa) existimari posse me inopes meas observationes in exteris partibus consumsisse tantum in lapide et ligno, et similibus rebus vilibus; ducor jam ad immodestiam promulgandi aliud opus, quod diu devovi servitio Patriae; videlicet, Philosophicam indaginem Educationis Liberorum, quae revera est altera aedificatio, aut reparatio Naturae, et, ut licet nominare, genus moralis Architecturae; de qua Notas, quas collegi in itineribus aut habitationibus exteris, spero me editurum sine publica offensa, quanquam ea libertate quae planum Cantianum decet. Interea hanc farraginem emisi foras, ut avem ex arca, ad observandum, quae semita pateat illi quae secutura est.

FINIS

SCAMILLI IMPARES
VITRVVIANI

A BERNARDINO BALDO VRBINATE

NOVA RATIONE EXPLICATI

REFVTATIS PRIORVM INTERPRETVM

GVLIELMI PHILANDRI
DANIELIS BARBARI
BAPTISTAE BERTANI

SENTENTIIS

SCAMILLI IMPARES VITRUVIANI
A BERNARDINO BALDO
EXPLICATI

SCAMILLOS impares Vitruvianos explicaturi a re haud alienum esse duximus, primo loco Vitruvii verba, tum demum ea quae Gulielmus Philander, Daniel Barbarus et Baptista Bertanus commenti sunt, in medium afferre. Ita igitur Vitruvius l. 3. cap. ultimo.

Sin autem circa aedem ex tribus lateribus podium faciendum erit, id constituatur, uti quadrae, spirae, trunci, coronae, lysis, ad ipsum stylobatam, qui erit sub columnarum spiris, conveniant. Stylobatam ita oportet exaequari, uti habeat per medium adjectionem per Scamillos impares: si enim ad libellam dirigetur, alveolatus oculo videbitur. Hoc autem, uti Scamilli ad id convenienter fiant, item in extremo libro forma et demonstratio erit descripta.

Item libro quinto cap. 9.

Si corinthia erit (de columna loquitur) *scapus et spira uti in Jonica: Capitulum autem, uti in quarto est scriptum ita habeat rationem: stylobatisque adjectio, quae fit per Scamillos impares, ex descriptione quae supra scripta est in libro tertio sumatur.*

EX GULIELMI PHILANDRI
in Vitruvium annotat. l. 3. cap. ult.

Scamilli hic et libro quinto capite nono, videntur dicti quasi gradilli: quid autem significent in stylobatarum adjectione, non liquet, et descriptionem pollicebatur Vitruvius designaturum se extremo hoc tertio libro, sed periit, ut illa de adjectione in mediis columnis proximo capite promissa, et aliae multae, quas recensuimus libro primo capite sexto. Si quid postea judicium aut anni afferent, non invidebimus studiosis eam utilitatem. Me profecto nequicquam poenitebit mei, si huic authori, instructissimo, sed lacero, et obscuro, aliquid opis attulero; nam locis omnibus lucem afferre, prorsus est facultatis et eruditionis majoris quam in me profitear. Exorietur spero aliquis, qui meo exemplo excitatus, id praestabit, aut fiet ut aetas ventura demat eis tenebras.

Item in libro quinto capite nono

Ampliavimus libro tertio cum diceret, ita exaequari oportere stylobatas uti haberent per medium adjectionem per scamillos impares. Quid vero jam tunc suspicaremur, libet hoc loco exponere: nam fortasse non fallet a divinatione petitum auxilium. Quid enim hujusmodi in rebus aliud facias? Eandem plane habuisse in stylobatis rationem Vitruvium, quam in columnis putabamus. Atqui ex ejus sententia (perierat enim promissa deformatio) demonstraveramus, columnis veluti ventrem adjici, (Tab. A. Fig. 1.) *ut intumescerent in medio, capitibus summo, et imo contractis et diminutis. Itaque cum intelligeremus Athenis urbe Graeciae vetustissima, etiam hodie ostendi stylobatas ad basis plinthi latitudinem non respondentes (quae alioquin forma est, et pulcherrima, et Romanis perpetuo usurpata) sed contractos, existimabamus Graecorum consuetudine per Scamillos impares, id est, ceu gradibus quibusdam, fieri adjectionem in mediis stylobatis, hoc est fieri ut gradatim a supremis atque infimis partibus quadratorum, quae coronicibus suis et basibus clauduntur, medium versus subturgerent et adaugerentur. Id cum non satisfaceret, coepimus et istud expendere. Initio stylobatam fuisse statim a fundamentorum substructione veluti perpetuum parietem, qui columnarum bases exciperet, ejus partem superiorem coronice, inferiorem basi, reliquo medio spatio ad libellam exaequato, ornari solitum. Eo modo cum esset, alveolatum visum fuisse; pari scilicet, praeter circumcurrentes partes, perpendiculo. Id, qui secuti sunt, cum vitare vellent, ad spirarum perpendiculum quicquid reperiebatur (spatio quod cum intercolumnio conveniebat sua relicta specie) efficiebant ut resiliret, sed nusquam magis, aut minus, quam ut ad amplitudinem plinthi basis praeter suas projecturas responderet, et intersepti sive plutei partes (ita voco quod ex stylobata non resilit) cum projectis partibus, id est coronix cum coronice, medium exaequatum cum exaequato medio, et basis cum basi consentirent. Hujusmodi resilientes stylobatas (quos nisi fallor Scamillos Vitruvius vocat, sive scabellos aut scamnulos, ut aliqui codices habent, impares autem, quod interstylobatis, idest interseptis, perpendiculo non responderent) cum magis ad rationem podiorum unde spectari soleat, pertinere arbitrarentur, aut quando sine apertionibus, id est sine podio, frontes vel latera aedificiorum fiunt, et columnae ita parieti adhaerent, ut pars tantum quota promineat (quod diximus hujus libri cap. 1. cum de parastatis loqueremur) ubi itiones habere vellent expeditiores, tantum ex illo perpetuo pariete sub basibus reliquerunt, amotis interseptis, quantum ipsis excipiendis satis esset. Ut sint omnino genera stylobatarum duo, perpetuum et expeditum. Illud, aut uno eodemque ducto percurrit, aut resilit ad spirarum perpendiculum. De expeditis, dixi libro tertio, ubi singulorum generum tradidi rationes. Posterioris nostrae sententiae inveni vindices, Antonium et Baptistam Saugallos Architectos insignes, ut minus me conjecturae poeniteat. Quod ad rem faciat, ex antiquorum monumentis aliud conjicere non potui.* Hactenus Philander, qui tres hic, quod ad hanc rem spectat, opiniones affert, postremam amplectitur. Nos primam et secundam (quod ipse praetermittit) figu-

ris illustrabimus. Tertiae quoque deformationem, quod et ipse fecit, oculis subjiciemus.

Ex eo qui nunc, ut ipse ait, Athenis visitur stylobata (Fig. 2.) AB truncus plintho contractior: CD plinthus extra solidum stylobatae projectus.

Perpetuus paries (Fig. 3.) sub plinthis basium non resiliens, stylobatarum vero vicem gerens.

Stylobatae (Fig. 4.) ad amplitudinem basium plinthi, a pluteo seu intersepto resilientes. Est autem Scamillus ea stylobatae pars, quae ab intersepto resilit. Est enim quasi quidam gradillus, scamnulusve, ut ita dicam, intersepti perpendiculo non respondens.

Examinatur conjectura Philandri

Primo negatur perpetuum parietem propterea alveolatum videri, quod praeter circumcurrentes partes, perpendiculo par existat. Id enim si fieret, omnes eodem pacto perpetui parietes alveolati oculo viderentur; quod sensu ipso judice nemo sanae mentis confitebitur. Praeterea dicimus nullam hic stylobatis fieri adjectionem, si quidem ipsis sub basium plinthis permanentibus, intersepta seu plutei in interiorem partem recedunt. Caeterum notatu dignum est Vitruvium affirmare, non ideo stylobatam alveolatum videri, si ad perpendiculum sit exaequatus, sed si ad libellam, quae quidem exaequatio longe ab ea distat, quae fit ad perpendiculum; si quidem quae fit per libellam, horizonti aequidistet, illa autem eidem sit πρός ὀρθάς, ut ajunt Graeci, hoc est erecta, seu ad pares eidem angulos constituta. Demum hanc Philandri exaequationem, tam facilem esse affirmamus, tam unicuique qui a primo saltem limine Architecturam salutaverit, expeditam, ut schemate illo atque demonstratione, quam pollicitus est Vitruvius, minus indigere videretur. His itaque hoc pacto examinatis, Philandrum a proposito sibi scopo aberrasse clare patet. Philandro itaque relicto, Barbarum eadem enarrantem audiamus.

Ex commentariis in Vitruvium libro tertio capite ultimo

Circa aedes podium ex tribus partibus constitui Vitruvius dicit. Nam a fronte gradus erant, nemo etiam vetat quin postico gradus darentur. Podium erat tanquam maenianum, quod nos pozuolum vocamus, constabat autem continenti ad stereobatis modum fabrica, sub columnis enim stylobatae positae erant, inter columnas autem, cum stylobatis conjunctus erat murulus, vel continenti lapide, vel columellis, et balaustiis interpositis, unde prospectus erat. Podii regula ea est, ut ea membra quae stylobatae habent, eadem et podium habeat, quae autem membra habere stylobata debeat, dicit esse quadras, spiras, truncos, coronas, lysis, id est, plinthos, bases, planum, et exaequatum medium, coronices et gulas, quae omnia membra et partes, podium quoque habere debet: sed hoc interest, quod stylobata resilit extatque, podium vero in partem contrahitur interiorem. Extantiam stylobatae Vitruvius adjectionem nominat, retractionem vero podii, id est

quicquid est inter stylobatas, alveolatum vocat. Quid vero per scamillos intelligat, quatenus ad rem pertinet, notum est, quatenus vero ad nomen, difficile est, quoniam eo vocabulo nullos alios usos memini me audivisse, vel legisse. Camillum in quarto libro pro loculamento ponitur in quo aliquid collocatur, eos enim quadros nominamus, id est marginatas tabulas, in quibus picturae ponuntur. Itemque capsum rhedae, et tympani receptaculum, Camillum dici potest, et demum quicquid rem unam ab alia separat. Unde apum cellae Camilli dicuntur. Cum igitur stylobata promineant, podium retrahatur, videtur podium esse luculamentum quoddam. Quod si scamillum a scamno ducatur, et stylobatas tanquam scabella esse intelligatur, idem sensus erit; atque hoc est quod ait Vitruvius, stylobatam ita oportet exaequari, ut habeat per medium adjectionem per scamillos impares. Si enim ad libellam dirigetur, alveolatus oculo videbitur, id est, si perpetua, et exaequata stylobatae et podii planicies erit, alveolatus oculo videbitur, quod indecens est. Nam podium continenter in ordine columnarum procedit, stylobatae resiliunt. Sed dolendum est non haberi Vitruvianam descriptionem, quam pollicebatur his verbis: Hoc autem uti scamilli ad id convenienter fiant, item in extremo libro forma, et demonstratio erit descripta. Hucusque Barbarus. Qui aut nihil dicit, aut si aliquid, eadem prorsus refert quae Philander, a quo (authore non laudato) omnia accepisse videtur. Porro quod de Camillo comminiscitur, somnio simile est, cum quia ejus vocabuli nullibi quarto libro (quod viderim) fiat mentio, tum etiam quod a Vitruvio retractionem podii alveolatum affirmet appellari, errat plane toto caelo Barbarus, neque enim de podii retractione loquitur Vitruvius, neque retractionem, de qua tacet, alveolatam profert. Adjectivum nomen esse, alveolatum dicerent Grammatici, ipsi stylobatae, tanquam substantivo inhaerens. *Si enim ad libellam dirigetur, alveolatus* (nempe stylobata) *videbitur.* Sed nil mirum Barbarum barbare locutum, ignoravit enim stylobatam masculini esse generis, unde ait, *sub columnis stylobatae positae erant.* Alibi masculini generis facit, *ad libramentum stylobatae sunt collocandi*: neutri etiam, *quae autem membra habere stylobata debent.* Sed haec levissima sunt, et grammaticorum castigationibus relinquenda. Certe eadem ratio, quicquid de reliquis sit, quae Philandrum confodit, Barbarum quoque jugulat. Diximus enim, nullam ob podii interseptive retractionem, ipsis stylobatis adjectionem fieri; detur quippe exstantiam stylobatae scamillum esse, nulla propterea per scamillum huic stylobatae adjectio facta est. Quod quidem his non respondet quae hoc loco praestanda esse manifeste docet ipse Vitruvius. Barbaro itaque cum suis Camillis et loculamentis praetermisso, ad Baptistam Bertanum accedamus; is enim, eo libello quem lingua vernacula de operis Jonici rationibus scripsit, probe auctoris mentem se assecutum profitetur. Nos igitur, ut hunc etiam minus recte ad veritatem collimasse ostendamus, ea quae ab ipso hac de re scripta sunt, in medium proferemus. Praepositis Vitruvii verbis: *Uti quadrae, spirae etc.* Illa etiam, quae paulo inferius posita sunt, subjungit.

Utique adjectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum.

Mox commentationem ingreditur, ita scribens, ut nos ex Italico sermone Latine vertimus.

Id quaerit Auctor, symmetrias quibus superiora epistyliorum membra

conformantur, adjectionibus quae fiunt ad medios stylobatas convenire, quas sane adjectiones paulo ante docuerat, per scamillos seu gradillos impares fieri oportere: quo quidem hoc pacto praestabitur. Addatur stylobatae trunco (Fig. 5.) *sexta pars crassitudinis columnaris scapi, ita ut dimidium hinc, et dimidium inde ipsius sextae partis apponatur, dimidium postea totius altitudinis stylobatae in partes septem dividatur, quarum una cymatio dabitur, cujus quidem prominentia ipsam altitudinem aequabit, quod reliquum est, in duodecim partes secabitur, quarum tres primae fasciae, quatuor secundae (quae ad medietatem usque primae adjectionis eminebit) quinque demum tertiae ascribentur, cujus eminentia quod reliquum est ejusdem adjectionis implebit. Porro eadem ratione aliam stylobatae partem conformabimus. Quibus absolutis, habebimus stylobatam cum adjectionibus per medium, eodem ordine quo epistylia conformantur, et hoc ad auctoris mentem, nempe, Uti habeat per medium adjectionem per scamillos impares. Etenim stylobata habebit per medium adjectiones per scamillos seu gradillos impares. Qui quidem stylobata si operi adhibeatur, alveolatus oculo videbitur, speciem scilicet vasi prae se ferens ventre turgidulo, et collo pedeque leniter ad gracilitatem contracto. Porro scamilli stylobatis ipsis convenient, eo quod derivationes ab epistyliis habeant, et epistylia ab ipsis. Coronae demum stylobatae addendae altitudo quartam scapi columnae partem aequabit, quae tota in partes septem secabitur, quarum una cum dimidia echino tribuetur, qui ad quadrantem circuli conformabitur, tres reliquae coronae ipsi dabuntur cum cymatio; quae quidem a stylobata tantum exstabit, quantum ipsemet plinthus. Cymatium porro coronae sexta parte altum erit: gula autem, quae et lysis dicitur, una cum labio duas partes cum dimidia accipiet, et tantundem prominebit. Caeterum stylobatam hac eadem ratione conformatum in Exquiliis vidimus prope Divae Mariae Majoris templum, in hortis Dominici Blanchini Patricii Romani, qui licet injuria temporis male haberet, ornamentorum nihilominus quae praediximus vestigia retinebat: Quae omnia inferius ad ipsiusmet auctoris nostri mentem lineavimus.*

Post haec ita pergit:

Multi sane putarunt se veram intelligentiam eorum, quae a Vitruvio scripta sunt, posse absque praxi adipisci, non pauci quoque theoricae expertes, eadem exponere sunt conati. Verum neutrum me judice quisquam humanitus potest assequi: nam praxis et theorica, utraque extremis terminis unico spiritu conjuncta est adhibenda, ut tanti auctoris docta simul, et concisa scripta intelligi valeant. Cum autem ad hanc usque diem altera ab altera divisae fuerint, factum est, ut diversi illa diversimode exposuerint, variasque opiniones in medium attulerint. Uti apud F. Jucundum, Albertum Durerium, Baptistam Albertum, Caesarem Caesarianum, Sebastianum Serlium, Gulielmum Philandrum, Danielem Barbarum, videre licet. Praecipue ad ea verba, quibus auctor agit de scamillis imparibus. Nam nonnulli quid senserint dubie explicarunt, alii pro certo affirmarunt intelligenda de ipsorum stylobatarum a podii superficie resilitionibus. Quae opinio (bona eorum pace) tantum a vero auctoris sensu abest, quantum a tenebris lux ipsa. Si enim ejus verba diligenter examinare velimus, ita aperta et cla-

ra inveniemus, ut nullo pacto de ipsis resilitionibus interpretari queant. Dicit enim,

Stylobata ita oportet exaequari, uti habeat per medium adjectionem per scamillos impares.

Unde manifeste colligitur, Vitruvium id solum sibi velle, ut adjectiones stylobatae faciat, easque per scamillos seu gradillos impares: quod evidentius ostendit tertio libro, inquiens, Utique adjectio in stylobatis facta fuerit in superioribus membris respondeat symmetriae epistyliorum. Tam igitur ex his, quam ex illis verbis, clare cognoscitur, Vitruvium de stylobata tantum verba facere, ejusque adjectionem velle fieri ad instar ejus quae est epistyliorum, porro epistyliis adjectio facta est membrorum. Etenim antiquis mos fuit tigna, arcuum vice, columnis superponere, unde architravium nomen ab arcu, et trabe compositum: caeterum ipsis trabibus ornatus gratia ex materia adjectionem quandam per scamillos impares fecere, quos quidem scamillos gradillosve ea ratione absolverunt quam Vitruvius attulit, quae postea species per elegantiores Architectos a molli materia ad lapidum duritiem translata fuit. Haec pauca dixisse sat fuerit, utpote necessaria ad enucleandam difficultatem quaestionis illius, de qua superius verba sunt facta.

Hucusque Bertanus, cujus stylobatae scamillati speciem ut melius cognoscatur, oculis subjicimus in Tab. A. Fig. 6.

Certe haec Bertani deformatio nonnullis Vitruvii verbis ita quadrat, ut primo intuitu his, qui ad vivum veritatem non penetrant, plausibilis possit videri. Adjectio hic fit stylobatae, et haec per scamillos impares, fit per medium, et ita fit, uti quae adjectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondentem habeat symmetriam epistyliorum. Praeterea, si fides Bertano, vetustorum marmorum nititur auctoritate. Hisce tamen non obstantibus, Bertanum a vera auctoris intelligentia aberrasse, inque verbis illius interpretandis hallucinatum esse, facile patebit. Ea enim veritatis est vis, ut simulac e tenebris emerserit, quaecunque praestigiosa et fucis illita veritatis ipsius speciem prae se ferre videbantur, expellat, labefactet, destruat. Primum igitur Vitruvii verba depravasse, vel e luxato, et mendoso Codice descripsisse clare patet. Ait enim, *ad ipsam stylobatam, qui*: Item *sub columna spiris conveniant*, pro, *sub columnae spiris conveniat. Stylobata ita oportet exaequari*, pro, *stylobatam ita oportet exaequari. Scamillo ad id convenientes fiant*, pro; *scamilli ad id convenienter fiant. Utique adjectio in stylobatis*, pro, *uti quae adjectio in stylobatis.* Ex his facile cognosci potest, ipsum latina aut penitus ignorasse, aut tenuem saltem, et obscuram eorum notitiam habuisse. Quae cum ita sint, nulli mirum si luxatis Vitruvii verbis, et perperam interpretatis, a vera auctoris mente exciderit: si quidem, ut ait Philosophus, verba eorum, quae sunt in animo passionum, quae vero scripta sunt, eorum, quae in verbis, signa sunt. Sed esto Bertanus verba verborumque vim optime calluerit, dicimus, eum nec veritatem e tenebris liberasse, nec quae attulit de suo protulisse; etenim Philander longe ante ipsum hanc fere per scamillos adjectionem excogitaverat, atque eandem veluti ineptam, et ad auctoris mentem nihil facientem, repudiaverat. Ita enim Philander, *existimabamus*, inquit, *Graecorum consuetudine per scamillos impares, id est ceu gradibus quibus-*

dam fieri adjectionem in mediis stylobatis, hoc est fieri, ut gradatim a summis atque infimis partibus quadratorum, quae coronicibus suis et basibus clauduntur, medium versus subturgerent, et adaugerentur. Id cum non satisfaceret, coepimus et istud expendere. Haetenus Philander, ex cujus verbis deformatum stylobatam in superioribus lineavimus. At dicet fortasse Bertanus, non utique cognovit Philander adjectionis hujus, et scamillorum symmetriam de epistyliis esse petendam: optime. Sed quid dices Bertane, si aliter ea verba intelligenda esse, ac tu intellexisti, ostendemus? Negas? Quomodo illa explicas? *Si enim ad libellam dirigetur, alveolatus oculo videbitur.* dicis. *Stylobata habebit per medium adjectiones per scamillos seu gradillos impares. Qui quidem stylobata si operi adhibeatur, alveolatus oculo videbitur, speciem videlicet vasis prae se ferens, ventre turgidulo, et collo pedeque leniter ad gracilitatem contracto.* Satis sanus es? non ne vides tunc alveolatum oculo non se ostensurum stylobatam, si adjectio ex Vitruvii praescripto facta fuerit? Venenum certe aegro antidoti loco propinasti. Si scamilli non addantur, alveolatus oculo videbitur, scamillos addis, alveolatus non apparet. Quid addis si contra mentem authoris addis? Porro quod antiquum te stylobatam in Exquiliis vidisse affirmas, nihil fere facit ad rem, multa enim fecere antiqui, quae nisi eum vitio imitari nemo queat. Quid? nonne in pervetusto templo quod adhuc Tiburi visitur, et in Ariminensi fornice, Corinthiae bases nullos plinthos habent? Nonne contra Vitruvii praescriptum, et antiquorum Graecorum usum, Romae in Titi Vespasiani et Constantini fornicibus, et alibi, denticulos videas sub mutulis positos? licentia haec est, et non imitanda licentia, licet et haec suos habeant vindices, et imitatores. Utique hoc ingenii sui, ut ipsi visum est, partu ita mirifice Bertanus est delectatus, ut loco ornamenti stylobatam hujusmodi marmoreum ostio domus suae, quae Mantuae est, adpactum, aeternae memoriae consecraverit. Frustra tamen labores prodegit, quando usus ipse, et communis hominum consensus, iis, quae pro sua sibi libidine finxerat, auctoritatem ademit. Nos igitur Bertano praetermisso, rem hanc novissime omnium aggrediemur, et quid hae in re illustranda ingenio possimus, periclitabimur. Principio cum assiduis cogitationibus rem hanc animo versarem, illud occurrebat; fieri posse, scamillos Vitruvium tympana quaedam appellasse, stylobatae trunco appacta, et quota eorum parte exstantia, ne scilicet alveolatus oculo videretur. Primo itaque simplex adjeci tympanum, quasi scamillum ab exaequata stylobatae planicie protuberans, mox huic tympano aliud impar, hoc est, minus apposui, quasi alterum scamillum, ut hoc pacto ex Vitruvii praecepto stylobata per medium adjectionem per scamillos impares sortiretur. Ejus rei figuram exemplarve hujusmodi exhibemus (Tab. B. Fig. 7.) A simplex tympanum, B duplex.

Haec mihi cum multis de causis minus satisfacerent, primum quod exemplum nullum ejusmodi scamillorum apud antiquos invenirem, tum quod vero minus simile videretur, Vitruvium rem tam facilem et exiguam, ita religiose, eaque constantia praecepisse; ad alia me conferens, in iis tandem quae modo allaturus sum, animo conquievi.

Certe durum mihi videbatur, stylobatae superficiem ad normam coaequatam, alveolatam Vitruvium appellasse. Quis etenim mente constans, exaequatam com-

planatamque superficiem alveolatam sibi videri affirmet? aliam igitur causam, propter quam alveolatus stylobata diceretur, pervestigavi, et veritatem ipsam, ni fallor, inveni. Alveus, Varone teste, cava cortex est, ubi quid propter concavitatem reponitur, Vas quoque, in quo apes mellificant, unde Tibullus,

Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.

Sed et tabula lusoria ad latrunculorum ludum accommodata, alveus dicitur, nos tabulerium vernacule appellamus. Unde Plinius, *Messala diem natalis sui egit, transtulit alveum cum tesseris lusorium.* Alveatum itaque, hoc est, in alvei modum excavatum, vel ut ait Vitruvius alveolatum, id omne dicitur, quod excavatum est. Unde Cato de re Rustica, *sulcos*, ait, *si locus aquosus erit, alveatos esse oportet.* Alveolatum igitur stylobatam illum recte appellabimus, qui ad instar alvei excavatus videatur, licet ad libellam exaequatus. Formam itaque alveolati stylobatae oculis subjicimus.

Sitque alveus ubi (Fig. 8.) A cur autem adjectione juxta Vitruvianum praescriptum per scamillos non facta, alveolatus oculo stylobata, licet non sit, appareat, deinceps patefacicmus. Esto enim stylobata (Fig. 9.) A, cujus ad libellam constituta planicies BC basis suppositae plinthus En oculus H. Dico oculo in H constituto, stylobatam A alveolatum videri. Ducatur recta HCG quae quidem visionis radius est, erit igitur stylobatae planities B C horizontis loco, quare plinthi latus Gn erit ac si intra alveum quendam immersum esset, oculo enim in H constituto non apparebit, sed erit ac si thorus ipsi BC planiciei impositus esset; basis itaque ipsi oculo in H constituto plintho carens videbitur. Cui quidem vitio occurrere volens Vitruvius, adjectionem per scamillos, ut ex ejus verbis colligi potest, excogitavit.

Ut autem stylobatae alveolatio, et plinthi in ejus alveo immersio lucidius appareat, inferiorem apposuimus deformationem. Esto enim oculus in horizonte ipso ubi (Fig. 10.) BK basis autem plinthus alveo immersus EG. Quibus constitutis, basis ipsa absque plintho apparebit, quod utique oculo in H constituto in superiore schemate apparere docebamus.

Remedium quaeritur. Esto idemmet stylobata (Fig. 11.) A, cujus planicies ad libellam exaequata BC addatur itaque per medium stylobatam scamillus KL cui quidem imponatur basis plinthus DF sit autem oculus, ut in prima figura ubi H erit opticus radius linea ipsa HCF oculo igitur in H posito, omnia ea exstantia apparebunt, quae supra punctum F fuerint constituta, at supra au lineam integra basis posita est, adjecto igitur scamillo KL stylobata, quod ad integrae basis visionem pertinet, oculo H alveolatus non videbitur, quod sane ex Vitruvii praescripto efficiendum fuerat.

His igitur ita uti dictum est constitutis, debita basis integrae species, ut

ex sequenti schemate apparet, se se ostendet. Eadem enim species adjecto scamillo oculo (Fig. 12.) H se se offeret, atque occurrebat oculo in K stylobata absque scamillo existente.

OBJECTIO

Sed objiciet fortasse quispiam, Vitruvii regulam universalem esse; neque enim ait, stylobatam oculo eminentiorem, ita oportere exaequari, uti habeat per medium adjectionem per scamillos impares, sed simpliciter de quocumque stylobata verba facit, par itaque est adjectionem, de qua Vitruvius, unicuique stylobatae deberi.

DILUTIO

Respondemus, minus oportuisse Vitruvium se de eminentiore stylobata locutum declarare. Nemo enim non videt, illum tantum stylobatam, qui oculo sit elatior, alveolatum videri, atque ideo scamillorum adjectionem juxta praescriptam rationem postulare; utique scamillorum adjectio medicina quaedam est, quare, sicuti potionem aegris tantum propinamus, ita scamillorum adjectionem illis tantum stylobatis facimus, qui si scamilli non adderentur, alveolati (veluti ostensum est) apparerent. Nec frustra, me judice, ait fieri debere per scamillos impares, siquidem altiores stylobatae altiorem, humiliores vero humiliorem scamillum requirunt, et certe haec per scamillos facta adjectio, per medium stylobatam adjectio appellanda est. Quandoquidem scamillus ipsi stylobatae adjectus, altiorem et augustiorem, ut ita dicam, ipsum stylobatam reddit. His declaratis, ad difficillimum ejusdem auctoris locum, qui paulo infra est, elucidandum accedemus. Ita enim obscurus est, ut nisi ab iis, quae a nobis declarata sunt, auxilium petas, frustra fere in eo intelligendo labores. Vitruvii verba hoc loco a nobis repetita ita habent:

Capitulis perfectis, deinde in summis columnarum scapis non ad libellam, sed ad aequalem modulum collatis, uti quae adjectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum.

Philander judicii alioquin acerrimi vir, et in hoc auctore illustrando caeteris omnibus longe praestantior, locum hunc difficultate, ut puto, rei deterritus, vel ne bis ad eundem, ut ajunt, lapidem offenderet, sicco pede pertransiit. Barbarus autem, ne quis illum eo nomine reprehenderet, rem totam hisce verbis explicavit.

Locus hic videtur locum illum declarare in quo dixit de adjectione stylobatarum. Nam monet, nos capitulos debere collocare non ad libellam, sed resilientes, uti respondeant adjectioni stylobatarum. Intelligit autem de his partibus, quae supra capitulum in epistyliis collocantur. Nam supra capitulum respondentes partes in epistyliis resiliunt, et partes interpositae retrahuntur; habent tamen eadem membra, et easdem partes, quemadmodum podium habebat eadem cum stylobatis, scilicet quadras truncos, lysis, et alias. Hujus exemplum est superius in descriptione ultimi templi, ubi podium positum est. Hucusque Barbarus, cujus schema ex eodem loco petitum, ocu-

lis proponitur (Tab. C. Fig. 13.) AB scamilli juxta Barbarum epistyliis adiecti atque resilientes.

Primum quaero, num ex Vitruvii verbis capituli, vel epistylia resilire debeant, hoc est, ad libellam non collocari? Certe de capitulis loquitur auctor, ita enim ait, *capitulis non ad libellam, sed ad aequalem modulum collocatis, etc.* Idem fatetur Barbarus hisce verbis, *Nam monet, nos capitulos debere collocare non ad libellam, sed resilientes, uti respondeant adjectioni stylobatarum.* Quae cum ita sint, haud recte facere videtur Barbarus, qui pro capitulis epistylia resilire facit. Respondebit forsitan, si capituli resilire non possunt, epistylia saltem ipsa resilient. Haeret Barbarus, vel incidit in Scyllam, dum vult, ut ait Poeta, vitare Charybdim. Utique, etsi scamillos epistyliis adjicias, quomodo capitulos ad libellam non collocas? certe ad libellam collocasti: si enim supremas eorum planities libella perpendes, ad libellam dispositos esse comperies. Perperam igitur explanasti; propterea quod ea, quae a te proponuntur, auctoris ipsius verbis et sententiae minus congruant. Addimus, tuam hanc adjectionem, licet primo aspectu plausibilem, ineptam prorsus esse, inutilem, et falsitati penitus obnoxiam. Certe ex Vitruvii praescripto imi epistylii crassitudo summo columnae scapo respondere debet; esto itaque imi epistylii superficies (Fig. 14.) ABCD summus columnae scapus EF quadratum ipsius summi scapi peripheriae circumscriptum GHIK scamillus juxta Barbarum resiliens HLMI quibus ita positis, pars ipsa prominens vacuo innititur, et sub se, contra naturam ipsam, nihil habet solidi: disquire quotquot a temporis edacitate relicta sunt antiquitatis vestigia, et nullibi perpetuis epistyliis columnis impositis scamillos hujusmodi, resilientesve partes adpactas, esse comperies.

Explodatur igitur Barbarus, qui dum rem improbe a se intellectam, explicare conatur, omnes architecturae leges atque instituta pervertit.

Bertanus, ut in superioribus visum est, fascias ipsas epistyliorum adjectiones appellat. Ipsum ego Bertanum interrogem, num adjectionem epistyliis facere oporteat vel ne? certe epistylia de quibus Vitruvius loquitur, nulla indigent scamillorum adjectione, frustra siquidem diceret Vitruvius, epistyliis, veluti stylobatis ipsis, fascias esse addendas. Praeterea notandum, Bertanum hoc loco haereticorum mores fuisse imitatum, qui dum ex sacris literis sententias aliquas in medium adducunt, ne se suismet gladiis imprudentes jugulent, mutilas illas, et decurtatas afferunt. Dixisse namque debuerat, quo pacto superiora inferioribus cohaereant, quidve sibi velint ea verba,

> *Capitulis perfectis, deinde in summis columnarum scapis collocatis, non ad libellam, sed ad aequalem modulum collocatis, etc.*

Quid enim cum fasciis capitulorum illa verba, *non ad libellam, sed ad aequalem modulum collocatis*? Durum fortasse videbatur tibi Bertane, capitulos ad libellam et perpendiculum directos et collocatos, non ad libellam dici constituendos. Sed opportune jam tempus est, ut veritatem ipsam, e tenebris erutam, in lucem vindicemus. Declaravimus quo pacto intelligendum esset, stylobatam alveolatum posse videri; modo qui capituli non ad libellam collocati dicantur, explicabimus. Ad libellam sane aequatam directamve planitiem eam dicimus, quae horizontis ipsius libramento aequidistat, ita enim Vitruvius pri-

mo libro de Amussio, ad indagandos ventos collocando, scriptum reliquit; *Collocetur ad libellam marmoreum Amussium mediis moenibus, aut locus ita expoliatur ad regulam et libellam, ut Amussium non desideretur.* Capitulos itaque ad libellam in summis columnarum scapis collocatos illos dicas, quorum omnium supremae superficies ita ad libellam aequatae sunt, ut nulla eorum parte protuberent: collocatos autem non ad libellam illos, qui aliquid eminens a librata eorum summa planicie habent, ut in subjectis diagrammatibus (Fig. 15. et Fig. 16.) facile est videre: in quibus capitulus ad libellam A non ad libellam vero B.

Porro quamobrem Vitruvius non ad libellam capitulos collocari velit, his verbis, licet suboscure, declarare videtur: *In superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum*: hoc est, ideo scamillos capitulis esse addendos, ut symmetria epistyliorum respondeat, videlicet, ut nulla epistyliis ipsis pars deesse videatur. Durum certe est Vitruvii dicendi genus: *Non ad libellam, sed aequalem modulum collocatis, uti quae adjectio in stylobatis facta fuerit*; pro eo, quod dicendum fuisset; *Non ad libellam, sed ea lege collocatis, ut eas adjectiones habeant, quae stylobatis adjectae fuere.* Etenim modulus variis apud latinos subest significationibus: Modulus est μέτρον mensura particulare, quae totum corpus, seu aedificium, metitur; est etiam mensura quaedam in aquaeductibus; ratio quoque certa, ut in cantu mensura: hoc sensu hic accipiendum est vocabulum, idem enim est, ac si dixisset, ad aequalem modum. Praeterea (ni fallor) in sequentibus verbis causalis deest particula, legendumque: *Ut in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum.* Quid autem hoc ultimo sibi velit, licet superius declaraverimus, subjectis tamen schematibus demonstrabimus. Esto enim capitulus (Fig. 17.) AR ad libellam collocatus: cui impositum epistylium CDB capituli projectio DA oculus EAC itaque pars CD oculo in E constituto, non apparebit, sed epistylii pars quaedam intra capitulum immergetur, ut videre est in figura (Fig. 18.) in qua epistylii prima fascia LM tota paene infra aequatam capituli superficiem demergitur. Ad hoc igitur, ne mutilum mancumve epistylium appareat, sed ejus symmetria prorsus respondeat, oculo in (Fig. 19.) e collocato, addatur capitulo per medium scamillus m n t. Erit itaque ea pars capituli m n t non ad libellam collocata, sed ad aequalem modum, uti adjectio, quae in stylobatis facta fuerat. Quibus absolutis, oculo in e collocato, ita apparebit, ac si idemmet oculus, ut in superiore schemate XVII. in H esset constitutus.

Notandum interim, quod ad hanc capitulorum per scamillos adjectionem pertinet, nihil prorsus nos ex antiquis aedificiorum vestigiis conjicere potuisse. Nullumque esse eorum qui vetustorum aedificiorum reliquiis dimetiendis lineandisque operam impenderunt, qui de his scamillis adjectionibusve fecerit verbum. Verumtamen apud Leonem Baptistam Albertum, acrem ingenio virum, ac praeter caeteros hac in specie solertem, libro suae Architecturae septimo, capite decimo, ubi de ingentibus templorum fornicibus loquitur, haec scribit; *Illud adverti in templis maximis, quod columnae ad tantam operis va-*

stitatem forte non respondissent, perduxisse Camurarum cornua, quod in eorum arcubus sagitta semidiametrum excederet ex tertia: quae res etiam ad venustatem accessit. Est enim se se in sublime attollens testudinatio agilior, ut ita loquar, atque explicatior. Illud hic non praetereundum censeo, in testudinationibus arcuum capita ad minus prolixiora semidiametro efficienda sunt, quantum spectantibus occupant coronarum prominentiae, ne medio ex templo intueri possint. Haec ille, qui octavo praeterea libro, capite tertio, ubi de sacellis, sepulchris, pyramidibus, et hujuscemodi aliis aedificiis sermonem habet, haec item addit: *Sunt qui inter primam et secundam aram, quippiam, veluti latastrum, suggesti loco, interposuerint, quo esset opus celsiori cum venustate.* Haec ille, qui hisce saltem verbis scamillorum adjectionem (licet hunc Vitruvii locum non expenderit) se cognovisse testatum reliquit. Lucianus etiam ille Benverardus, qui mirabilem Federico Feltrio Duci invictissimo regiam Urbini architectatus est, haec se non ignorasse opere ipso est protestatus. Hic enim in cavis aedium exstruendis, earum porticus ita constituit, ut arcuum cornibus, quae capitulis columnarum incumbunt, adjectiones faceret. Modo, ut antiquos ipsos hanc scamillorum rationem minus ignorasse cognoscas, nonnulla ex antiquitatis gremio petita exempla, proferemus. Romae in platea quam Presbyterorum appellant, quae quidem iis qui a Pautheo ad columnam Antoninianam pergunt occurrit, pervetusti templi visuntur vestigia; quod, nonnullorum testimonio, Marti dicatum Antoninus aedificavit: hoc itaque, licet vetustate consumptum, multarum sui partium atque pulchritudinum desiderium faciat, multarum nihilominus rerum, quae ad optimae architecturae rationes spectant, copiam praebet: is enim qui templo huic praefuit aedificando, ut ex aedificii ipsius forma colligitur, probe aedificatoriae rei cognitione valuit. Nam praeter id, quod coronici mutilis appositis denticulos non addiderit, Zophorum etiam, quem ad circinum quota sui parte protuberantem delumbavit, octava altitudinis suae particula (duodecima voluit Vitruvius) inclinavit. Novit enim ille sublimiorem lineam, quae ab oculo ad summam rem extenditur, longiorem esse, et ideo resupinatam ejus rei, quae videtur, speciem facere. Ille idem, ut oculo satisfaceret, supra coronam in lateribus templi perpetuum murulum (scamillum probe diceres) erexit, idque teste Andrea Palladio, ne statuarum imae partes, quae ipsis essent impositae, coronarum projecturis, oculis furarentur. Non erit autem ab instituto alienum ejus rei diagramma (Fig. 20.) ex ipsomet Palladio desumptum, ob oculos ponere.

Illud etiam ad scamillorum considerationem in primis pertinet, quod is, qui Pantheon (templorum omnium pulcherrimum et vetustissimum) a fundamentis erexit, adjectiones hujuscemodi praetermittendas esse non putavit. Tribus enim coronis totum aedificii ambitum circumciugentibus, ne (oculo tantum a templi fundamentis remoto, quanta aedificii totius esset altitudo) earum projecturae adpactarum columnarum bases absorberent, scamillos tres, quibus bases ipsae fulcirentur, adjecit; quorum officio ab eo, quem diximus, loco, integrae columnarum bases spectarentur. Tres igitur, ut diximus, scamillos circumcurrentes disposuit, hosque impares, infimum enim, qui (Tab. D. Fig. 21.) A litera in subjecta templi orthographia notatur, reliquis humiliorem, secun-

dum B primo quidem elatiorem, tertium vero C reliquis longe sublimiorem, quorum tota ratio, tum ab radiis opticis, et coronarum projecturis, tum ab iis, quae de scamillorum adjectionibus Vitruvius docuit, manifeste dependet.

Addam et aliud vetustissimi templi, quod adhuc Tiburi visitur, exemplum. Duo hic praeter caetera, quod ad rem nostram attinet, notatu digna conspiciuntur: scamillus suggestumve (Fig. 22.) AB quod opticae lineae CA causa, et projecturae BC ab ipsa BC planitie consurgit: pertingit autem CA radius usque ad eum locum ubi illius sistitur oculus, qui tota porticus latitudine ab ipsa templi basi recedit. Praeterea illud quoque ad hanc rem pertinet, unde qua ratione sacrarum aedium camerae faciendae sint addiscere possumus. Constituta enim EF parietis cellae altitudine, et ipsa IG ad perpendiculum ipsi EF addita, nec non coronicis ED projectura determinata, ab oculis ejus, qui in templi ostio sit constitutus, radius extendatur opticus HG qui ipsam FEG perpendicularem tangat in G ducta igitur GI summae coronicis libramento aequidistans erit, I vero tholi ipsius hemisphericc centrum. Mota igitur IG circa centrum I concava tholi superficies GK circinabitur. Caeterum auctarii loco notandum, non potuisse Baptistam Albertum has fornicum camerarumve adjectiones, ut fecit, determinare: siquidem hae non ad totius aedificii commensum veluti bases et columnae proportione respondent, sed ab opticis prorsus radiis, et coronarum projectionibus sumuntur. Quod quidem ille non ignoravit, qui in Tiberis ripa rotundam aedem, quam Divi Stephani appellant (nonnulli Vestae fuisse templum contendunt) exaedificavit; novit id quoque Bramantes noster, ut in ea aedicula videre est quam Romae in monte Aurelio Divo Petro dicatam construxit.

Sed jam satis superque de iis scamillis, qui ad superiores aedificiorum partes adaugendas faciunt: modo quo pacto antiqui Architecti scamillis ipsis in inferioribus usi fuerint, exemplis propositis patefaciemus. Profecto quod ad stylobatas attinet, pauca sunt antiquitatis vestigia, unde id facile possit observari: quaedam tamen ad hanc usque diem perduxit aetas, in quibus per scamillos factas adjectiones manifeste comperies. Rarissimae sunt vetustorum templorum reliquiae, in quibus columnas stylobatis impositas cernas, alterum tamen exemplar, et illud, si fides Palladio, hac in specie unicum, Asisii in Umbria conspicitur, in quo pronai columnae, subjectis stylobatis fulciuntur, templi enim hujus architectus, eo quod libratae stylobatarum summae planicies a solo ita essent elatae, ut contemplantium oculos altitudine superarent, ne stylobatae (quod vitii in primis damnat Vitruvius) alveolati viderentur, scamillos adjecit, atque scamillis ipsis bases impositas collocavit: cujus quidem rei exemplum ne desideretur, ejusdem stylobatae imaginem, ita uti habet, ob oculos ponimus, (Fig. 23.) Scamillus AB.

Alterum scamillorum hujusmodi exemplum mirabilis illa columna praebet, quam in Trajani foro S. P. Q. R. ejusdem Imperatoris memoriae consecravit. Cum enim stylobatae altitudo ab egesti montis solo, humanae staturae proceritatem

longe superaret, ne basis imposita aspicientium oculos frustraretur, ad scamilli adjectionem architecti industria confugit. Nos, ne cui praefatae speciei desiderium fieret, ejusdem columnae cum scamillo adjecto imaginem (Fig. 24.) apponendam putavimus. Scamillus sub basi AB.

Scamillis iidem ingeniosissimi veteres, iis in stylobatis usi sunt, quos statuis clarissimorum virorum supposuerunt. Idque cum jam dicta de causa, tum etiam ut hoc pacto e quodam quasi suggesto auctoritate et majestate spectabiliores se se praeberent. Eosdem illis quoque signis supposuere, quae aut in concavis templorum aediculis, aut in ipsis fastigiorum acroteriis essent collocandae. Quorum cum diversae sint formae, nos nonnulla eorum exempla graphice lineata subjicimus.

Quidam igitur unicum tantum Scamillum adjectum habent, ea tamen lege, ut quasi basis cujusdam plinthus stylobatae solidum aequet, ut in subjecto exemplo (Fig. 25.) videre licet.

Aliis duplices scamilli adjecti sunt, quorum alter stylobatae solidum aequaret, alter autem eodem esset contractior. Fuere item qui unico tantum scamillo, eoque ipso stylobata contractiore, usi sunt, ut in schematibus (Fig. 26. et 27.) videri potest.

Quidam resimatos, etiam scamillos ita, ut ex appositis deformationibus (Fig. 28. et 29.) colligi potest, adhibuerunt.

Libet hic, ut speculationibus hisce nostris pondus et auctoritatem addamus, ejusdemmet Vitruvii verba ex secundo sexti libri capite in medium ponere.

Nulla, inquit ille, *architecto major cura esse debet, nisi uti proportionibus ratae partis habeant aedificia rationum exactiones. Cum ergo constituta symmetriarum ratio fuerit, et commensus ratiocinationibus explicati; tunc etiam acuminis est proprium, providere ad naturam loci, aut usum, aut speciem, et detractionibus vel adjectionibus temperaturas efficere, uti cum de symmetria sit detractum aut adjectum, id videatur recte esse formatum: sic ut in aspectu nihil desideretur. Alia enim ad manum species esse videtur, alia in excelso: non eadem in concluso, dissimilis in aperto: in quibus magni judicii est cognoscere quid tandem faciendum sit. Non enim veros videtur habere visus effectus, sed fallitur saepe ab ejus judicio mens. Quemadmodum etiam in scenis pictis videntur columnarum projecturae, mutulorum ecphorae, signorum figurae, prominentes, cum fit tabula sine dubio ad regulam plana: similiter in navibus remi, cum sint sub aqua directi, tamen oculis infracti videntur, et quatenus eorum partes tangunt summam planitiem liquoris, apparent uti sunt directi; cum vero sub aqua sunt demissi, per naturae perlucidam raritatem remittunt enatantes ab sui corporibus fluentes imagines ad summam aquae planiciem, atque ibi commotae efficere videntur infractum oculis aspectum. Hoc autem sive simulacrorum impulsu,*

seu radiorum ex oculis effusionibus (uti physicis placet) cum videamus, utraque ratione videtur ita esse, uti falsa judicia oculorum habeat aspectus. Cum ergo quae sunt vera, falsa videantur; et nonnulla aliter, quam sunt, oculis probentur; non puto oportere esse dubium, quin ad locorum naturas aut necessitates, detractiones aut adjectiones fieri debeant: sed ita ut nihil in his operibus desideretur. Haec autem etiam ingeniorum acuminibus, non solum doctrinis, efficiuntur. Haec Vitruvius, eadem fere hisce verbis explicans, quae breviter libro primo capite secundo attulerat, ita enim habet. *Non puto oportere esse dubium, quin ad locorum naturas aut necessitates detractiones, aut adjectiones fieri debeant. Haec autem etiam ingeniorum acuminibus, non solum doctrinis, efficiuntur. Igitur statuenda est primum ratio symmetriarum, a qua sumatur sine dubitatione commutatio, deinde explicetur operis futuri, et locorum imum spatium longitudinis, et latitudinis, cujus cum semel fuerit constituta magnitudo, sequatur eam proportionis ad decorem apparatio, uti non sit considerantibus aspectus Eurythmiae dubius.* Item et libro tertio, capite secundo. *Etiamque angulares columnae crassiores faciendae sunt ex sua diametro quinquagesima parte, quod eae ab aere circumciduntur, et graciliores esse videntur aspicientibus. Ergo quod oculos fallit, ratiocinatione est exequendum.* Et paulo inferius de contracturis columnarum agens. *Hae autem propter altitudinis intervallum, scandentis oculi speciem fallunt, quamobrem adjiciuntur crassitudinibus temperaturae. Venustatem enim persequitur visus, cujus si non blandimur voluptati proportione et modulorum adjectionibus, uti id, in quo fallitur, temperatione adaugeatur, vastus et invenustus conspicientibus remittetur aspectus.* Idem capite ultimo libri ejusdem: *Item secundum ratam partem ad eundem modum ex altitudine columnarum expediendae sunt altitudines epistyliorum; quo enim altius oculi scandit acies, non facile persecat aeris crebritatem: dilapsa itaque altitudinis spatio, et viribus extrita, incertam modulorum renunciat sensibus quantitatem: quare semper adjiciendum est rationis supplementum in symmetriarum membris, ut cum fuerint in altioribus locis opera, aut etiam ipsa colossicotera, certam habeant magnitudinum rationem.* Demum ante finem ejusdem capituli. *Membra omnia, quae supra capitula columnarum sunt futura, id est, epistylia, zophori, coronae, tympana, fastigia, acroteria, inclinanda sunt in frontis suae cujusque altitudinis parte duodecima. Ideo quod cum steterimus contra frontes, ab oculo lineae duae si extensae fuerint, et una tetigerit imam operis partem, altera summam, quae summam tetigerit, longior fiet. Ita, quo longior visus lineae in superiorem partem procedit, resupinatam faciet ejus speciem. Cum autem, uti supra scriptum est, inclinatae fuerint, tunc in aspectu videbuntur esse ad perpendiculum, ac normam.* Ad haec faciunt etiam quae retulit libro quarto, capite quarto: *Crassitudines autem earum* (de columnis loquitur) *extenuentur his rationibus, uti si octava parte erunt quae sunt in fronte, hae fiant novem partes, in concluso enim aere, si quae extenuatae erunt, non discernentur; sin autem videbuntur graciliores, cum exterioribus fuerint striae vigintiquatuor, in his faciendae erunt viginti octo, aut trigintaduae, ita quod detrahitur de corpore scapi, striarum numero adjecto adaugebitur ratione, quo minus videbitur, et ita exaequabitur dispari ratione columnarum crassitudo. Hoc autem efficit ea ratio, quod oculus plura et crebriora signa tangendo, majore*

visus circuitione pervagatur. Nunque si duae columnae aeque crassae lineis circummetientur, e quibus una sit non striata, et altera striata, et circa strigum cava, et angulos striarum linea corpora tangat, tametsi columnae aeque crassae fuerint, lineae quae circumdatae erunt non erunt aequales, quod striarum et strigum circuitus majorem efficiet lineae longitudinem. Sin autem hoc ita videbitur, non est alienum in angustis locis, et in concluso spatio, graciliores columnarum symmetrias in opere constituere, cum habeamus adjutricem striarum temperaturam. Haec fere sunt quae Marcus Vitruvius de adjectionibus detractionibusque symmetriarum, ut rationibus temperatae, venustate simul ac decore, aspicientium oculis adblandirentur, conscripsit. Quae quidem nisi pernecessaria, et ad operum rectam explicationem opportuna judicasset, nequaquam gravissimus et solertissimus auctor, tanta sermonis prolixitate, tot repetitionibus inculcasset. Nos autem, antequam operi extremam imponamus manum, de adjectione, quae per Scamillos sit in aedificiis illis, quae in sublimi consurgunt, nec non de vitio eorum, qui symmetrias ea ratione non temperant, sermonem faciemus.

Esto itaque sepulchri Mausoleive orthographia (Tab. E Fig. 30.) praestat modo delineatam ejus in tabella formam, ad opus ipsum transferre. Duplici igitur id negotii ratione absolvetur, vel enim iisdem symmetriis quibus designatum est aedificabitur, vel juxta Vitruvianum praeceptum detractionum adjectionumve adaugebitur temperaturis.

Sic aedificii orthographia rudi Minerva lineata (sat enim fuerit si altitudinum et projecturarum custodiantur dimensiones) esto, inquam, molis ipsius orthographia CD (Fig. 31.) aequati soli planities DE locus aspectus E sit autem DE recta, totius aedificii altitudini aequalis, spectantis oculus F exeant igitur a pupilla F per projecturas ducti optici radii FG, FH, FI, FK qui orthographiae lateri occurrant in punctis I, M, N, O. Molis igitur partes, quae praedictis notulis a projecturarum libratis planiciebus superabunt, oculos respicientium non fugient, quae vero inferiores fuerint, nullatenus conspicientur.

Porro qualis aedificii ita constituti species oculis se praebeat, ex apposito diagrammate (Fig. 32.) cognoscere licet, cujus imaginem si cum prototypo conferas, nanam cernes, pumilam, contractam, mutilam, ac omni prorsus majestate atque lepore carentem. Non ante igitur luxata in artus restituentur, quam aedificii partes, quae in alveos demersae videbantur, in sublime consurgant.

Quod tunc demum fiet, si tantae altitudinis scamilli operi ipsi adiiciantur, quantum de solido coronarum projecturae oculis adimebant. Caeterum scamillorum symmetrias schema illud suppeditabit, cujus ope quotae partes aedificii demergerentur agnovimus: quod ex apposito schemate (Fig. 33.) palam fiet.

Temperatum itaque adjectionibus Diagramma ita habebit. His declaratis, appendicis loco historias quasdam, ex Joannis Tzetzae Chiliadibus, ex Libro variae Historiae octavo, Historia 193. et Lib. XI. Historia 381. decerptas, ad hanc rem opportune facientes, in medium afferemus.

Ex Chiliade octava Hist. 193. de Alcamene statuario:

Ὁ Ἀλκαμένης χαλκȣργὸς ἦν, καὶ γένει Νησιώτης,
Καὶ τῷ Φειδίᾳ σύγχρονος, καὶ τȣ́τῳ ἀντερίσας.
Δι' ὧν καὶ ἐκινδύνευσε μικρȣ̃ θανεῖν φειδίας.
Ὁ Ἀλκαμένης εὐειδεῖς ἔπλαττεν ἀνδριάντας,
Ἄτεχνος ὢν καὶ ὀπτικῆς, καὶ τῆς γεωμετρίας.
Θαμίζων δὲ ταῖς ἀγοραῖς, καὶ διατρίβων ταύταις,
Καὶ θειαστὰς, καὶ φιλητὰς, καὶ θιασώτας εἶχεν.
Ὁ δὲ φειδίας ὀπτικὸς πελῶν, καὶ γεωμέτρης
Ἄριστος, ἀκριβώσας τε τὴν ἀνδριαντȣργίαν,
Καὶ πάντα πράττων πρόσφορα τόποις, καιροῖς, προσώποις,
Φροντίζων κοσμιότητος, πλέον δὲ καὶ τῶν ἄλλων,
Κατὰ τὸν Τζέτζην καὶ αὐτὸς τὰς ἀγορὰς ἐμίσει,
Καὶ φιλητὴν καὶ θειαστὴν εἶχε τὴν τέχνην μόνην,
Ἐπεὶ δὲ ἐδέησε ποτέ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων,
Δύω τινὰ ἀγάλματα τῇ Ἀθηνᾷ ποιῆσαι,
Ἐπὶ κιόνων ὑψηλῶν μέλλοντα σχεῖν τὴν βάσιν,
Ἄμφω ἐδημιȣ́ργησαν τῷ δήμῳ κελευσθέντες.
Τῶν ὧν ὁ Ἀλκαμένης μὲν, τόπῳ θεᾶς παρθένȣ,
Λεπτὸν ὁμȣ̃ εἰργάζετο καὶ γυναικεῖον τύπον,
Ὁ δὲ φειδίας, ὀπτικὸς τελῶν καὶ Γεωμέτρης,
Καὶ συνιεὶς σμικρότατα φαίνεσθαι τὰ ἐν ὕψει,
Ἐποίησε τὸ ἄγαλμα ἀνεῳγὸς τὰ χείλη,
Τȣ̀ς μυζωτῆράς τε αὐτȣ̃ ἔχον ἀνεσπασμένȣς,
Καὶ τ' ἄλλα πρὸς ἀνάλογον ὕψος ȣ̃ τῶν κιόνων.
Ἔδοξε κρεῖττον τȣ̃ λοιπȣ̃ τὸ Ἀλκαμένȣς εἶναι.
Φειδίας ἐκινδύνευσε βληθῆναι δὲ τοῖς λίθοις.
Ὡς δέ ἤρθη τὰ ἀγάλματα, καὶ κίοσιν ἐστάθη,
Τὸ μὲν φειδίȣ ἔδειξε τὸ εὐγενὲς τῆς τέχνης.
Καὶ πᾶσι διὰ στόματος λοιπὸν ἦν ὁ φειδίας,
Τὸ Ἀλκαμένȣς γελαστὸν, καὶ γέλως Ἀλκαμένης.

Haec ita Latine ad verbum:

Alcamenes faber erat aerarius, et genere insulanus,
Phidiae sane contemporaneus, et illi aemulus,
Propter quae periclitatus est prope Phidias ut moreretur.
Alcamenes speciosas fingebat statuas,
Perspectivae ignarus, et Geometriae.

Cum autem frequens esset in plateis, et in illis versaretur,
Admiratores habebat, amatores, et sodales.
Phidias vero perspectivus existens, et geometra
Perfectus, diligentissime statuariam tractabat,
Et singula faciebat consona locis, temporibus, et personis,
Curam gerens decoris maxime, et aliarum rerum.
Et juxta id quod placet TZETZAE, ipse quoque plateas obibat,
Et amatricem, et spectatricem artem solam habebat.
Cum autem aliquando oporteret populum Atheniensem
Duas quasdam statuas Minervae constituere,
Quae altam super columnam basim erant habiturae,
Ambo a populo jussi fabricaverunt.
Quorum Aleamenes imaginem Deae Virginis
Gracilem simul fecit, et faeminilem aspectum habentem:
Phidias vero perspectivus cum esset, et Geometra,
Et cognoscens brevissima apparere quae in sublimi sunt,
Fecit statuam hiantibus labris,
Et naso quidem praeditam distracto,
Et alia ad rationem altitudinis columnarum.
Visa est melior reliqua Aleamenis esse statua,
Et Phidias periclitatus est lapidibus obrui.
Porro ubi in sublime positae sunt statuae et constitutae in columnis,
Quae Phidiae erat, prae se tulit nobilitatem artis.
Et ex tunc in ore omnium fuit Phidias,
Alcamenes vero ridiculum, et Alcamenes risus.

Ex Chiliad. undecima Hist. 381.

Καὶ Ὀπτικὴ δὲ συντελεῖ ϛὴν τῇ Γεωμετρίᾳ,
Πολλαῖς μὲν ἄλλαις μηχαναῖς, καὶ τέχνῃ τῇ ζωγράφων,
Καὶ ἀγαλμάτων τέχναις δὲ, καὶ ἀνδριαντȣργίαις.
Δεῖ γὰρ καὶ ὕψη συνορᾷν, καὶ μήκη καὶ βάθη,
Ἵνα καὶ ὄργανα ποιῇ ἁρμόδια τῷ ὕψει.
Τῷ μήκει, καὶ τῷ βάθει ἀνάλογα ὁμοίως.
Καὶ τὰς μορφὰς δὲ τῶν γραπτῶν καὶ τῶν πλαϛῶν ὡσαύτως
Ἄλλων ὀργάνων. δεῖται γὰρ τὸ σύμμετρον τὸ ὕψος,
Ὡσαύτως καὶ τὸ μῆκος δὲ, καὶ σύμμετρον τὸ βάθος.
Ἄλλων δὲ τὰ μακρότερα, ἑτέρων τὰ βραχέα.
Ὁμοίως ζωγραφίας δὲ, καὶ ἀνδριαντȣργίαις.
Ὅσα μὲν ἔγγιϛα τὸν γῆς μέλλȣσι ϛάσιν ἔχειν,
Συμμέτρȣς ἔχειν τὰς μορφὰς ἅπαντα ταῦτα πρέπει.
Ὅσα δὲ εἰς ἄρσιν σύμμετρον ἀνεγερθῆναι δέοι,
Χρεὼν ἐκείνων τὰς μορφὰς τῶν ἀσυμμέτρων πλάττειν,
Ὡς ἂν εἰς ὕψος λάβωσι πάντα τὴν συμμερίαν,
Τὸ ὕψος κλέπτειν εἰώθη καὶ γὰρ τὸν θεωρίαν.
Κἂν σύμμετρον ποιήσειας τοῖς κάτω τὸν εἰκόνα
Ἄνω ϛαθεῖσαν, εἴδοις ἂν ȣ̃σαν συμμεμυκυῖαν.

Α'ν περ δὲ πλάσης τὴν μορφὴν ἀσύμμετρον τοῖς κάτω,
Τὸ ὕψος πάλιν σύμμετρον δεικνύει τὴν εἰκόνα.
Οὕτως ὑπάρχει χρήσιμος πολλοῖς Γεωμετρία,
Καὶ σὴν αὐτῇ καὶ Ο'πτικὴ, καὶ μᾶλλον ζωγραφίαις.

Ita Latine ad verbum:

Optice sane utilis est, cum Geometria,
Multis quidem aliis machinis, et arti picturae
Et imaginum artibus, nec non statuariae.
Oportet enim altitudines considerare, et distantias, et profunditates,
Ut instrumenta fiant consona altitudini,
Distantiae, et profunditati proportionata similiter.
Et aspectus quidem picturarum et plastice fictarum pariter.
Aliis enim instrumentis eget mediocris altitudo,
Pariter et distantia, et mediocris profunditas,
Aliis quae sunt longiora, aliis item breviora.
Similiter in picturis, et statuariis artibus.
Quaecunque enim proximam terrae positionem habitura sunt,
Mediocres habere debent aspectus, et omnia sane decenter.
Quaecunque vero elevationem mediocrem sortitura sunt,
Oportet facere aspectu graciliora.
Quae autem elata altitudine tollenda sunt,
Oportet facere aspectibus immoderatis,
Ut in altitudine collocata recuperent proportionem.
Consuevit enim altitudo furari aspectionem.
Et ubi feceris imaginem proportionatam in humili,
Videbis eam in sublimi apparere contractam.
Quod si feceris aspectum immoderatum in humili,
Altitudo proportionatam reddet imaginem.
Sic itaque multis utilis est Geometria,
Et cum ipsa Perspectiva, et maxime Picturis.

Hactenus difficilem et tenebrosam scamillorum rationem verbis explicare contendimus. Qua quidem in re si quid praestiterimus unde ad caeteros aliqua perveniat utilitas, impensi laboris atque operis minime poenitebit. Sin autem aut parum, aut nihil profecerimus; sat nobis abundeque erit, nos rem OEdipo conjectore indigentem, et doctissimis viris vel praetermissam, vel perperam intellectam, aggredi non formidasse. Surget fortasse aliquis, qui majori et vegetiori ingenio praeditus, veritatem hanc a tenebris vindicatam, feliciori conatu in lucem proferat. Reprehendant nos obsecro nostras hasce lucubratiunculas inspecturi, dummodo ita redarguant, ut ea, quae a nobis ignorata fuerint, bonarum artium, atque Architecturae in primis studiosis, non invideant.

Haec Bernardinus Baldus commentabatur Urbini, dum succisiva et secundaria tempora hisce delectationibus daret.

F I N I S.

JOANNES DE LAET

LECTORI BENEVOLO S.

Operae pretium fortasse fuerit et explicationem adjicere Vincentii Scamozzii, Lib. VI. cap. 8. qui ita scribit. Vitruvius Lib. III. cap. 3. per Scamillos impares: id est, ut habeant per medium resultus Scamillorum imparium, uti si podium cominus inspiciatur, videatur alveolatum, id est, magis cavum et introrsus, quod confirmat in porticu post scenam. Quae difficultas non parum negotii facessivit Doctissimis Viris, et multae inde natae controversiae; ut sileamus, eos conjectos in mille absurditates, uti fascias in truncis stylobatarum, et gradus supra cymatia, et similes res monstrosas, quae nihil faciunt ad propositum: praeterquam quod nihil veri intelligatur. Unde ad rei evidentiam hujus dubiae reperimus in Graecis, et in primis in Pausania, ubi loquitur de simulachro et introitu templi Jovis Olympii, et de templo Magnae Matris in Arcadia saepius, statuas fuisse locatas super Scamillos aut quadratos aut rotundos, qui non erant alii quam stylobatae. Vitruvius dicit impares, quia fiebant in latcribus templorum, atque etiam porticuum post scenam Theatri, ubi intercolumnia erant paria, sed columnae et stylobatae numero impares. Vox haec Scamillus, secundum Priscianum, diminutivum est a scamno, ut mammilla a mamma, et similia. Est inventa Spoleti in Umbria, antiqua et bellissima inscriptio, quae facit mentionem Praefecti Fabrorum Romae, ut et Scamillorum, atque adeo Scenae; neque potest alia res magis facere ad hoc propositum. Est autem talis:

M. SEPTIMIO
M. FIL. HOR.
SEPTIMANO
EQUO PUB. IIII VIR. I. D.
PRÆFECT. FABR. ROMÆ
DEC. IIII. SCAMILLAR.
OPERÆ VETERES
A. SCENA. PATRONO. OB
MERITA. EJVS. L. D.D.D.

FINIS

VOLVTA IONICA

VITRVVII

HACTENVS AMISSA

RESTITVTA

AB

NICOLAO GOLDMANNO

ARCHITECTURAE ARTIFICIOSAE CULTORIBUS

S. et O.

Ex omnibus Capitulis columnarum, a Vitruvio descriptis, cum Scamozzio affirmamus, solum Jonicum nobis arridere; quanquam in Voluta rite circinanda nullus ex scriptoribus, nobis notis, Vitruvii mentem assecutus esse videatur. Promisit quidem Auctor noster, in extremo libro formam Volutae rite ad circinum formatae; verum aut non exolvit quod promiserat, aut figura edacis vetustatis dentibus consumta, periit: hanc multi desiderant, nemo (quantum ad nostram notitiam pervenit) protulit. Nobis in hoc pulvere desudantibus Deus astitit; cui acceptum ferimus labores nostros successisse; Vobis eosdem dijudicandos exponimus.

E regione figura ponetur, ad quam haec descriptio collimat; caeterum ut ordine procedamus, primo Vitruvii verba, brevibus notis perspicuitatem introducentibus, interjectis, sistemus: deinde demonstrabimus, descriptionem nostram cum mente autoris consentire; postea duplicationem Volutae aggrediemur: tandem minutias in Demonstratione usurpatas ad integra revocabimus, ac brevem Epilogum subjiciemus.

VERBA VITRUVII

EX CAP. III. LIB. III.

Scapis columnarum statutis, capitulorum ratio, si pulvinata erunt, his symmetriis conformabuntur, uti quam crassus imus scapus fuerit, addita octava decima parte scapi, Abacus habeat longitudinem et latitudinem, crassitudinem (Tab. F) A 3 *cum Volutis ejus dimidiam. Recedendum autem est ab extremo Abaco* B *in interiorem partem, frontibus Volutarum, parte duodevigesima;* BC *et ejus dimidia:* BA *et secundum Abacum, in quatuor partibus Volutarum, secundum extremam Abaci quadram* I *Lineae* CD, *et* A 3 *demittendae, quae Catheti (hoc est perpendiculares) dicuntur. Tunc crassitudo* A 3 *dividenda est in partes novem et dimidiam; ex novem partibus et dimidia, una pars et dimidia* C I *Abaci crassitudini relinquatur, et ex reliquis octo* I, 3 *Volutae constituantur. Tunc ab linea* I D *quae secundum Abaci extremam partem* I *demissa erit, in interiorem partem, alia* XVII, G *recedat, unius (expungo et) dimidiatae partis* C, XVII *latitudine. Deinde eae lineae dividantur ita, ut quatuor partes et dimidia* I E *sub Abaco relinquantur. Tunc in* E *eo loco, qui locus dividit quatuor et dimidiam, et tres et dimidiam partem* F 3 *Centrum oculi* E *signetur: ducaturque ex eo centro rotunda circinatio,*

tam magna in Diametro, quam una pars ex octo partibus est; ea erit oculi magnitudine, et in ea Catheto (hoc est Normae) respondens Diametros FG *agatur. Tunc ab summo sub Abaco inceptum, in singulis tetrantorum (sive quadrantum) actionibus, dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eundem tetrantem qui est sub Abaco (et in* 5 *incipit) veniat. Capituli autem crassitudo* A 3 *sic est facienda, ut ex novem partibus et dimidia, tres* H 3 *partes praependeant infra Astragalum summi scapi. Cymatio (vel potius Echino* I, 5 *) addito Abaco* C, 1 *et Canali (* 5, 13, *nec non Axe* 1, 13, *et Astragalo,* IK *) reliqua sit pars. Projectura autem Cymatii (vel Echini,* 5, M *) habeat extra Abaci quadram (sive imum quadratum) oculi magnitudinem. Pulvinorum Balthei (sunt velut funes foliis cooperti, qui a latere columnae medios pulvinos ligant) ab Abaco (ex* 1 *incipiendo) hanc habent projecturam, ut circini Centrum unum (hoc est crus prius) cum sit positum in Capituli Tetrante (nempe centro oculi* E *) et alterum (crus) diducatur ad extremum Cymatium (sive Echinum, ad* 5 *) circumactum (hoc est infra* 1, *super Catheto* CD *distantia praedicta* E 5 *posita, et centro ibidem assignato ac semicirculo* KL 1 *descripto) Baltheorum extremas partes tangat. Axes Volutarum* 1, 13 *ne crassiores sint quam oculi magnitudo (hoc est Semidiameter* EF *) Volutaeque ipsae sic caedantur, uti altitudines habeant latitudinis suae duodecimam partem.*

Hactenus Auctoris verba explicavimus, nunc ad Demonstrationem nos accingimus.

DEMONSTRATIO

Cum numeri sensibus sint subjecti, placuit a calculo Demonstrationem mutuari.

Postulamus primo, ut concedatur, Vitruvianam constructionem haec suppeditare.

Dividit ille Diametrum imi scapi columnae Joniceae in decem et octo partes aequales, Diametrum oculi Volutae unius decimae octavae partis Diametri imi scapi constituit, ut in nostra figura Diameter oculi est GF, hujus semis erit semidiameter Oculi, nempe EF; sequitur igitur quod EF, vel GE, unam trigesimam sextam particulam imi scapi expleat. A

Ex saniorum Architectorum scriptis, nec non imminutione primorum quatuor quadrantum a Vitruvio praescripta, latera Quadrati majoris, ut 1, 2: 2, 3: 3, 4: et 4, 1: aequantur Semidiametro oculi Volutae, itaque erit quodlibet latus aequale trigesimae sextae parti Diametri scapi inferioris. B

Ex iisdem Auctoribus patet, latus Quadrati 1, 4, secari bifariam in E, ut una semissis sit 1, E: erit itaque 1, E septuagesima secunda pars praedictae Diametri. C

Iidem Auctores dividunt ipsum latus Quadrati (quanquam per Diagonales ipsi hoc praestent, in sex partes aequales; quales partes sunt, 1, 5: 5, 9: 9, E: E, 12: 12, 8: et 8, 4: continebit itaque quaevis sexta lateris hujus Quadrati, unam ducentesimam decimam sextam partem Diametri imi scapi columnae. D

Hinc manifesta fiunt latera trium Quadratorum; quae quadrata eadem

magnitudine qua apud alios, sed differenti collocatione, necessitate ita cogente, constituimus.

Erunt itaque latera quadratorum

Primi, nempe 1, 2: 2, 3: 3, 4: et 4, 1: $\frac{6}{216}$ vel $\frac{1}{36}$ Diametri imi scapi columnae. E

Secundi, videlicet, 5, 6: 6, 7: 7, 8: et 8, 5: $\frac{4}{216}$, sive $\frac{1}{54}$ ejusdem Diametri. F

Tertii, puta 9, 10: 10, 11: 11, 12: et 12, 9: $\frac{2}{216}$, aut $\frac{1}{108}$. praedictae Diametri. G

Hinc stabilitur Regula Scamozziana, Centra Volutae inter se distare, in prima circumactione ex semisse oculi Volutae; in secunda circumactione ex tertia parte, et in ultima circumactione ex sexta praedictae Diametri oculi Volutae, quae distantiae Antiquitatum auctoritate corroborantur; talis enim omnino in antiquis Volutis est quadrantum imminutio; adeoque retinendae erunt ut praescripsit.

Caeterum quaerendae erunt per subtractionem differentiae inter centra, 4, et 5,: 8, et 9, ac 12, et E: id fiet hoc modo, cum pars 1, 5, supra, ad D, reperta sit $\frac{1}{216}$, ac tales etiam sint 5, 9: 9, E: E: 12: 12, 8: et 8, 4: sequitur

distantiam 4, 5, quae componitur ex quinque partibus 5, 9: 9, E: E: 12: 12, 8: H. et 8, 4: continere $\frac{5}{216}$

distantiam, 8, 9, quae componitur ex tribus partibus 9, E: E, 12: et 12, 8, esse $\frac{3}{216}$

denique distantiam E, 12: ex una parte liquet esse jam indicatam $\frac{1}{216}$.

Ultimo notandum est, quod per Tetrantes Vitruvius intelligat Quadrantes sive quartas partes circumferentiae circuli, cujus vocabuli proprietatem contemnentes hactenus aberravimus.

Praemissis rite intellectis, facile rem ipsam demonstrabimus.

Ex Vitruviana descriptione Centrum oculi, E, distat a puncto initiali Volutae 1, quatuor et dimidia decimis octavis, sive $\frac{9}{36}$ vel una quarta Diametri imi scapi: quae distantia aequivalet $\frac{18}{72}$, vel $\frac{54}{216}$. Diametri praedictae.

Hinc aufer E, 1: nempe $\frac{1}{72}$ sive $\frac{3}{216}$. *supra ad* C.

Restat Semidiameter Tetrantis primi, qui primus est primae circumactionis $\frac{51}{216}$

hinc aufer 1, 2: $\frac{1}{36}$ vel $\frac{6}{216}$ *supra ad* B

Restat Semidiameter Tetrantis secundi, qui et secundus est primae circumactionis $\frac{45}{216}$

hinc aufer 2, 3: $\frac{1}{36}$ vel $\frac{6}{216}$ *supra ad* B

Restat Semidiameter Tetrantis tertii, qui tertius est primae circumactionis $\frac{39}{216}$

hinc aufer 3, 4: $\frac{1}{36}$ vel $\frac{6}{216}$ *supra ad* B

Restat Semidiameter Tetrantis quarti, et ultimi in prima circumactione $\frac{33}{216}$

hinc aufer 4, 5: $\frac{5}{216}$ *supra ad* H

Restat Semidiameter Tetrantis quinti, et primi in secunda circumactione $\frac{28}{216}$

hinc aufer 5, 6: $\frac{1}{54}$ vel $\frac{4}{216}$ *supra ad* F

Restat Semidiameter Tetrantis sexti, et secundi in secunda circumactione $\frac{24}{216}$.

hinc aufer 6, 7: $\frac{1}{54}$ vel $\frac{4}{216}$ *supra ad* F

Restat Semidiameter Tetrantis septimi, tertii nempe in secunda circumactione $\frac{20}{216}$

hinc aufer 7, 8: $\frac{1}{54}$ vel $\frac{4}{216}$ *supra ad* F

Restat Semidiameter Tetrantis octavi, et ultimi in secunda circumactione $\frac{16}{216}$

hinc aufer 8, 9: $\frac{1}{72}$ vel $\frac{3}{216}$ *supra ad* I

Restat Semidiameter Tetrantis noni, qui primus est in tertia circumactione $\frac{13}{216}$

hinc aufer 9, 10 $\frac{1}{108}$ vel $\frac{2}{216}$ *supra ad* G

Restat Semidiameter Tetrantis decimi, et secundi in tertia circumactione $\frac{11}{216}$

hinc aufer 10, 11: $\frac{1}{108}$ vel $\frac{2}{216}$ *supra ad* G

Restat Semidiameter Tetrantis undecimi, tertii in tertia circumactione $\frac{9}{216}$

hinc aufer 11, 12: $\frac{1}{108}$ vel $\frac{2}{216}$ *supra ad* G

Restat Semidiameter Tetrantis duodecimi, et ultimi in tertia circumactione $\frac{7}{216}$

hinc aufer E, 12. $\frac{1}{216}$ *supra ad* K

Restat *Semidiameter oculi Volutae* EI $\frac{6}{216}$ *supra ad* A

Haec Semidiameter, cum eadem sit cum $\frac{2}{72}$ sive $\frac{1}{36}$ Diametri imi scapi, ut supra proposita fuit; sequitur, extremitatem duodecimi Tetrantis perfecte incidere in summum punctum circumferentiae oculi, ut Vitruvius postulat; porro in quatuor primis Tetrantibus Voluta minuitur quavis circumactione Tetrantali Semidiametro oculi; denique per Tetrantes facta est descriptio, quod Auctor etiam ita praescripsit. Quae omnia cum ita sint, genuina erit nostra constructio; quod ostendendum erat.

De Duplicatione Volutae

In duplicatione Volutae, fundamenti loco, postulamus, ut nobis concedatur, Volutam interiorem similem esse debere exteriori. Datur Centrum hujus Volutae E, idem cum prioris Volutae centro, et datur initium Volutae 13, hinc reliqua proportiones suas petunt. In praecedentis calculationis initio datur E 1, distantia Centri Oculi ab initio exterioris Volutae $\frac{54}{216}$ Diametri imi scapi: hinc aufer 1, 13, aequalem Semidiametro Oculi $\frac{6}{216}$, restant $\frac{48}{216}$ pro distantia Centri Oculi ab initio interioris Volutae, nempe puncto 13; habebunt igitur Semidiametri Tetrantum exterioris Volutae, ad respondentes Semidiametros interioris Volutae, proportionem ut $\frac{54}{216}$ ad $\frac{48}{216}$ sive ut 54 ad 48, vel ut 27 ad 24, vel denique (quod idem est) ut 9 ad 8. Ne vero delicatioribus minutiis numerorum molesti simus, Diametros in numeris integris proponemus; hoc vero impossibile factu esse experti sumus, nisi Diameter imi scapi Columnae Jonicae in partes 1944. secta esse intelligatur; minores numero particulae semper fractiones obtrudunt.

Quomodo vero sequentes numeros produxerimus, Arithmeticis evolvendum est.

Qualium igitur particularum Diameter imi scapi continet 1944.

Talium	E, 1: continet	486.
	F, 3: vero	378.
	Et tota A, 3:	864.
	EF, vel 1, 13	54.
	E, 13:	48.

Oculum majori forma in angulo superiori figurae expressimus, ut Centra magis conspicua sint, caeterum in sequenti indice, prior numerus Centrum, alter initium sui Tetrantis in ipsa Voluta indicat.

Semidiametri exterioris Volutae tales proveniunt

1, 1:	459.
2, 2:	405.
3, 3:	351.
4, 4:	279.
5, 5:	252.
6, 6:	216.
7, 7:	180.
8, 8:	144.
9, 9:	117.
10, 10:	99.
11, 11:	81.
12, 12:	63.
EI Semidiameter oculi exterioris	54.

Semidiametri Duplicationis, sive interioris Volutae

13, 13:	408.
14, 14:	360.
15, 15:	312.
16, 16:	264.
17, 17:	224.
18, 18:	192.
19, 19:	160.
20, 20:	128.
21, 21:	104.
22, 22:	88.
23, 23:	72.
24, 24:	56.
Semidiameter Oculi interioris esset	48.

Voluta Romana ex hisce numeris eodem modo confici potest; nisi quod Diameter imi scapi in particulas 2160 secanda sit: hoc facto, numeri Semidiametrorum manent iidem, qui in proxime praecedenti Tabula propositi fuerunt.

Porro secretum Regulae Cleomedis, de incremento et decremento dierum, in Voluta hac latet, cujus secreti involutio vanitatem osorum obtundet.

F I N I S

IOSEPHI SALVIATI
PICTORIS
RATIO ACCVRATE DEFORMANDI
TVM VOLVTAM
TVM CAPITVLVM IONICVM
SECVNDVM
V I T R V V I I
P R A E C E P T A

DE ITALICA IN LATINAM LINGVAM CONVERSA

INTERPRETE A. A. F. S. T. D.

RATIO ACCURATE DEFORMANDI
TUM VOLUTAM
TUM CAPITULUM JONICUM
SECUNDUM
VITRUVII
PRAECEPTA

VIRO AMPLISSIMO

DANIELI BARBARO

AQUILEJENSI PATRIARCHAE ELECTO

JOSEPHUS SALVIATUS F.

Cum annis abhinc undecim essem Patavii, qua in Urbe Tabulis quibusdam pingendis vacabam, quidquid licebat mihi per tempus operae subsecivae consueveram animi gratia iis studiis impendere, quae ad proportiones, et symmetrias referuntur: quod ut facerem, stimulos addebat in primis illa, qualiscunque rerum harum cognitio, quam hauseram ex Geometria. Cum autem modo haec, modo illa res animo se offerret meo, coepi in id incumbere, ut rationem deformandae capituli Jonici volutae investigarem. Hac in re, quandoquidem scire nondum licuit quo artificio opus perficeret Vitruvius, elaborarunt multi praestantes ingenio Viri; quibus ego quidem etsi longe imparem doctrina esse me intelligerem, a nemine tamen judicavi verti vitio temeritatis mihi jure posse, si illo pervenire ipse quoque pro virili conarer, quo multi laudati homines contenderunt. Neque enim reprehendi a quopiam sagittarius ille solet, qui quamquam in arte jaculandi mediocriter exercitatus, eundem tamen scopum, quem expertissimi quique, feriendum sibi ipse quoque proponat, etsi ab illo aberret. Jam vero, re quanto potui maximo studio expensa atque explorata, putavi demum, ipsa prasertim edoctus experientia, me rationem invenisse, qua (nisi me rerum mearum fallit amor) aeque accurate ac facile Jonica voluta perficeretur. Haud multo post id temporis, cum rediissem Venetias, de hoc invento meo certiorem fecit Sebastianum Serlium, virum Architecturae laude clarissimum, Franciscus Marcolinus, quo ego utebar familiarissime. Quare quodam die cum Marcolino domum meam venit ipse Serlius, ut rem praesens inspiceret; modum describendae Volutae et placere sibi magnopere significavit, et commendavit tanquam optimum omnium, quotquot hactenus excogitasset Artificum industria; regulamque universam edoctus spopondit illam se nomine meo publicaturum, siquando contigisset eam ad opus transfer-

re. Post annos aliquot intellexi, totius artificii formam a Discipulo quodam meo fuisse mihi surreptam : quae res in causa esse facile poterat, ut quispiam alienae partum industriae vindicaret sibi, et quasi sui fructum ingenii in publicum efferret : quod Serlius quidem, vir modestiae singularis, nunquam facturus erat. Quoniam igitur decet maxime, ut quisque pro suis habeat, quae sua sunt, a nemine reprehensum iri putavi consilium meum, si rei auctorem me publice facerem. Deformationem itaque Volutae nunc solam edo in lucem, quia solam hanc surreptam mihi esse cognovi; editurus fortasse alio opportuniore tempore quaedam alia tum ad eam, quam nostri *Prospectivam* dicunt, tum ad alias artes pertinentia, scitu cognituque non indigna. Sed ut ne haec quidem ipsa res, qua de nunc loquor, plane sola in publicam lucem exeat, hoc est patrocinio, ornatuque omni prorsus destituta, Tu, Vir Amplissime, patere pro tua liberalitate, ut itura in publicum gaudeat auspiciis tuis, tuumque in fronte gerat nomen longe clarissimum; clarissimum, inquam, titulis tam multis, quorum si velim minimam partem hoc loco recensendo exponere, idem faciam, ac si brevi spatio coner infinita complecti. At enim, quemadmodum, ut tibi opusculum nuncupem, movet me cum singulare quoddam animi studium, quo Te jure prosequor ob amplissimas ac praeclarissimas dotes tuas, tum Marcolinus ipse facit, qui illud Tibi pollicitus est: sic confido, id Tibi fore gratum non mediocriter, qui videlicet, praeterquamquod multarum cognitione scientiarum ornatus es, Architecturam quoque calles, atque ex rebus ad Architecturam pertinentibus capis incredibilem voluptatem.

RATIO VOLUTAE DEFORMANDAE

Tametsi regula, qua ego Volutam deformo, tam clara est, ut eam quisque, modo in Architectura tantisper sit versatus, ex ipsa ejus delineatione facile possit percipere; quo tamen satisfiat etiam illis, quibus ejus indoles est minus nota, ex quo clarum pariter fiat, quam bene regula eadem conveniat cum iis, quae de Volutae descriptione praecepit Vitruvius, conabor pro modulo virium mearum eam verbis exponere.

Sumpta altitudine capituli Jonici, ac latitudine frontis Abaci, eademque secta in partes octodecim, dimidia pars adjicitur utrimque; hinc, postquam recesseris in interiorem partem parte una decima octava cum dimidia, agitur linea ad rectos angulos, quae cathetos dicitur : haec erit partium novem ac semis : ex his una cum dimidia tribuitur Abaco; octo vero reliquae assignabuntur Volutae; quarum quatuor quidem relinquentur supra, tres autem infra; ac ea, quae media est, oculo dabitur. Ad oculi centrum ducetur diameter catheto respondens, uti docet Vitruvius Lib. III. Cap. 3. qui quidem tradere deinde incipit, qua ratione circulorum, seu rotundarum circinationum, imminutio fiat; *Tunc*, inquit, *ab summo sub Abaco inceptum in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eundem tetrantem, qui est sub Abaco, veniat.* Ac licet haec verba visa multis obscura fuerint, nihilo tamen minus facile intelligi ex iis potest, quid Vitruvius praeceperit; videlicet per singulos tetrantes, sive malimus dicere, per singulos quadrantes, seu quartas partes, dimidiata parte spatii oculi imminui. Ac sane rem ita esse patet ex eo, quia a summo ad imum, cum sint duo tetran-

tes, parte una minuitur, ut dictum est, partes quatuor esse supra oculum, tres infra: adeo ut si rotunda circinatio peragatur, donec ad eundem quadrantem reditur, qui est sub Abaco, duabus partibus imminuatur. Atque in hunc modum tradidit Vitruvius imminutionem solius primae circuitionis; qua autem ratione adhiberi circinus debeat, non adjecit; pollicitus, ostensurum id se Libro ultimo; quem tamen modum nemo hactenus vidit. Si igitur singulis quadrantibus in prima circinatione minuitur dimidiato oculi spatio, ac binis quadrantibus spatio uno, necesse est, ut singulis dimidiatis quadrantibus minuatur quarta parte. Quare data duorum laterum, ac dimidiati quadrantis longitudine, ope horum trium terminorum inveniri centrum poterit arcus ejusmodi quadrantis per Prop. V. Lib. IV. Euclidis (Tab. G). Divisis igitur bifariam singulis quadrantibus, cognitaque laterum, ac semissis eorum longitudine, juxta regulam ab Euclide loc. cit. traditam eorum arcuum centra inveni: ex verbis enim Vitruvii colligimus, singulorum quadrantum arcubus suum peculiare centrum esse debere, cum inquit, *in singulis tetrantorum actionibus*; hoc est quot sunt tetrantes, totidem actiones esse, quarum actionum nomine mutationes ejusmodi centrorum significantur. Peracta circuitione prima, intellexi, si altera quoque, uti prior, per singulos tetrantes dimidia parte imminuatur, Volutam e duplici tantum ambitu componi, neque spatia decrescere, sed aequalia existere, ita ut opus oculis speciem minus jucundum exhiberet. Quare credibile non est, Volutam hoc modo fuisse a Vitruvio deformatam. Cum igitur mecum animo reputassem post rei divisionem, quae fit per semisses, illam proxime sequi, quae per trientes peragitur; sic circuitionem secundam institui, ut singulis tetrantibus tertia spatii oculi parte minueretur: quo facto supererant duae tertiae partes, quarum singulas bifariam divisi, effecique, ut tertius ambitus per tetrantes singulos sexta parte decresceret: quae sane diminutio multum habet pulcritudinis et concinnitatis. Diviso enim oculi spatio in sex partes, in primo quidem ambitu imminuitur tribus sextantibus, in secundo duobus, in tertio sextante uno; quorum centra reperi modo paulo ante indicato; regulam autem, qua constituantur, hoc pacto inveni.

Ducta linea BD (Tab. G) per oculi centrum, quae ad angulos rectos secet lineam AC, quae Cathetos dicitur, divisum erit in quatuor partes tam spatium Volutae; quam circulus oculi. Praeterea, qua singuli quadrantes oculi bifariam dividuntur, agantur singulae lineae ad centrum; in quarum singulis invenientur centra Volutae non istius modo, sed etiam quarumlibet aliarum cujuscumque ordinis, si quas alias deformare oportuerit. Centra ergo pro primo Volutae hujus ambitu hac ratione reperientur. In singulis oculi quadrantibus ab uno latere ad alterum singulae lineae ducantur; punctum, in quo lineam mediam intersecant, centrum primum est: intervallo autem inter punctum hoc, et oculi centrum trifariam diviso singula divisionum puncta erunt centra singula ceterarum Volutae circuitionum. Horum primum erit in quarta parte superiore interna; secundum autem in parte externa; tertium in quarta parte inferiore externa; quartum in altera. Idem dicatur de ceterarum circinationum centris, quae suis distincta numeris in adjecta Voluta conspiciuntur. Altero itaque crure circini constituto in primo centro, atque altero ad summum infra Abacum translato ducatur circinatio usque ad lineam B; atque hic erit unus primi ambitus quadrans: sistatur in puncto B circini latus, transducatur latus alterum ex primo ad secundum centrum; tum circumacto mobili

instrumenti crure describetur quadrans secundus, qui cum priore illo dabit dimidiam circuitionis primae partem. Ad eundem modum res tota perficietur mutato singulis quadrantibus centro, donec tertius ambitus absolvatur ad postremam e quatuor partibus supra oculum relictis; cavendum tamen est, ut ita unus arcus cum alio singulorum quadrantum conjungatur, ut connexionis mutuae punctum sit in eadem linea, quae per utriusque centra quadrantis transeat, si ratione instituenda operatio est, sicut Prop. XIII. Lib. III. Euclidis (Tab. G) demonstratur. Sed ne ducantur ejusmodi lineae, conjunctio unius quadrantis cum alio parallela erit ad suummet centrum juxta quadrantem proxime sequentem, eodemque modo conjunctio primae circuitionis cum linea recta; quae res praxi accuratiore facile poterit perfici. Volutae baltheus in hunc modum minuetur. Capta ejus latitudo, quae magnitudini atque operis distantiae proportione respondeat, apponetur sub Abaco ad initium Volutae, atque hic statuto uno circini crure, altero autem minimo ac prope nullo intervallo infra primum centrum, mobile latus instrumenti movebitur usque ad lineam B; tum circini pede infra secundum centrum translato, convertetur circinus usque ad lineam C: atque hactenus descripta erit dimidiata pars: eodemque pacto pro singulis quadrantibus mutato circini pede paulo infra eorundem quadrantum centra imminuetur baltheus concinna proportione usque ad extremum. Atque haec regula, si diligenter ineatur, pro hujus descriptione Volutae satis erit.

Quandoquidem vero vel circinorum vitio, vel regularum pravitate, vel etiam aliqua artificis incuria fieri potest, ut lineae minus rectae agantur, atque ut centra non accurate paribus mutuo a se distent intervallis, idque ob angustias spatii, quod inter duo quaeque interjicitur; ex quibus causis manare errores possunt, qui etsi parvi, ac sensum prope omnino fugientes, in majoribus tamen circinationibus magni existent, atque conspicui: unicus enim quadrans unius ambitus maxime ex primis prave deformatus ceteros omnes depravabit. Ut igitur ejusmodi errores vitentur, primum signabuntur cujusque ambitus latitudinis termini in duabus illis lineis, quae totius spatium Volutae in partes quatuor dividunt, idest in linea AC, ac in linea BD, hoc modo.

Ex quatuor partibus, quae supra oculum sunt, primae duae superiores dividuntur singulae bifariam; ex qua divisione existent quatuor partes aequales; reliquarum duarum inferiorum singulae dividantur trifariam; atque hinc fient partes sex: harum sex partium postremae duae proxime supra oculum bifariam dividantur singulae, ut partes quatuor aequales nascantur: hoc pacto universum spatium supra oculum in duodecim partes sectum erit: primae quatuor superiores magnitudine pares erunt singulae dimidiato oculo; atque istae pro primo ambitu erunt: secundae quatuor partes aequabunt singulae trientem oculi; et hae pro secundo erunt ambitu; partes quatuor postremae aequabuntur singulae sextanti oculi, quae pro tertio erunt ambitu, quemadmodum dictum est. Quare spatium postremarum harum partium sextans est totius lineae in duodecim partes sectae supra oculum; spatium vero partium mediarum priore illo duplo majus est, atque eodem triplo majus spatium partium quatuor supremarum. Statuto ergo uno circini pede in oculi centro translatus alter ad extremam primam partem traducetur ad extremitatem primi quadrantis, hoc est ad lineam B, ibique signabitur punctum; rursus pes mobilis circini statutus in extrema parte secunda agetur ad extremitatem secundi quadrantis, hoc est ad lineam catheton infra oculum; atque ibi pariter notetur punctum,

sumptaque e singulis commemoratis divisionibus mensura in convenientem suam lineam transferatur, quemadmodum ex apposita figura percipere licet per numeros suis lineis adscriptos; per quae adnotata puncta transire debent circinationes: atque hunc in modum deformata Voluta accuratior evadet. Sed ut opus adhuc perfectius habeatur, ejusmodi memorati termini constitui debent frequentiores, hoc est dividere in duas, tresve partes oportet quadrantes singulos, atque in totidem pariter partes mensurae eorum, easque transferre in suas lineas, quemadmodum in adjecto exemplo ostenditur. Ac ne divisiones illae supra ipsam, quae deformari debet, Volutam signari debeant, mensura quatuor partium una cum oculo transferatur in tabulam aliam, in qua divisiones commemoratae peragentur, ut in adscripto schemate (infimo ad sinistram) apparet (Tab. H); quae deinde supra lineas transferentur, ut dictum est. Item posita ex parte ad summum partium memoratarum latitudine balthei, statutaque ibi regula, baltheus ipse agetur ad extremas illas divisiones, atque magis minusve contrahetur pro operis magnitudine ac distantia. Hoc autem pacto singulae partes habebunt appositam balthei latitudinem sibi proportione respondentem: cujus balthei latitudines transferentur singulae contra partes suas, cetera perficiendo, quo modo dictum est superius. Hac ratione, atque hoc ordine, deformari poterit Voluta quaelibet, ac circuitionum quotlibet magis minusve decrescentium, prout res ipsa videbitur postulare.

Atque ut exponam, quid ego fecerim, cum hanc Volutae describendae rationem investigarem, statui rotundam pyramidem rectangulam ita, ut ejus basis aequaliter oculo incumberet; aptatoque circum filo, Volutam delineavi ejusdem proportionis: nullum etenim discrimen inter illam intererat, atque inter hanc, quam paulo ante circino describi a me dictum est: ubi filum advolutum erat, pyramis erat non nihil excavata, quo filum ipsum consisteret firmius; fili vero convolutiones altera ab altera brevissimo distabant intervallo, ea tamen proportione sitae, ut diameter majoris convolutionis duos fere diametri oculi trientes aequaret, diameter vero postremae, ac minimae, fere quintam diametri oculi partem complecteretur: ex hac autem minima convolutionum exordium duxi, initio facto supra oculum ad extremam partium quatuor, stiloque vestigium signavi usque ad extremitatem maximi ambitus.

Aliam quoque confeci, filum cylindro, seu baculo rotundo, et aequaliter crasso advolvendo; in qua spatia inter duas quasque circuitiones comprehensa evaserunt aequalia inter se: erant autem singula ejusmodi spatia triplo ac parte septima majora, quam baculi ipsius diameter. Cum volutam hanc perfecissem, partitus illam sum in partes quatuor supra illius centrum, quarum quatuor partium singulas divisi bifariam paulo ultra ambitum basis cylindri, in quibus partibus inveni quatuor centra pro prima circuitione, quae centra pariter circuitionibus reliquis ad basim usque usui fuerunt. Quare eadem regula, quam supra tradidi pro inveniendis commemoratae superius Volutae centris, inveniri possunt centra alterius Volutae cujuslibet, ac Voluta quaelibet alia proinde potest circino perfecte deformari.

FINIS

LOCA OBSCVRA ET DIFFICILIA
OPERIS IONICI
VITRVVIANI
PERPETVO COMMENTARIO ET FIGVRIS ILLVSTRATA

A B

IO. BAPTISTA BERTANO

DE ITALICA IN LATINAM LINGVAM CONVERSA

INTERPRETE A. A. F. S. T. D.

VIRO ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

HERCULI GONZAGAE
CARDINALI MANTUAE

JOANNES BAPTISTA BERTANUS

Quemadmodum in re architectonica eum mihi veluti scopum proponendum esse putavi, ut, quantum virium mearum imbecillitas pateretur, ducem ac magistrum Vitruvium sequerer, Te praesertim, Vir Illustrissime, ac Principe nostro auctore et jubente, qui me suarum aedium privatarum publicarumque curandarum provinciae tum in Urbe, tum in ditione tota praeficiendum censuit; ita non mediocrem in id curam impendi, ut Vitruvianis quibusdam locis aliquam lucem afferrem, eaque in bono lumine collocata cujusque captui accommodarem. Qua in re usus sum in primis eo lumine, quod, cum de Jonica Voluta simul colloqueremur, e tuo mihi sermone affulsit, quodque suo veluti splendore initia quaedam detexit germanae sententiae, cui longa aetas simul, ac pressa in dicendo Auctoris elegantia nonnullas tenebras offuderat, viam aperuit progrediendi porro, ac juvit ad ea probe intelligenda, ut ego sentio, quae alii aliter exposuerunt. Jam vero munus hoc laborum meorum in tuo nomine proferre in lucem volui, tanquam fructum a te manantem, fretus ea spe, ut quae radix illum extulit, eadem etiam emissum ita foveat, ut in posterum exceptus nostrae huic Mantuanae Urbi afferre nonnihil ornamenti possit, tanquam incrementum nescio quod ad coepta grandia, quibus per sexdecim annos prope crevit in immensum Te auspice ac moderatore non in iis modo, quae ad publicarum privatarumque aedium magnificentiam spectant, sed etiam splendore virtutum caeterarum, in quibus collocata est germana laus et amplitudo civitatum. Nec mihi videor quidquam facere imprudenter dum Tibi tractatus edo de Architectura: video enim me, dum id facio, illum ipsum sequi ducem, quem mihi imitandum proposui, Vitruvium, inquam, non minus in rebus caeteris sapientem virum, quam artis hujus peritum magistrum, qui suos de Architectura libros dedicavit Augusto, ut nemo ignorat, inter principes viros principi summo; cui, ad animi certe ornamenta quod attinet, cum nihil ipse concedas, quae Te reddunt pari dignum imperio (ad quem dignitatis gradum ab hoc, quem obtines, divinitus evehi potes) meas hasce lucubratiunculas dicare non dubitavi. Illud unum a Te etiam atque etiam peto, ut mihi hanc veniam tribuas, ut haec qualiacumque animi in Te mei testimonia exhibeam; Tuque illud cogites, quid a me praestari possit, non quid tua dignum amplitudine videatur; ac me pro singulari ingenii tui liberalitate tuo patrocinio non indignum putes: qua re sicut nihil ardentius opto, ita satis abunde labores meos compensatum iri judicabo.

DE ORDINE JONICO

Sacrae aedes constant ratione, ac symmetria, quam utramque callere accuratissime debent Architecti; ab operis proportione utraque nascitur. Proportio autem est membrorum omnium alterius cum altero apta convenientia cum ratione ac symmetriis unicuique secundum ratam partem distributis. Neque enim potest aedes ulla rationem ac symmetriam partium habere, nisi structura ejus a forma alicujus bene figurati hominis, ejusque membrorum distributione expressa fuerit. Nam corpus hominis ita natura finxit, ut facies a summa fronte, quo pertinent radices capillorum, usque ad imum mentum sit pars decima totius corporis; manus palma ab ejus junctura ad medium extremum digitum tantundem. A summo autem vertice capitis usque ad imam partem menti, si fiat dimensio, octava pars invenitur; atque a summo vertice ad imas cervices tantundem. Faciei altitudo tres habet sibi invicem proportione respondentes mensuras, cujus pars tertia a summa fronte, capillorumque radicibus usque ad supercilia est, tantundem a superciliis ad imas nares, itemque a naribus ad mentum tantundem. Pes hominis sexta sui corporis pars est: cubitus vetus, sive ulna, quarta pars est corporis justae magnitudinis, cubitus sex palmos continet, palmus autem digitos quatuor, ut infra ostendetur. Caetera quoque membra suos habent commensus proportionis. Collum enim dimidia facies est, cujus dimensio, de qua modo diximus, modulus erit totius corporis. Ergo ab imo collo ad imum pectus unus modulus est; ab imo pectore ad umbilicum, modulus unus ac dimidius; ab umbilico ad testium radicem modulus unus, ipsaque testium radix tertia pars moduli: ab ipsa autem radice usque ad genu moduli duo; genu vero tertia pars moduli unius est, ab eoque usque ad pedis talos moduli duo; a talis ad imam pedis partem tertia pars moduli unius. Latitudo pectoris usque ad lacertorum juncturas continet modulos duos; a juncturis autem illis ad cubitum modulus unus intercedit cum duabus unius moduli quartis partibus ac dimidia: a cubito ad juncturam manus modulus unus ac dimidius; manus vero ipsa eo, quo diximus, pacto dimensa modulus unus est: quibus proportionis commensubus veteres celebresque Statuarii et Pictores usi sunt, magnasque laudes et infinitas sunt assequuti. Ita sacrae quoque aedes ad universam magnitudinis summam ex partibus singulis convenientissimum habere debent commensum responsum, quemadmodum fecisse in humano corpore naturam conspicimus, cujus rationes nequeunt non esse convenientissimae, atque absolutissimae.

Etsi hac aetate temporum, quemadmodum apud veteres, non soleant porticus excitari in pronao, in postico, atque ad latera Sacrarum aedium; videtur mihi tamen ea res non solum plurimum commodi populo afferre, sed etiam cum plurimum elegantiae praeseferre, tum ostentare magnificentiam, jucundamque spectantium oculis speciem exhibere; ut Romanum Pantheum, quod nostri *Santa Maria Rotunda* vocant, aedem et forma et artificio omnium sive sacrarum sive profanarum multo pulcherrimam, intuenti facile patet. Templi porticus habet in fronte columnas octo dispositas in modum Pycno-

styli, hoc est spissa ac referta columnatione. Eustylus a Vitruvio descriptus pulcra, concinna, et commoda columnarum distributione constat ita dispositarum, ut intercolumnia imam duarum columnarum crassitudinem, et quartam ipsius partem capiant, medium vero intercolumnium habeat crassitudinem trium columnarum; quo fit ut porticus et figurationis venustum aspectum exhibeat in vestibulo templi, et lumen tribuat ornamentis, ac caelaturis subjectis, cujus planta Peripteros dicitur; ejusque in Tab. K Fig. 1. ienographia apponitur.

Hujus autem columnarum distributionis in porticu ea ratio est: si constituenda ita sit, ut quatuor in fronte columnas habeat, dividenda frons est in partes undecim ae semis, quarum partes quatuor tribuentur quatuor columnis, tres mediano intercolumnio, quatuor ac semis reliquis duobus intercolumniis; atque hoc pacto commemoratarum undecim partium ac dimidiae facta distributio erit. Sin vero porticus fuerit sex columnarum, frons ejus dividatur in partes octodecim; si constituatur columnarum octo, in partes distribuatur viginti quatuor ac semis: utrovis autem modo fiat, ex iis partibus sumatur una, eaque erit modulus. Medianum intercolumnium sit trium modulorum; reliqua autem omnia sint duorum modulorum et quartae unius moduli partis, atque ita distributae partes omnes erunt juxta regulam superius traditam. Columnarum altitudo erit modulorum octo et dimidiatae partis unius moduli, ut patet in apposito Schemate (Tab. I).

Columnae etiam, quae in angulis porticus collocabuntur, faciendae sunt reliquis crassiores ex sua diametro quinquagesima parte, quippe quae aere circumdatae graciliores spectantium oculis videantur. Quod ergo fallit oculos, illud est ratione exaequandum. Sed crassitudo summarum columnarum sub taenia, quae est sub astragalo, videtur in hunc modum facienda, ut si columna sit ab minimo ad pedes quindecim, ima ejus crassitudo dividatur in partes sex, quarum quinque summae columnae tribuantur: quae vero a pedibus quindecim ad pedes viginti, imus illius scapus dividatur in partes sex, et semis, quarum pars una dematur a summa columna: pariter columnae a viginti pedibus ad pedes triginta truncus imus in septem partes dividatur, earumque sex summa contractura fiat: quae autem columnae a pedibus triginta ad quadraginta altae fuerint, earum crassitudo ima dividatur in partes septem ac dimidiam, quarum sex et dimidiam habebit summa contractura: pariterque columnarum, quae a pedibus quadraginta ad quinquaginta fuerint altae, imi scapi dividi in partes octo debent, et ex iis partes septem summo scapo tribui. Si quae demum his etiam altiores columnae fuerint, eadem ratione illarum contractura fieri debet, dum lateribus ad perpendiculum respondeant; idque fiet ob altitudinis intervallum: nam propter distantiam rem incertam oculus refert; ac proinde quod distantia tollit, id Architecti prudentia suppleat oportet. Contra vero videndum est in Pycnostylo, cujus intercolumnium unius et dimidiatae columnae crassitudinem accipit, ut columnae decem modulorum fiant, ne propter crebritatem et frequentiam adjectionum earundem columnarum tumidam ac invenustam speciem efficiat.

Ac si jaciantur fundamenta, ubi solidum non inveniatur, sed in loco palustri, tunc effodiatur humus quam alte fieri potest; deinde pali crassiores fastigiati, ferreis etiam, si opus fuerit, fistucis crebro ictu magnaque vi adigantur in fundamenta, comminutoque carbone, quo ab imis palorum partibus injecta calcis arceantur injuriae, eorundem palorum intervalla impleantur; qui pali, si alnei fuerint, aut robustei, aut oleaginei, aut salicei, operi erunt valde utiles, eoque utiliores, si virides, ac tum caesi fuerint, cum manus operi admovebitur.

Gradus, qui in templi fronte fient, impares esse debent (Tab. K Fig. 2.) ut cum pes dexter primum gradum in imo ascendat, pariter primus ponatur in summo ad Templi aditum; Matresque familias inter ascendendum aeque vestigia premant. Graduum autem crassitudines neque majores sint dextante, hoc est decem digitis, neque graciliores sextante, sive digitis sex, ut facilis ascensus fiat. Retractiones vero graduum nec minores uno ac dimidio pede fieri debent, neque majores pedibus duobus. Pes palmos quatuor continet, palmus digitos quatuor; ita ut pes digitos sexdecim complectatur: cujus mensura in Fig. 3. ostenditur, apposito etiam graduum ipsorum exemplari.

Cum in Jonico Vitruvii Opere loca multa offendantur obscura captuique difficilia, iccirco latinum Auctoris textum juvat apponere, quippe cum plurimum habeat difficultatis (quod in posterum faciam, quoties difficile quippiam occurrerit) ut qui haec fortasse legerint, interpretationem nostram cum aliorum interpretationibus conferentes, quis Vitruvii mentem melius fuerit assequutus, facile possint intelligere.

Supraque terram parietes exstruantur sub columnis, dimidio crassiores, quam columnae sunt futurae, uti firmiora sint inferiora superioribus, quae stereobatae appellantur: nam excipiunt onera. Spirarumque projecturae non procedant extra solidum: item supra, parietis ad eundem modum crassitudo servanda est.

Jactis eo modo, quo superius dictum est, fundamentis, parietes, hoc est, muri supra terram exstrui debent, quibus columnae ac podium imponendum est; qui parietes ad libellam supremi gradus ante templum struantur, sintque dimidio crassiores columnis, quae supra ipsos futurae sunt: ea crassitudo necessaria est, ut inferiora, quae grave onus excipiunt, firmiora sint superioribus; quae superiora appellantur *stereobata*, nostris *Piedestali*. Tam crassi praeterea parietes illi esse debent, ut spirarum projecturae, hoc est bases stylobatarum extra parietum solidum non procedant; ad eundemque modum crassitudo parietis servanda est, ne columnarum bases, quae supra stylobatas excitandae sunt, projectura sua extra solidum procurrant.

Jam vero si Podium, quod nostri appellant *Parapetto*, faciendum erit inter duos quosque stylobatas, servandae erunt regulae hae: *uti quadrae, Spirae,*

Trunci, Coronae, Lysis, ad ipsum stylobatam qui erit sub columnae spiris, conveniant. Stylobatam ita oportet exaequari, uti habeat per medium adjectionem per scamillos impares. Si enim ad libellam dirigetur, alveolatus oculo videbitur. Hoc autem uti scamilli ad id convenienter fiant. Recenset Auctor hoc loco per ea verba membrorum nomina, quae fieri in Podio, ac Stylobatis debent, videlicet Quadras, quos nostri dicunt *Zocchi*, quippe eum sit primum supra parietes membrum; Spiras, quae habent ordines uno plures; ac Plinthum quadra minorem, qui quadrae ipsi imponitur; Truncos, qui sunt inter utrumque columnae ornamentum, inferius nempe ac superius ad podium, atque ad stylobatas; Coronas, quae ab architectis nostris vocantur *Gocciolatoj*, quibus semper membrum aliquod subnecti debet; Lyses, vulgo gulas inversas, et rectas, etsi alibi vocet Auctor *simas*: nimirum simae quidem dicuntur, cum summo fastigio supra reliqua membra imponuntur, quod fit in frontibus; tum enim sima membrorum omnium suprema est, ac rectam gulam significat: quae membra modo commemorata si facta in parte inferiore fuerint, atque in parte superiore podii, ut diximus, eadem in stylobatis quoque fient.

Stylobatae autem fient in hunc modum: lati erunt quaqua versum, quam lati sunt plinthi basium sub columnis, supraque parietes. Ipsorum basis alta erit dimidia columnae crassitudine, adjecta parte una ac dimidia ex partibus quatuordecim ipsius crassitudinis columnae: reliquum dividatur in partes septem, e quibus partes tres quadrae tribuantur, cujus projectura par erit altitudini; partes duae plintho, cujus projecturae projecturis quadrae erunt paulo minores; reliquae duae partes lysi, ejusque labio ex parte sexta ipsius altitudinis; tantundem erit ejus astragalus; illius projectura erit prope ad extremam plinthum: stylobatarum truncus altitudinem habebit saltem columnae crassitudini, ac ut plurimum duplici crassitudini parem: qui modus altitudinis usurpabitur, prout res postulabit, causa exempli, ad attollendam deprimendamve columnam aliquam, ut ordo se habeat apte et concinne; idque fieri poterit, dummodo tradita ratio, ac symmetria non immutetur.

Uti quae adjectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum.

Praecipit his verbis Auctor, ut symmetriae, quibus superiora epistyliorum membra facta fuerint, respondeant adjectioni, quae facta ad medios stylobatas est; quam adjectionem paulo ante docuit fieri *per scamillos impares*, hoc est parvos gradus impares: quod utrumque hoc modo praestabitur, videlicet addendo stylobatae trunco sextam crassitudinis columnae partem, sic ut ejus sextae partis hinc semis, ac semis inde trunco apponatur; tum dividendo dimidiatum ipsum columnae truncum in partes septem, quarum una cymatio tribuatur, quod habebit projecturam supra adjectionem altitudini aequalem: quod superest, dividatur in partes duodecim, e quibus tres primae fasciae, quatuor secundae (cujus pariter projectura supra adjectionem par erit eidem adjectioni dimidiae) quinque demum tertiae designentur, cujus projectura reliquae dimidiae adjectionis parti aequabitur: eodem modo, quae restat, alia stylobatae pars conformabitur. Ac per haec stylobata fiet cum adjectione *per medium*

eadem ratione ac symmetria, qua conformantur epistylia; proindeque adjectio ipsa concinnabitur, quemadmodum tradit Auctor.

Uti habeat per medium adjectionem per scamillos impares.

Idest stylobata adjectionem habebit per medium cum parvis gradibus imparibus; cumque suo loco collocatus fuerit *alveolatus* videbitur, hoc est speciem vasis exhibebit oculo, vasis instar pedem praeseferens, ventrem, et collum. Scamilli autem convenient stylobatae, cum suas ab epistyliis derivationes habeant, epistylia vero suas ab ipsis. Coronae tandem, quae stylobatis addentur, altitudinem habebunt quartam partem crassitudinis columnae in septem partes divisae; e quibus pars una ac dimidia echino dabitur ad circuli quadrantem conformato, partes autem tres coronae cum cymatio tribuentur: quae quidem corona tantum (Fig. 4.) procurret extra stylobatam, quantum plinthus ipsa adjecta stylobatae: coronae cymatium sexta ipsius parte altum erit: gula recta, quae lysis dicitur, una cum labio altitudinem habebit duarum partium ac dimidiae, et tantundem projecturae. Atque hac ratione, quemadmodum paulo ante diximus, conformatum stylobatam egomet vidi in exquiliis prope Divae Mariae Majoris Ædem in hortis Dominici Blanchini Patricii Romani; qui stylobata etsi temporis injuriis detritus esset, tamen ornamenta, quae commemoravimus, omnia referebat; quae, secundum Auctoris nostri Vitruvii sententiam, hic descripsi.

Putavere multi, germanum se Vitruvianae doctrinae intellectum posse consequi, licet operi numquam manum admoverint; multi contra destituti praeceptis artis doctrinam eandem conati sunt exponere: quod neutrum, ut ego quidem puto, fieri ulla ratione potest. Utrumque, et artem et opus, fidenter ajo requiri, uti tanti Auctoris docta pariter, et concisa scripta probe intelligantur: quae duae res quoniam hactenus altera ab altera dissociatae sejunctaeque fuerunt, factum est, ut Vitruvium alii aliter exposuerint, variasque in sententias illius interpretes abierint, ut Frater Jucundus, Albertus Durus, Baptista de Albertis, Caesar Caesarianus, Sebastianus Serlius, Gulielmus Philander, Daniel Barbarus, maxime vero ad ea verba, ubi agens Auctor de gradibus imparibus, *per scamillos*, inquit, *impares*. Quamquam illorum nonnulli sententiam suam non exponunt, nonnulli verba illa intelligenda esse de stylobatarum a podio exstantia affirmare pronunciant: quae hominum opinio mihi sane (quod cum bona ipsorum venia dixerim) videtur non minus a mente Vitruvii, quam a luce tenebrae, abhorrere. Si enim Auctoris verba paulo diligentius perpendere voluerimus, ea tam clara et aperta inveniemus, ut nullo modo de illa stylobatarum exstantia accipi posse videantur: *stylobatam* enim, inquit, *ita oportet exaequari, uti habeat per medium adjectionem per scamillos impares*; ex quibus verbis facile patet, de nulla re alia Vitruvium loqui, nisi de apponenda stylobatae adjectione, eaque facienda per parvos impares gradus; quemadmodum clarius etiam aperit mentem suam Auctor lib. 3. dum ait: *uti quae adjectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus membris respondeat symmetria epistyliorum*; rursusque lib. 5. *stylobatisque*, inquit, *adjectio quae fit per scamillos impares, ex descriptione, quae supra*

scripta est in libro tertio, sumatur. Itaque tum ex illis, tum ex his apertissime colligitur, Vitruvium non loqui nisi de stylobata ejusque adjectione instar adjectionis epistyliorum facienda; quemadmodum adjectio istorum ad modum illius fiet, quae in stylobatis est. Adjectio porro epistyliorum sunt membra supra ipsa collocata. Mos enim fuit apud veteres pro arcu trabem columnis imponere; quare a nostris trabes ejusmodi *Architravi* appellantur, ab arcu et trabe desumpto nomine; quibus ornatus gratia adjectionem pariter ligneam per parvos impares gradus factam apposuerunt: quos gradus ea ratione ac symmetria efformarunt, quam tradidit Vitruvius, ac subinde tradet; quam formam a flexibili ligno ad duros lapides elegantes architecti postea traduxerunt. Haec pauca dicere libuit, quippe cum res postulare videretur, ut perdifficilis ille textus, de quo paulo ante, captui obvius redderetur.

Dores, a Doro ipsorum rege sic appellati, quandiu Peloponnesum, et Achajam incoluerunt, templa multa in iis locis more Dorico fabricati sunt. Postquam autem Jonio duce in Asiam commigrarunt, eamque regionem, quam occupaverant, appellavere Joniam, cum vellent aedem Apollini excitare (quippe qui universae Joniae Deus habebatur) eam, uti viderant in Achaja, constituerunt, Doricamque dixerunt, quod in Doricorum civitatibus primum factam eo genere viderunt. Hanc igitur aedem ornare columnis cum vellent, quae et ferendo oneri essent pares, et in aspectu probatam haberent venustatem, neque in promptu essent symmetriae ullae ad eam rem satis accommodatae, vestigium virilis pedis dimensi sunt, quod cum invenissent sextam partem altitudinis in homine, praebuit ea res occasionem traducendi symmetrias virilis corporis ad ipsas columnas; atque ita scapum simul cum capitulo sexies altiorem crassitudine imae columnae fecerunt. Ita columna Dorica virilis corporis proportione firmitatem simul aedificio, simul venustum aspectum contuentium oculis exhibebat. Deinde iidem Jones cum Dianae quoque templum constituere decrevissent, quaerentes novi generis speciem, iisdem, ac antea, vestigiis institerunt, sed pro virili pede pedem puellarem ad imitandum sibi proposuerunt, utpote elegantiorem et graciliorem; adeoque fecere columnae scapum cum capitulo octies ima crassitudine elatiorem; atque ut altius etiam attolleretur, imo trunco basim quoque supposuerunt pro calceo; tum ornatus gratia capitulo *concrispatos*, ut appellat Vitruvius, concinnos dextra ac sinistra affinxerunt, cymatiis et encarpis instar comae eleganter dispositae, concinneque calamistratae frontem ornantes, truncoque toto strias demiserunt referentes rugas stolarum, quibus Matronae utebantur. Ita duobus columnarum discriminibus usi, altera nuda specie ac sine ornatu firmitatem severitatemque virilem, altera eleganti, multiplicique ornamentorum varietate referta mollitiem ornatumque muliebrem imitati sunt. Posteri vero elegantia subtilitateque judiciorum progressi, modulisque gracilioribus delectati, columnam Doricam sine basi imae columnae diametro septies excelsiorem, Jonicam vero octies et semis fecerunt. Et quoniam genus id columnarum a Jonibus primum repertum est, mutuato ab auctoribus nomine, Jonicum merito appellatur.

Etsi Vitruvius lib. 3. polliceatur, se traditurum rationem et formam adjectionis, quae fieri in mediis columnis debet postremo libro, quod tamen ad calcem tertii, ut mihi quidem videtur, praestandum fuerat; nihilominus conabor ego, cum Vitruviana illa ratio ac forma desideretur, tum ex Auctoris doctrina, tum ex columnarum per strenuos peritosque Architectos veteres elaboratarum testimoniis regulam tradere, quippe cum haec res una ex iis videatur esse, quae in arte marmorea praecipua sunt. Multis enim Architectorum placuit, columnas tertia imi scapi parte ad perpendiculum exigi, reliquis autem duabus tertiis partibus imminui: quae quidem imminutio cum Vitruviana doctrina nullo modo potest congruere; columnarum etenim contracturas explicans, easque docens non temere usurpari, imitandam, inquit Auctor, lib. 4. arborum naturam esse, quae crescendo progrediuntur in altitudinem naturali contractura peraequata nascentes ad cacumen, ut abies, cupressus, ac pinus, se quodammodo gravi oneri foliorum, ramorum, fructuumque excipiendo praeparantes; quod si in iis, quae nascuntur, ita se natura gerit, recte igitur constitutum est, in altitudinibus, atque crassitudinibus superiora inferioribus fieri contractiora; ac proinde, si ita se res habet, nullo modo potest prima columnae tertia pars exigi ad perpendiculum, cum idem Auctor praeterea velit, quod in mediis columnis adjicitur, id plani inter duas quasque strias latitudinem esse, quemadmodum lib. 3. docet.

Crassitudines striarum faciendae sunt, quantum adjectio in media columna ex descriptione invenietur.

Videlicet crassitudines inter duas quasque strias docet Auctor tam crassas fieri oportere, quam crassa est adjectio in media columna: quod tamen dum ait, vult summis columnis crassitudinis suae contracturam designari, etiamsi ipsas ob immunem altitudinem nihil contrahi oporteret: atque ita qua ratione columnae creverint, eadem pariter crassitudines striarum crescent. Divisa ergo ima columna in partes vigintiquatuor, quae pro striis earumque crassitudinibus erunt, ipsae crassitudines inter duas quasque strias erunt pares adjectioni in media columna; quae adjectio paulo minor erit quinta parte unius ex viginti quatuor illis partibus, in quas divisa ima columna est.

Figura N. (Tab. L Fig. 5.) ea est, de qua paulo ante diximus, in qua ratio ostenditur faciendae in media columna adjectionis: haec autem fiet hoc modo. Sumpta mensura columnae imae, eaque ad superiorem traducta, ibi signum affiges; tum in partem interiorem recedendo sextante ejus mensurae, hoc est, hinc semis, et semis hinc, ibi appones signa; quae hinc et hinc dimidiata pars dividatur in partes quatuor, quae facient puncta quinque: deinde columnae longitudo in partes quatuor secetur, positoque fili alicujus extremo in imo scapo columnae, atque altero extremo ad punctum alterum in parte superiore producto, signataque linea secundum fili ductum ad primum columnae inferioris quadrantem, tum eodem modo ad secundum, deinde ad tertium atque ultimum quadrantem, et ad tertium, ad quartum, ad quintum punctum desinet columnae contractura, hoc est ab uno latere; ductaque linea ad imum

columnae a quinto puncto, quidquid exstabit in media columna, id adjectio appellatur per mediam columnam, ac mensura erit crassitudinis inter duas quasque strias, quemadmodum superius ajebam: atque haec regula transferri ad omnium columnarum adjectiones debet. Baltheus imae columnae tam altus erit, quam crassus est Volutae capituli oculus; projectura ejus erit toti oculo aequalis. Columnam hac ratione conformatam Mantuae habemus, quae et paucis cognita est, et sordibus semiobruta: adest nunc apud Venerabiles Sacerdotes Pretiosi Sanguinis Christi Domini Reparatoris Nostri in Cavedio.

Tria illa genera striarum, quas adjecta figura exhibet, varias habent crassitudines, ut facile est animadvertere. Crassitudines enim F. (Fig. 6.) ex ea columna expressae sunt, quam secundum imi scapi tertiam partem Architecti nonnulli exegerunt ad perpendiculum, quae proinde sunt quarta pars ex iis partibus viginti quatuor, in quas imae columnae divisus ambitus est: quo fit ut eae crassitudines, cum sint grandiusculae, a crassitudine striarum, quae in antiquis columnis conspiciuntur, plurimum distent; quod ex eo nascitur, quia tertia imae columnae pars nihil contrahitur, ut diximus.

Figura autem G. (Fig. 7.) crassitudines habet inter duas quasque strias expressas ex adjectione per mediam columnam ab imo scapo decrescere incipientem facta, quae paulo sunt minores quinta ex partibus quatuor et viginti, ut superius diximus; atque ejusmodi striae ita excavabuntur, ut normae in eas conjectae, et circumactae ancones dextra ac sinistra ora striarum tangant; acumen vero simul cavo, simul oris aequaliter sedeat.

Venit nunc in mentem, me, cum Romae degerem, quemadmodum dicetur olim loco suo, forte apud Maximos Romanos Patricios aliquando fuisse nescio quae antiquitatis monumenta inspecturum, apud quos praeter caetera videre contigit partem columnae marmoreae striis, seu canaliculis caelatam, quorum crassitudines longe ab aliis multumque discrepabant. Nam uni eorum baculus aereus insertus erat, qui, quantum potui conjicere, inauratus fuerat; in reliquis commissuras detexi in modum hirundineae caudae conformatas; ex quo suspicatus sum, ipsis quoque baculum ejusdemmodi aliquando inhaesisse: ac probe memini, Hieronymum Genga Virum tum in Architectura, tum etiam in Perspectiva atque Pictura praestantissimum narravisse mihi, se quoque vidisse partem aereae columnae justae magnitudinis, quae et striata erat, et ejusmodi baculos insertos habebat, quod minime mirum est, si veterum magnificentiam spectemus. Jam vero in eo trunco, quem ego vidi, canaliculos numeravi solum viginti; eorumque uno in partes octo et semis diviso, quatuor partes et dimidia canaliculum constituebant; duae baculum, ac duae una hinc, una inde duas taenias. Atque ex hoc genere, et hac ratione conformatas columnas egomet adhibui, quibus duo Majoris Mantuani Templi pneumatica organa innituntur, quasque apposita Figura V. (Fig. 8.) refert.

Si basis Jonica ex Vitruvii descriptione facienda fuerit, ea in hunc modum conformabitur: dimidia columnae crassitudo erit basis altitudo; ejus latitudo ac longitudo tanta erit, quanta est totius scapi crassitudo, addita praeterea quarta et octava parte ejusdem crassitudinis: tum (Tab. M Fig. 9. Basis T) divisa in partes septem, praeter ejus plinthum, quae tertia pars erit altitudinis basis, ex iis tres toto sub columna, quem vulgo vocant *Bastone* tribuentur; quatuor reliquae dividantur aequaliter, una scotia erit, quas rursus in partes quatuor secta, una fiet astragalus, vulgo *Bastoncino*; altera duobus supereiliis dabitur, inter quae scotia facta ex parte reliqua interjicitur: pars altera dividatur pariter in partes quatuor, ita ut omnes sint partes octo (quae Vitruvii mens est) altera alteri baculo, altera duobus superciliis, reliquae ascribantur scotiae, quem alio nomine Latini Trochilum quoque dixerunt, Itali vulgo *Cavetto*. Projectura bacillorum ad vivum balthei sit sextadecima crassitudinis columnae pars, quae proinde futura octava pars est altitudinis ipsius basis; quae projectura projecturae tori par erit, ac projectura tori par ipsius altitudini.

Plerisque Architectorum magnopere displicuit hoc modo conformata basis; idque opinor ego factum ex eo fuisse, quod ipsis crassior aequo torus videretur. Ego vero sic sentio, animadvertendum esse, quemadmodum apud Musicos si una tantum chorda tangatur, etiamsi probe consonet cum reliquis, concentum nullum edit jucundum auribus, idem in basi Jonica contingere, quae ipsa sola venustam speciem praeseferre nequit, etiamsi cumulate suisque numeris perfecta sit; quemadmodum in eo schemate licet conspicere, in quo scapus capitulo subest, visitur etiam epistylium, zophorus, corona, ac stylobata.

Nunc de Jonico capitulo agemus, quod symmetriis hisce deformabitur. Dividatur imus columnae scapus in partes duodeviginti, adjecta praeterea parte una, ut omnes sint novendecim; abacus tantum habebit longitudinis ac latitudinis; crassitudo autem capituli cum volutis erit dimidius abacus.

Recedendum autem est ab extremo abaco in interiorem partem frontibus volutarum parte duodevigesima, et ejus dimidia.

Animadvertere hoc loco oportet, ab Auctore extremum abacum dici angulos abaci; atque haec mens ejus est, ab angulis abaci recedendum esse in partem interiorem frontibus volutarum (ita enim loquitur) parte una ac dimidia; quae interjunctio erit versus oculum ipsarum volutarum.

Jam vero etiam atque etiam cavendum hoc loco est, ne in eum errorem incidamus, in quem lapsi nonnulli Architecturae prudentes sunt, qui allatum textum in hanc sententiam accepere, ut putarent recedendum esse in partem interiorem ab angulis abaci, qui volutarum frontibus imponitur, parte una ac dimidia; hoc est, subeundum esse versus mediam frontem abaci, atque ita demitti ad perpendiculum lineas, quas cathetos vocant; quae sane lineae

nullo modo ibi possunt consistere, sicut figura O (Fig. 16.) demonstrabo. Ait igitur Auctor, ut antea dicebamus, recedendum esse in interiorem marmoris partem ad perpendiculum parte una ac dimidia, marmorisque latitudinem majorem esse debere assignata abaci latitudine, ut intra ipsum projecturam suam habere cymatium possit, quem echinum vocant, nostri *Vovolo*: ea pars una ac dimidia ad perpendiculum exacta erit abaei crassitudo; atque ita facti erunt quatuor ipsius anguli, qui ejus extrema erunt.

Et secundum abacum in quatuor partibus volutarum secundum extremi abaci quadram lineae demittendae, quae catheti dicuntur.

Ac secundum abacum in quatuor volutarum partibus, hoc est secundum extremam abaci ipsius quadram dimittendae sunt lineae, quae vocantur catheti, quae cadent in quatuor angulos, quos formavimus, abaci, sicut in figura B (Fig. 10.) ostenditur; quae lineae in partes novem ac dimidiam dividantur; earum pars una ac dimidia abaco dabitur, ut antea dixi, oeto reliquae volutis.

Tunc ab linea, quae secundum abaci extremam partem demissa erit, in interiorem partem alia recedat unius et dimidiatae partis latitudine.

Praeterea ab illa linea, quae ad perpendiculum demissa est in angulos abaci, recedendum est, ac subeundum in partem interiorem parte una ac dimidia, hoc est contra volutarum frontes; quae pars una ac dimidia erit abaci projectura supra volutas, quemadmodum in figura A (Fig. 11.) demonstratur. Atque haec linea superius commemorata ea est, quae diu multumque Architectorum mentem hactenus torsit.

Deinde lineae catheti dividantur ita, ut partes quatuor et dimidia sub abaco relinquantur, atque in eo loco, qui dividit partes quatuor et dimidiam, et tres et dimidiam, centrum signari debet; tum ducenda rotunda circinatio tam magna in diametro, quam una ex iis partibus, quae erit oculi magnitudo; atque in ea circinatione per transversum agenda linea parallela est, quae oculum in quatuor quadrantes dividet: hanc parallelam lineam Auctor non nominat aperte quidem, sed tamen ita loquitur, ut facile illa possit intelligi, dum inquit *tetrantorum*.

Tunc ab summo sub abaco inceptum in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eundem tetrantem, qui est sub abaco, veniat.

Tunc necesse est agere in omnibus singulisque quadrantibus, quos Vitruvius *tetrantes* appellat. Actio in iis quadrantibus fiet pede circini posito supra punctum primum, quod signabitur in primo oculi quadrante, pede altero sub abaco, ac deorsum circumacto primus quadrans ibi dimidio oculo imminuetur, quemadmodum in figura T. (Tab. N Fig. 12.) apparet, atque eodem modo singuli quadrantes dimidio oculo imminuentur posito circini crure stabili per singulos subinde quadrantes in omnibus punctis, circumactoque sic altero crure mobili

nunc sursum, nunc deorsum per quadrantes singulos, donec ad eundem quadrantem, qui est sub abaco, deveniatur; cujus rei Figura I (Fig. 13.) exemplum exhibet.

Est mihi in animo ad umbilicum perducere Jonicam Volutam, de qua in superioribus commemoratum est, et quam multi praetermiserunt, causam afferentes alii quidem, nullo pacto Vitruvianum textum posse intelligi, alii vero illum esse decursu temporis depravatum; multi etiam existimarunt, dedita opera Vitruvium tam obscure de re ea scripsisse, quippe qui Volutae rite deformandae rationem penitus ignoraret. Quare hactenus plerique in eo consensere, ut faterentur, se Auctoris verba et intellectum non assequi, ubi ait: *Tunc ab summo sub abaco inceptum in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eundem tetrantem, qui est sub abaco, veniat*: ac proinde Architecti illi, prout ipsis visum fuit, volutam deformaverunt, producentes illam in lucem, quo melius per ingenium licuit. Alii autem rati se modo allata Vitruviana verba probe intelligere, seque venditantes ingeniosae ac perdifficilis Volutae Jonicae auctores, ejus rationem hoc ferme modo tradiderunt. In primis quadratum, inquiunt, describere oportet in oculo volutae, ac per diagonales ejus lineas puncta duodecim signare: tum quatuor primae circinationes fient ponendo crus fixum circini in quatuor ipsius quadrati angulis, et crus alterum circumagendo, ut dictum est antea, singulisque circinationibus singulae contrahentur dimidiata oculi diametro. Atque hactenus juxta mentem Vitruvii tum circinationes, tum contractiones ipsarum bene ac recte. Ubi vero ad secunda puncta ventum est, ad formandas quatuor alias circinationes, collocato circino in commemoratis punctis per lineas diagonales signatis, ut dictum est, ductisque, sicut antea circinationibus, Voluta tertia solum diametri oculi parte contrahetur. Deinde ad quatuor postrema puncta deveniatur, quae reliqua sunt pro quatuor reliquis agendis circinationibus, eademque ratione, ac in superioribus instituatur actio, atque ita perfecta Voluta erit; postremaeque istae circinationes sexta diametri oculi parte singulae imminuentur. Ego vero ajo, secundas has, tertiasque circinationes cum Vitruvianis verbis minime convenire, quae ita habent: *in singulis tetrantorum actionibus dimidiatum oculi spatium minuatur, donicum in eundem tetrantem, qui est sub abaco veniat*: ex quibus facile patet, Vitruvium praecipere, ut singulis circinationibus singuli orbes contrahantur dimidio oculi spatio, idque fiat in singulis tetrantibus; quae operatio in hisce tetrantibus circini crure fixo ac mobili instituetur. Vox *tetrantorum* idem significat, ac quatuor orbis, seu alterius sphaericae rei partes, cujusmodi est circulus Volutae divisus in partes quatuor, quas Vitruvius appellat tetrantes. Ait autem in Voluta deformanda agendum esse in ipsis tetrantibus, non in lineis tetrantes ipsos dividentibus, quemadmodum libelli nescio qui recens editi docent. Etsi porro nomine Vitruvius solas lineas cathetos, non autem etiam parallelam illam, de qua superius commemoravimus, cum de Voluta ageremus, tacite tamen illam significat: neque enim potest dicere *tetrantorum*, neque tetrantes ulli esse possunt sine illa linea, quae secet in puncto cathetum ad libellam bifariam dividens Volutae oculum; qua sectione fiunt in eodem oculo tetrantes, seu quadrantes quatuor, de quibus hactenus egimus. Altitudo capituli sic est facienda, ut ex novem

partibus et dimidia tres partes praependeant infra astragalum, qui infra cymatium est, ac supra summum columnae scapum.

Cymatio addito abaco et canali, reliqua sit pars. Projectura autem cymatii habeat extra abaci quadram oculi magnitudinem. Pulvinorum balthei ab abaco hanc habeant projecturam, uti circini centrum unum cum sit positum in capituli tetrante, et alterum diducatur ad extremum cymatium, circumactum baltheorum extremas partes tangat. Axes volutarum ne crassiores sint, quam oculi magnitudo: volutaeque ipsae sic caedantur, ut altitudines habeant latitudinis suae duodecimam partem.

Itaque haudquaquam computato abaco et canali, quod reliquum est (Fig. 13.) tribuatur cymatio, quod habebit projecturam extra frontem, sive quadram abaci, quanta est crassitudo oculi. Balthei, seu cingula pulvinorum, quos nostri vocant *Cartocci*, qui medii erunt, et ipsum abacum ambient, tantum exstabunt, ut posito circini crure in centro quatuor quadrantum capituli, crus alterum ad extremam cymatii partem diductum, et in orbem circumactum extremas baltheorum oras tangat. Exemplum adest in Figura 15. (Tab. O). Axes Volutarum ii sunt, qui circumeunt ipsarum latera frontesque: ii crassiores non erunt magnitudine oculi. Canalis Volutarum sit pars duodecima latitudinis ipsarum.

Supradicta figura (Fig. 13. Tab. N.) exhibet Volutam ea, qua diximus, ratione elaboratam, ponendo videlicet crus fixum circini bis in singulis punctis in oculi tetrantibus signatis: Volutae referunt canalis infra abacum latitudinem: ipsarum oculi crassitudinem ostendunt astragali cum ejus taenia: reliqua pars erit cymatio. Axes, qui Volutas circumeunt, nihil imminuantur; eorumque crassitudines liberum cuique erit facere, prout maxime libuerit; modo tamen ne sint oculo majores, adeo ut in frontibus quidem Volutarum sint pares dimidio oculo, in lateribus vero oculo integro.

Vocem hanc *Axis* superius commemoratam credidere nonnulli, et adhuc credunt, accipiendam esse pro Volutae oculo; neque praeter oculum eam posse quidpiam aliud significare. Ego vero affirmare non dubito, homines magnopere falli. Vitruvius enim oculum vocat eam partem, quae in media Voluta est, non axem; atque ex ejus verbis, dum ait, *Axes volutarum ne crassiores sint, quam oculi magnitudo*, manifeste colligitur, Axem idem non esse cum oculo, sed fasciolam illam, quae oculum ipsum ambit, ac Volutas, ut diximus, nec posse aliter accipi; quippe cum caeterorum membrorum omnium nomina cognita habeamus, nullaque pars alia, praeter eam fasciolam, sine nomine supersit, nec alia sit vox, praeter Axem, sine propria significatione, credere juvat, Axem proprie significare fasciolam illam, quae oculum et Volutas complectitur, et hanc Vitruvii mentem fuisse. Non ignoro, illud obiici mihi posse, Axem proprie esse lineam illam, quae per centrum mundanae sphaerae transit, suisque extremis circumferentiam tangit, circum quam tota mundi machina convolvitur; interim tamen negare nemo poterit, Axem hoc loco fasciolam illam esse, de qua loquimur.

Rerum potiente Paulo III. Pontifice Maximo, bis forte me Romam contuli tum addiscendae Architecturae causa, tum etiam ob alias res ad alia studiorum genera pertinentes; qua in Urbe diu noctuque novis quotidie rebus pervestigandis cum vacarem, die quadam in insulam Tyberinam veni. Rhombi figuram praesefert insula, ac secundum amnem puppis formam nanciscitur: constructa est plurimo ingentique marmore, distincto pulcherrimis ornamentis, atque instar navis conformato; eodem modo ambitur insula universa. Carinae prope sub puppi affixum conspexi caelatum ingenti corpore serpentem; is speciem referebat emergentis ex amne Tyberi, ac prolabentis in aedem Æsculapii in puppi ipsa constructam, ubi collocata fuisse dicitur ipsius Æsculapii statua, quae teste Fulvio de Antiquitatibus Urbis Romae, ex oppido Epidauro advecta mari fuerat, ac in ejus navis puppi posita. Ibi visuntur hodie horti, quos vocant Fratrum Sancti Bartholomaei, ubi apparent adhuc commemorati templi vestigia, e cujus reliquiis Gelasius II. Pontif. Max. D. Bartholomaeo aedem excitavit. Ædem hanc adii una cum Georgio Ghisio Mantuano, viro in paucissimis hac aetate peritissimo tum in aeris caelatura, tum in multis aliis artibus. Ibi postquam plurima Jonica capitula conspeximus ingentibus suffulta columnis, consilium cepimus ea propius contueri. Arrepta igitur praelonga scala in altum scandi, ac prae caeteris oculos conjeci in quoddam capitulum, quod frontes abaci quadratas habebat, quemadmodum eas describit Vitruvius, planosque Volutarum oculos, quibus signata inerant quatuor puncta in quatuor oculi quadrantibus; quae puncta tum quidem haud intellexi in quem finem fuerint impressa; intellexi autem postea quam mihi luculentissime patefacta sunt per virum illustrissimum Cardinalem, ut ab initio dixi, loca multa de Voluta capituli Jonici a Vitruvio descripta, quae multum obscuritatis habebant, intellexi, inquam, ea puncta ad agendas Volutae circinationes apposita fuisse, quemadmodum in figura superiore de primo puncto primaque circinatione ostensum est.

Jam vero figura ✠ (Tab. O Fig. 14.) ostendit retractionem baltheorum, projecturam echini atque astragali, cavum quoque canalis Volutarum, crassitudinemque summae columnae, quae Volutarum cavo respondet. Exhibet praeterea figura eadem latus capituli, et abaci projecturam, axes etiam in lateribus, qui, ut dictum est, crassiores non debent esse oculi magnitudine. Baltheus, qui pulvinum ambit, tam latus erit, quam abacus: pulvinus foliis, aut piscium squammis, scalpatur. Ac quoniam saepe contigit, ut nonnulla solum adumbrata pulcherrima viderentur, deinde insculpta nullam venustatem praeseferrent; contra vero quaedam viderentur invenusta, dum essent delineata, quae ad opus traducta pulcritudinem, elegantemque aspectum intuentium oculis exhibuerunt (quod ex eo fit, quia adumbratio rerum lineis constat, quae in opere et scalptura dimidio majores evadunt) diligenter id cavere oportet, ne facile in errores prolabamur. Ergo etiamsi abacus adeo simplex adumbratus deficere videatur, axesque aequo majores appareant, contra tamen in opere suo utrumque continget. Si tamen libuerit, undula inversa fieri poterit in frontibus abaci, quemadmodum fecere multi, ac fieri passim assolet.

Ex figura S. (Tab. O Fig. 15.) colligitur latitudo ac longitudo abaci, projectura echini ab ipso abaco; praeterea projecturae baltheorum, qui pulvinos cingunt; tetrantes etiam capituli, in quorum centro, ut dixi, collocandus circinus est ad describendam astragali et echini circumferentiam; projectura denique baltheorum, quae echini projecturae respondet.

Cum superius pollicitus sim, ostensurum me adjectam figuram O. (Tab. P Fig. 16.) libuit e regione figuram appingere, ut alterius bonitas, alterius errores facilius detegi possent. Jam demissas ad perpendiculum lineas in locum abaci, quo modo factum est in figura Z. (Fig. 17.) ajo, nullo modo posse bene habere. Siquidem illae lineae oculos ac Volutas ita alteros alteris admovent, ut echinus cum projectura a Vitruvio assignata inter Volutas excipi nequeat; ac si, quemadmodum oportet, echino circumferentia sua tribuatur, depressae fiunt Volutae singulae oculi magnitudine, neque oculi ipsi transire per baltheos possunt, occurrentes sibi mutuo per rectam lineam; ac si ab ipsis demittantur lineae ad imum columnae truncum, hunc illae dimidiato oculo hinc et hinc subeunt, quod fit absurde. Quare membra singula depressa atque angusta evadunt, quod licet in figura O intueri. Cujus rei si quis certior fieri cupiat, is sibi sumat hanc operam, ut ex argilla, facilitatis et impensae minoris gratia, capitulum fingat, et hinc intelliget, quod a me dictum est antea, dictum esse verissime: ac mihi quidem nulla ratione ejusmodi errores detegi videntur posse, nisi illud, de quo dixi, experimentum instituatur.

Porro in capitulis, quae imponuntur columnis a quindecim pedibus ad pedes viginti altis, illud est animadvertendum, ut quantum summae columnae decrescet contractura juxta regulam alibi traditam, tantundem longitudini ac latitudini abaci addatur; item si columnae a viginti pedibus ad pedes triginta, si a triginta ad quadraginta altae fuerint, idem fiat, hoc est quantum summa columna crescet, tantundem adjicietur abaco; qui, utpote totius capituli regula, eo modo et adjectione auctus, quemadmodum diximus, pro rata parte singula quoque membra reliqua capituli augebit.

Tradita forma Eustyli, frontis porticus, distributionis columnarum; habito praeterea sermone, quantum satis esse potuit, de fundamentis, de stylobatis, de gradibus, de columnis, de striis, de basibus, ac de capitulis; reliquum modo illud est, ut de epistyliis, de zophoris, de coronis, de frontibus et acroteriis verba faciamus. Epistylia ego ita (Tab. Q Fig. 18.) fient. Si columnae fuerint a minimo duodecim pedum ad pedes quindecim, altitudo epistylii erit dimidia crassitudo imae columnae; si a quindecim pedibus ad pedes viginti alta columna fuerit, ejus altitudo distribuatur in partes tredecim, ex quibus pars una altitudini epistylii tribuetur: item si a viginti ad viginti quinque pedes, dividatur columnae altitudo in partes duodecim ac semis, et pars una epistylium in altitudine fiat; item si a viginti quinque ad triginta pedes, dividatur in partes duodecim, et una pars altitudo fiat epistylii; atque ita porro ad eum-

dem modum secundum ratam partem pro modo altitudinis columnarum faciendae sunt epistyliorum altitudines. Quanto enim altius epistylium, vel quaevis alia res distat ab oculo spectatoris, tanto ipsius oculi acies languidior evadit, atque renunciat rem incertam, et invenustam. Quare quod distantia vel immutat vel tollit, ut dictum est alibi, id ratione instaurari, atque addi in opere debet, ut membra certam habeant magnitudinum rationem. Epistyli crassitudo in imo supra capitulum tanta fiat, quanta erit crassitudo summae columnae sub capitulo; summa autem epistylii crassitudo par erit crassitudini imae columnae. Undula inversa, seu cymatium, quod est supremum supra epistylium membrum, pars septima erit ipsius epistylii, cujus projectura altitudini aequalis erit. Quod reliquum est ex epistylio, dividatur in partes duodecim, partes quinque fasciae infra cymatium erunt, partes quatuor fasciae medianae, reliquae partes tres imae fasciae.

Zophorus autem, nisi scalpantur signa, fiet ejusdem, ac epistylium, altitudinis; sin vero signa scalpantur, fiet quarta parte altior epistylio, ut scalptura magis magisque respondeat. Supra ipsum fiat cymatium septimae partis altitudinis zophori, ejus projectura tantundem erit: cavendum est autem, ne cymatium in ipsa zophori altitudine comprehendatur. Denticulus supra cymatium erit tam altus, quam alta est media epistylii fascia, projectura ejus, quanta altitudo: denticuli frons sit altitudinis ipsius pars dimidia; frons autem ipsa ad perpendiculum insistet labio scotiae, quae facta fuit supra plinthum basis sub columna. Cavi inter duos quosque dentes e tribus frontis partibus duas habeant; dentis cymatium ejus sexta pars erit; projectura tanta, quanta altitudo; neque ipsum cymatium in sex commemoratis dentis partibus comprehensum sit. Corona cum suo cymatio, praeter rectam undulam, par fiat mediae epistylii fasciae; projectura coronae una cum projectura denticuli aequetur altitudini zophori ad lineam alteram cymatii coronae: idem cymatium sexta coronae pars erit, quod ab ipsa corona tantum exstabit, quanta est ipsius altitudo. Figura zophorum habet quarta parte altiorem epistylio. Sima, quam gulam rectam appellant, sit par altitudini coronae, addita suae altitudinis parte sexta pro ejus labio; projectura ejus tanta esse debet, quanta est altitudo. Figura ipsa adjectionem ostendit factam supra epistylium.

Tympanum frontis ita fiet (Fig. 19.) ut fronte coronae ab extremo cymatio, quod supra parvam coronam, vulgo *Cornicciotto* est, tota in partes novem distributa, ex iis par una altitudo tympani constituatur. Tympanum, ornatus gratia, habeat illa membra omnia, quibus praedita corona est, eandemque altitudinem. Sed illud animadvertere hoc loco oportet, si tympanum sive frons imponenda coronae sit, coronam ipsam debere carere sima. Sima enim, seu gula recta, constitui supra coronam debet, quae fiet in ipsa fronte, quemadmodum jam dicta Figura 19. ostendit.

Acroteria, quae nostri vocant *Pilastelli*, quaeque imponi frontibus debent, hoc modo fient, ut angularia tam alta sint, quantum est dimidium tympa-

num, mediana vero angularibus octava parte minora; eorum crassitudo tanta, quam crassus est summae columnae scapus. Sequens Figura V. (Tab. R Fig. 20.) coronas exhibet, zophorum pulvinatum, epistylium, capitulum, basim, ac stylobatam. Lineae mortuae (ut appellant) punctis descriptae convenientiam ostendunt projecturarum inter se; quae sane conjunctim praeseferunt speciem venustatis. Adjectio, seu venter, qui in medio zophoro fiet, erit crassitudinis imae columnae pars duodecima.

Scias velim, benigne Lector, ea genera coronarum, zophori, epistylii, capituli, basis, stylobatae, quadrae, graduum Jonici ordinis, quae hactenus descripta sunt, experiendi gratia me nec semel, nec uno in loco hic Mantuae usurpasse, praesertim vero in foribus aedis meae, quae ex lapide, quem vocant *Bronzo*, quique apud Divum Ambrosium in Agro Veronensi reperitur, constructae sunt. Ostii ea est conformatio, ut ad dexteram gradus habeat a Vitruvio descriptos, supraque gradus stylobatam cum adjectione alibi tradita; basim quoque, ac supra basim columnam duos pedes crassam cum suo capitulo, epistylio, zophoro, et corona ad eum modum facta, quo docuimus. Ad laevam ostii alia columna conspicitur eorundem membrorum ac diametri; sed tum membra, tum columna ipsa secta bifariam est, ita ut et gradus, et stylobata, et basis, et scapus, et capitulum, et epistylium, et zophorus, et corona, omnino membra omnia dimidiata sint. Columna constituta est rotunditate sua ad parietem, sive antam, quae ibi conspicitur, sic ut omnes commemoratorum membrorum projecturae facile appareant. Nomina quoque singulorum membrorum insculpta conspiciuntur, quae descripta a Vitruvio sunt. Visitur etiam tum re, tum litteris expressa ratio adjectionis, quae columnae facienda est: adsunt et basis projecturae; stylobata exhibet projecturas suas cum adjectione media *per scamillos impares* facta ex verbis Vitruvii, qui modum adjectionis faciendae accurate tradit; ex iisdem litteris intelligitur, quaenam sit corona, quaenam lysis, quinam truncus, quid sit quadra, quid et quanta graduum crassitudo atque retractio: praeter haec adest ulna hodierna, cubitus, pes, palmus, digitus antiquus, norma, circinus. Descriptum item est mortuis, vivisque lineis, capitulum cum abaco quadrato, voluta, oculus cum tetrantibus, quibus quatuor insunt signata puncta ad explicandas Volutae circinationes. Apparet rursus capituli latus, quod ostendit, quinam sit axis, quaenam abaci, quaenam echini projectura, quinam cavus canalis. Ad haec contractura demonstratur summae columnae, et crassitudo imae; ac totum id in eum finem, ut hinc quidem praecepta, hinc autem opus ipsum oculis subjiciatur; ex quo percipitur partium inter se commensus, ac symmetria. Cernere licet etiam pulcherrimas Volutas a columnae scapo liberas et expeditas. Nihil vero dicam, quam bene, quantoque artificio superioribus inferiora membra respondeant, quod ex multiplici linearum varietate luculentissime patet. Adest et Jonicum ostium lineis ac nominibus membrorum suorum distinctum cum omnibus latinis vocibus a Vitruvio desumptis, qui ejusmodi ostii conficiendi rationem tradit; quod si quis attentius inspexerit, atque ad artis praecepta revocaverit, facile intelliget, musicis omnibus rationibus numerisque perfectis cumulate absolutum esse; adeoque in rebus omnibus sapientissime se se Vitruvium nostrum gessisse.

Animadverti, quosdam, cum altitudinem luminis in ostio Jonico per Vitruvium descripto vellent facere, cepisse ipsius partitionem a lacunaribus, quemadmodum ait textus Vitruvianus. Sed ii lacunaria ibi signaverunt, ubi nullo pacto signari poterant; quo factum est, ut perperam ostium fieret, ejusque corona justo altior esset, neque illi membrum ullum responderet. Oppositum enim docet Auctor, dum inquit:

Uti corona summa, quae supra antepagmentum superius imponitur, aeque librata sit capitulis summis columnarum, quae in pronao fuerint.

Quae verba quoniam non in eum sensum accepta sunt, in quem debuerant accipi, visus est erravisse Vitruvius, quemadmodum ob eandem causam in aliis quoque locis ab imperitis ignorantiae arcessitur. Atqui si suam ipse praesens agere causam posset, palam profecto faceret, quae a se dicta sunt, esse dicta prudentius, quam nos intelligimus, quemadmodum ubi agitur de lumine ostii Jonici, cujus latitudo ad opus Doricum translata est, ac Dorici ad Jonicum. Quare cum ipse non intersit, dabis mihi hanc veniam, ut quo melius potero, ejus causam tuear in hoc Jonico opere; quod et cupio facere, et faciam, Superis bene juvantibus, in aliis etiam ipsius de Architectura libris, quorum difficilioribus obscurioribusque locis studebo pro virili lucem afferre. Ajo itaque, lacunaria a nonnullis assignata supra rectam gulam, quae et supra coronam, zophorum, epistylium, et columnas intra templum, nulla ratione posse eo loco consistere. Si enim templa in parte interiori tres habeant naves, sive deambulationes, erunt lacunaria in duabus navibus ad latera, ac supra columnas, quae majorem navim a minoribus secernunt, ut factum conspicitur Mantuae in primario Templo; lacunaria vero medianae deambulationis ad tectum usque pertinebunt: idipsum enim ratio postulat, cum deambulatio media duplo sit amplior reliquis duabus. Quod si templa fuerint unius deambulationis, lacunaria nullo modo esse ibi possunt, ubi ab aliquibus constituta sunt; oportebit ea describere usque ad ipsum tectum; quippe cum unicam solum cellam habeat aedes; quemadmodum diximus. Sin autem in ea parte lacunaria sint, ubi summus vertex fastigii in Tab. I, sumaturque distributio, ut lumen ostii fiat, ab ipsis, et eo loco, quo diximus, tum Jonicum ostium maxime accedet ad Vitruviana verba, et cum illis conveniet, ejusque altitudo (quantum attinet ad ordinem) altitudini Romani Panthei respondebit. Habet hoc ostium ornatum suum in parte superiore, quod cum corona imposita columnis porticus concurrit. Quare videtur illud pro certo habendum, ostium, de cujus deformatione acturi sumus, tanto ad sanam Vitruvii doctrinam magis accessurum, quanto magis ad opera praestantium veterum architectorum accesserit, quemadmodum de Pantheo diximus.

Jam vero agendum hoc loco est de ostiis Jonicis, quae in hunc modum fient. Altitudo a pavimento usque ad lacunaria intra ipsam aedem (quae lacunaria sunt suprema illa interstitia et lacus inter trabes in elatiore parte tecti ostio respondentes, quorum cavus ibi erit, ubi jam indicavimus in supradicta Tabula), ea, inquam, altitudo dividatur in partes tres et semis, e quibus par-

tes duae luminis altitudinis tribuentur; quae altitudo dividatur in partes quatuordecim, quarum una antepagmentorum, quae nostri vocant *Pilastrate*, crassitudini dabitur (quae pariter erit semis columnae) rursus altitudine luminis in duodecim partes divisa, ex iis quinque et dimidia ostii latitudini tribuantur in imo; ac si lumen altum fuerit ad sexdecim pedes, in summo contrahatur antepagmenti tertia parte; si vero extolletur ab imo a sexdecim pedibus ad pedes viginti quinque, superior pars luminis contrahatur octava antepagmenti parte: ostia reliqua, quo fuerint altiora, ad perpendiculum exigi debent. Antepagmenti cymatium sit sexta ipsius pars. Quod restat, praeter cymatium, in partes duodecim dividatur; ex iis tres tribuantur primae fasciae, quatuor secundae, quinque tertiae, quas fascias auctor appellat *corsas*; eaeque corsae habebunt infra se astragalos, quibuscum concurrant circum. Supercilii, quod pro epistylio supra antepagmenta est, altitudo fiat, quanta crassitudo est in summa antepagmentorum parte, easque supercilium symmetrias habeat, quas ipsa antepagmenta. Hypertirum, seu zophorus, supra supercilium fiet, in eoque sima scalptura multiplex foliorum varietas caeletur, quod fiet etiam sub corona. Cymatium Doricum in modum canalis efformabitur, sub quo sculpetur commemoratus astragalus; tum supra cymatium ipsum corona plana collocanda est, quae et ejusdem erit altitudinis, et ad libellam posita cum superiore parte capitulorum, quae sunt in porticu, hoc est tam alta, quanta est altitudo a capituli astragalo usque ad abacum. Planam dicit Auctor, ut intelligamus, eam fieri debere simplicem, et sine scalptura: ejus projectura erit supercilii altitudini aequalis; coronae hujus cymatium ejusdem sit altitudinis, ut dixi, atque ad libellam cum abaco capitulorum, quae in columnis porticus facta fuerint; adeo ut abacus ipse pro cymatio sit ipsius coronae. Ancones, hoc est, mensulae dextra laevaque fient, altaeque erunt ab ima coronae parte ad imum supercilium; in parte inferiore a quarta ad tertiam ferme partem contrahentur: quae contractura pro diminutione ostiorum adhibeatur: quemadmodum licet ex Figura, quam in praedicta Tabula videre est, intelligere.

Animadvertere hoc loco praestabit, in eadem Figura ab lineis *mortuis* (ut appellant) sive ab lineis, quae punctis designatae sunt, demonstrari partim proportionem luminis forium, partim crassitiem antepagmentorum, partim zophorum, et astragalum, qui in lineis ad libellam, atque in mensuris convenit cum capitulis, et cum Volutarum oculis. Distinguuntur tum cymatium lesbium, tum corona plana cum suo cymatio conveniente cum crassitie et altitudine abaci capitulorum. Demonstrantur praeterea ancones referendi ad columnarum imminutionem.

Quamvis lumen ostii a Vitruvio descripti majus sit mediano intercolumnio, nemo tamen jure dixerit, id absurde factum esse, aut ignoranter. Qui enim Vitruvii scripta paulo diligentius perpenderit, facile intelliget, ea et cum veritate magnopere cohaerere, et ab omni errore esse longe remota. Sed imperitia nostrorum temporum in causa est, cur aliquando de Vitruviana doctrina dubitemus. Ergo etsi commemorati lumen ostii mediano intercolumnio majus esset, ajo tamen, nihil absurdi fore. Et sane liceat mihi quaerere, sitne Romanum Pantheon aedes perantiqua opus praestantis architecti; sintne ejus or-

namenta venusta, et docte elaborata? id nemini vel negare, vel dubitare fas est. Non ergo in ostii Jonici deformatione Vitruvius erravit. Nam in Pantheo lumen ostii mediano porticus intercolumnio majus est, et quidem crassitudine unius columnae majus. Alia praeterea venusta templa afferri possent, quorum lumen ostii majus est intercolumnio mediano; sed instar omnium esse Pantheon potest. Ac facile mihi quidem esset rationes afferre, quamobrem tum in Pantheo, tum in aliis templis ejusmodi sit majus mediano intercolumnio ostiorum lumen: sed finem faciam, idque peritioribus architectis cognoscendum remittam.

Fores ita compingantur, uti scapi cardinales sint ex altitudine luminis totius duodecima parte. Inter duos scapos tympana ex duodecim partibus habeant ternas partes. Impagibus distributiones ita fient, uti, divisis altitudinibus in partes quinque, duae superiori, tres inferiori designentur. Super medium medii impages collocentur, ex reliquis alii in summo, alii in imo compingantur. Latitudo impagis fiat tympani tertia parte, cymatium sexta parte impagis. Scaporum latitudines impagis dimidia parte. Item replum de impage dimidia et sexta parte scapi qui sunt ante secundum pagmentum, dimidiam impagis constituantur.

Ostia igitur componentur ac fient in modum hunc. Scapi cardinales fiant hoc ordine, ut (Fig. 21.) divisa totius luminis altitudine in partes duodecim, ex his una sit scapis ipsis, quibus singulis bini cardinales sunt affixi, alter in imo, alter in summo, circum quos cardines, dum aperiuntur, clauduntur ve, valvae torquentur. Tum distributo inter duos scapos intervallo, quae est luminis latitudo, in partes duodecim, singulis tympanis ternae partes designabuntur; atque ita distributis duodecim partibus quatuor tympanorum latitudinis constitutae erunt. Impagum distributiones, hoc est fasciae, quae circum ambiunt tympana, ita fient, ut altitudo totius luminis dividatur in partes quinque, quae erit altitudo quinque tympanorum, quorum duo superiora, tria inferiora sunt. *Super medium medii impages collocentur*, hoc est super medium linearum dividentium quatuor tympana collocabitur medium impagum, aliae impages omnibus tympanis in superiore, et inferiore parte affigentur. Harum impagum latitudo fiet ex tertia parte tympani; impagis cymatium sexta pars ejus erit. Ostii scapi tum superiores, tum inferiores dimidia impage lati erunt. *Item replum de impage dimidia et sexta parte.* Replum ea pars est ostii, quae replicatur, seu quae obtegitur parte altera, dum fores clauduntur. Replum hoc ex dimidia sextaque parte impagis fiet. Scapi ante, et secundum antepagmenta (quae accipiuntur hoc loco pro antis, nostri *Antiporte*, vel *Pilastrate* appellant, hoc est lapideum ornamentum circum fores confectum) dimidia impage fient; quae dimidia impages, seu scapi foribus clausis circum antepagmentum protendentur tangentes ipsas impages. Veteres nonnunquam impages hasce adhibuerunt simplices, ac sine ullis ornamentis, nonnunquam folia insculpserunt, ac sub ipsarum cymatiis astragalos, in tympanis signa, et aliquando etiam animalia frondesque caelaverunt; quemadmodum in praesens quoque hujusce rei aliqua vestigia exstant in vestibulo templi Romuli ac Remi, ut placet nonnullis, vel, ut placet aliis, Castoris et Pollucis; appellatur nunc templum Sanctorum Cosmae et Damiani, quod non longe distat ab arcu Lucii

Septimii. Habet aedes illa fores bipatentes aereas multiplici foliorum scalptura distinctas, ut diximus. Romanorum quoque Pantheon aeream januam habet biforem, ac praeterea aliam minorem, ipsam quoque aeream, qua itur ad scalas, hinc ad vestibulum, quod aedem totam ambit. Aliae sunt Romae templorum aereae januae, quas silentio praetermittimus: neque enim refert singulas recensere.

Etsi audivi saepe multos conqueri, fieri nullo modo posse, ut ex Vitruvii scriptis ratio deformandae Jonici capituli Volutae colligatur, quae toties praestantissimorum virorum ingenia torsit, non ideo tamen me res absterruit, quin opus quanta maxima cura potui tentarem, in eoque ponerem quidquid temporis licuit surripere tum primarii hujusce urbis Templi fabricae, tum aliis multis occupationibus, quibus distinebar totus, et adhuc distineor, propter demandatam mihi ab Illustrissimo Duce Guillelmo curandarum aedium suarum provinciam, qui incredibili quodam amore ac studio, a Majoribus suis veluti per haereditatem accepto, pulcherrimam Architecturae disciplinam prosequitur. Re tota igitur cum Ludovico Ferrario viro Mathematicarum disciplinarum peritissimo, ac scriptis Vitruvianis praecipue versatissimo, communicata, videor mihi tandem satis luculenter, illustrasse, captuique pervium reddidisse, quidquid antea multis obscurum, et impervium creditum est. Ajo tamen, tum in eodem capitulo, tum in locis aliis Operis Jonici me partes alias offendisse tanto etiam Voluta ipsa difficiliores, quanto minus cognitas, atque suspectas. Cum enim capituli ipsius ratio habita sit facilis, ac probe intellecta, si excipiatur Voluta, neque tamen intellecta probe fuerit ab ullo, qui de illa scripserit, manifestissime, ut ego quidem opinor, occultissimam ibi latuisse difficultatem apparet, haud aliter ab iis, qui in Vitruvium scripserunt, praetermissam, quam soleat quandoque a medico negligi abdita aegritudo aliqua, quae ignorata pariter et neglecta demum extremam perniciem aegroto importet. Igitur cum naturalis diligentia non omnes artes, scientias ac disciplinas uni infuderit, sed rerum omnium praecepta omnibus distribuerit, Te in primis, Vir Illustrissime ac Reverendissime, deinde eos omnes, qui forte meas hasce lucubratiunculas legerint, enixe oro obtestorque, ut si quid a me dictum fuerit aut supervacaneum, aut explicatum infeliciter, apud Grammaticos venia me dignum putetis: non enim ut Rhetor peritus, vel ut Grammaticus in grammatico ludo caste loquendi regulis excultus, sed tanquam Architectus hoc litterarum genere instructus, obscura ac difficilia de Opere Jonico Vitruvii praecepta Superis bene juvantibus, illustranda atque explananda suscepi.

FINIS

DE ECHEIS

HOC EST

DE VASIS THEATRALIBVS

DE QVIBVS MENTIONEM FECIT

VITRVVIVS

LIB. V. CAP. V.

DIATRIBA

QVAE EST CAPVT XXXVI. OPERIS

P. BONAVENTVRAE CAVALERII

CVIVS TITVLVS EST

LO SPECCHIO VSTORIO

DE ITALICA IN LATINAM LINGVAM CONVERSA

DE VASIS THEATRALIBUS
V I T R U V I I
D I A T R I B A

Ex iis, quae *de Sectionibus Conicis nota sunt*, causam intelligere aliqua ex parte possumus, quare Theatris forma in orbem tribuatur; quo videlicet Auditores vocem percipiant non primariam tantummodo, quae e scena tanquam ex centro per universam Theatri amplitudinem manat, sed etiam secundariam, quae nempe ex ipso Theatri pariete in gyrum flexo remittitur. Immo vero ut vox isthaec plenior redderetur, auresque subiret auditorum suavior, mos fuit Antiquis, inter ipsa subsellia, cellis quibusdam in pariete excavatis in morem, ut ego quidem autumo, loculamentorum, quae solent admittendis statuis praeparari, imponere aerea quaedam vasa; ita tamen ut cuneis quibusdam suspensa haererent, quin parietem ipsum tangerent, atque ore conversa deorsum essent. Tredecim erant plerumque vasa haec in eadem parietis regione in Theatris minoribus; at in majoribus septem supra triginta, eademque in regione triplici; accommodabanturque secundum genus harmonicum chromaticum, ac diatonum, sic formata, atque disposita inter se se, ut, si tangerentur, sonitum facerent diatessaron, ac diapente ex ordine ad disdiapason, hoc est quartam, ac quintam redderent ex ordine ad quintam decimam: intra quos fines concentum omnem concluserunt veteres; quanquam Vitruvius quidem usque ad octavam decimam progressus est. Haec indicat idem Vitruvius l. 5. Architecturae suae c. 5. ubi haec habet: *Ita ex his indagationibus, mathematicis rationibus fiunt vasa aerea pro ratione magnitudinis Theatri; eaque ita fabricentur, ut cum tangantur, sonitum facere possint inter se diatessaron, diapente ex ordine ad disdiapason. Postea inter sedes Theatri constitutis cellis, ratione musica ibi collocentur, ita uti nullum parietem tangant; circaque habeant locum vacuum, et a summo capite spatium, ponanturque inversa, et habeant in parte, quae spectat ad scenam, suppositos cuneos, ne minus altos semipede; contraque eas cellas relinquantur aperturae inferiorum graduum cubilibus longae pedes duos, altae semipedem.* Atque hinc fiebat, ut ex vasis hisce reflexa vox multo plenior, multoque suavior ad auditorum deferretur aures, quemadmodum, exposito concentu, quem edere ea vasa debent inter se, subdit ipse Vitruvius, *ita*, inquiens, *hac ratiocinatione vox ab scena, uti a centro, profusa se circumagens, tactuque feriens singulorum vasorum cava excitaverit auctam claritatem, et concentu convenientem sibi consonantiam.* Vasa isthaec quanquam essent numero tredecim, non tamen singula sonitum reddebant diversum; sed quoniam ordinata erant in semicirculum, ea duo sonitu concordabant, quae paribus a medio distabant intervallis. Sed quo tota res haec in lumine collocetur, tredecim litterae majusculae in apposito diagrammate A. B. C. D. E. F. G. F. E. D. C. B. A. descriptae, atque in directum constitutae, referunt ea vasa, etiamsi vasa quidem ipsa essent in orbem constituta pro Theatri in formam semicirculi extructione.

Hinc itaque intelligemus vasa duo AA. quemadmodum et duo BB, CC, DD, EE, FF, ejusdem esse soni, propterea que et magnitudinis ejusdem inter se. Jam vero ex his vasis quae extrema sunt AA, ad Neten hyperboleon sonent exempli causa in genere harmonico, idest sonum reddant acutissimum; tum alia duo BB ad Neten diezegmenon, idest sint sono graviora diatessaron, seu quarta, quam ipsa AA; adeoque vasorum BB corpora ipsorum AA sesquitertia esse oportebit: diatessaron enim constat proportioni sesquitertia. Tertia item CC secundis BB graviora erunt quarta, iisdemque respondebunt sesquitertia proportione, ut ista quoque CC una cum ipsis BB forment diatessaron. Sed quae duo DD quartum locum tenent, graviora erunt tertiis CC tono integro; proindeque ad eadem CC erunt in proportione sesquioctava. Vasa EE quinto loco sita graviora erunt, quam DD, quarta; quemadmodum et sexta FF quarta erunt graviora, quam EE. Ad extremum vasis G medium locum tenentis sonus gravissimus erit, quarta ab ipsis FF distans. Atque hae consonantiae illae sunt, quas edere, judicio Vitruvii, videntur debere vasa commemorata, quandocunque aut voce, aut re alia quapiam icta fuerint. Quanquam videntur et alia ratione potuisse vasa illa sic ordinari, ut ex iis melior etiam concentus nasceretur: de qua tamen re viderint Musici Practici, qui quaenam sit optima consonantia, qua possint vasa haec concordare, facile intelligent.

Sed quamquam intelligantur consonantiae ejusmodi, ac doceat Vitruvius, praestare locari ea vasa, ubi cellae sunt, quemadmodum ait loco memorato, ac multa alia, quae spectant eodem, exponat; quae tamen de materia hac tradit, haud ea videntur esse, quae curiositati nostrae plene planeque satisfaciant. Etenim neque docet Vitruvius, quam formam habere cellae ipsae debeant, quam vasa, qua proportione debeant fieri pro Theatrorum magnitudine, qua regula sisti: hoc enim unum ait: *fiunt vasa aerea pro ratione magnitudininis Theatri*, indicans cava esse oportere verbis illis: *tactuque feriens singulorum vasorum cava*; praeterea vero nec ipse, neque ejus Interpretes, ii certe, quos videre ego potui, verbum ullum addunt. Quare quid ipse in hac re quoque sentiam, non omittam exponere, non quod putem me ipsam veterum rationem posse assequi; sed quod ea, qua ego puto, ratione videtur mihi fieri facile posse quippiam simile rei illius, quam innuit Vitruvius; atque ut ingenia excitem hominum studiosorum ad problema hoc alterum expendendum: dignum enim est curiosa pervestigatione eorum, qui res novas quaerunt, quique nullis laboribus parcunt, ut thesauros veterum disciplinarum, ruinis quasi obrutos, in lucem educant.

Crediderim igitur ego quidem, memoratis vasis aliquam Sectionum Conicarum figuram tributam fuisse, Parabolicam scilicet, aut Hyperbolicam, aut Ellipticam: harum enim singulas scimus jam accommodatissimas esse uniendis ad aliquod punctum, aut contra ab eo disiungendis, lineis convergentibus, divergentibus, ac parallelis, voce egrediente ex Actoris ore tanquam e quodam puncto, ac propterea manante in gyrum per lineas divergentes. E tribus tamen figuris nominatis Hyperbolicam duabus reliquis opportuniorem, utilioremque judicaverim extitisse; cellas vero putarim oportuisse Ellipticas esse secundum longitudinem, ac latitudinem; tam vasa demum, quam cellas ita censuerim ex ordine ad Theatrum fuisse constructas, ut ex duobus focis cellae Ellipticae (quod est segmentum superficiei sphaeroidis) alter quidem ibi esset, ubi Actores, seu cantores morari solent, alter autem prope cellam ante ipsam,

contraque ipsius frontem ; ita ut in idem punctum incideret focus etiam vasis hyperbolici ore deorsum conversi : quae sane ordinatio, atque collocatio eadem ferme est, quae esse debet speculi magni parabolici, ac speculi parvi (ut in meo Opere : *Lo Specchio Ustorio.* Cap. 20. exposita fuit) idemque debet esse artificium. Jam vero ex figura, et dispositione vasorum cellarumque ejusmodi enasci id debere, quod volumus, nunc declarare oportet. Vox igitur, quae manabit e scena, perque amplitudinem Theatri propagabitur, fertur per lineas a foco ibi, ubi paulo ante indicavimus, constituto in scena divergentes, atque in cellas Elliptica praeditas superficie deveniet. Quare cellae illae lineas omnes sonoras, quas recipient, ita reflectent, ut reddantur convergentes ad focum alterum ante cellas, contraque frontem situm: sed is quidem erit etiam focus interior hyperbolici vasis ibidem constitutus. Ergo lineae sonorae, quas cella in interiore commemorati vasis foco conjunxerit, hunc praetergressae, perlataeque in cavum hyperbolici vasis, utpote divergentes, ex eodem cavo pariter divergentes, reflectentur, quemadmodum constat (ex citati Operis Coroll. Cap. 14.) rectas lineas, quae digressae ab interiore foco hyperbolae in eandem hyperbolam feruntur, reflecti divergentes a foco exteriore. Hinc itaque vox latius semper latiusque sese effundens poterit ita remitti reflectique, ut ad omnes auditores perveniat: quae res haud sane contingeret, si vas formam haberet parabolicam: vas enim hoc modo configuratum sonoras lineas reflecteret parallelas (per citati Operis Coroll. Cap. 9.) neque item contingeret, si forma vas praeditum esset elliptica; tunc enim in uno sonoras lineas puncto conjungeret (ut ejusdem Operis fert Cap. 17.) Quare vasis hisce, de quibus loquimur, videtur mihi quidem prae figuris reliquis Hyperbolica accommodatissima fuisse. Cum igitur tredecim ejusmodi vasa sint eo, quemadmodum dictum est, ordine sita, tredecim pariter vocis ejusdem reflexiones fient ad aures singulas auditorum, atque, ut dicam in summa, totidem fient ejusmodi reflexiones, quot fuerint ipsa vasa, eoque harmonico fient concentu, qui ex eorundem vasorum proportione enascetur.

Atque haec ex iis sunt, quae mihi de vasis Theatralibus cogitanti venerunt in mentem; quam rem si forte alii expendendam susceperint, modos fortasse invenient faciliores, qui mihi pro mei infirmitate ingenii haud occurrerunt: sed iis tamen spero nequaquam ingratum futurum, posse et haec mea cogitata una cum caeteris ad trutinam exigere. Haec quidem, quae ego de proposita materia in medium protuli, cum modo illo Antiquorum per Vitruvium indicato ad unguem convenire non ausim affirmare dicere; praesertim cum in commemorato Vitruvii Capitulo verba quaedam sint, quae potius ostendant rem secus fuisse, ac declarata a nobis est. Si enim *cellae* nomen expendatur diligentius, haud sane videtur significare cubile reponendarum statuarum; sed rem potius clausam, atque repostam; quemadmodum appellare solemus cellam vinariam, locum, in quo vina, cellam penuariam, locum, in quo penum reponimus, cellas denique apum domunculas, quae suo pariter ambitu conclusae sunt. Quamobrem si vocis vim proprietatemque spectare voluerimus, existimare oportebit, cellae nomine indicari potius rem clausam, veluti quoddam vocis ab imposito vase reflexae receptaculum, hians tamen atque apertum ex parte superiore et inferiore. Quod si ita est, credendum erit, vocem ex Actoris ore proficiscentem, juxta Vitruvium, haud statim ferri in cellam ipsam, quemadmodum nos ajebamus, sed in vas cellae impositum; hinc vero in cellam ipsam

illabi; ex qua per inferiorem partem in hunc finem apertam prodeat, atque inde reflexione undae aeris deveniat ad aures auditorum: quae sane res multum abest ab eo, quod opinabar ego: nihilo tamen minus modus ille a me expositus probetur veluti novus, atque in eum finem propositus, ut ab aliis tum ratiocinatione, tum experientia possit expendi, et examinari; neque tamen iccirco verba Vitruvii omittamus ad trutinam revocare, ut eorum vim assequi possimus. Itaque Vitruviana quidem verba indicare videntur, *cellas* esse loca quaedam ambitu suo clausa; quod non modo confirmat vox ipsa, uti dictum est, sed ea etiam verba: *circaque habeant locum vacuum, et a summo capite spatium*; ubi de vasis sermo est: nam si cella esset cubile aliquod, haud satis apte in rem propositam verba illa caderent: confirmant et haec alia: *et habeant in parte, quae spectat ad scenam, suppositos cuneos*; ubi profecto necesse est aliquid esse, quo cunei sustineantur, quae res fortasse erit ipse cellae ambitus; confirmant illa quoque ad extremum: *contraque eas cellas relinquantur aperturae inferiorum graduum cubilibus*, quo (subdit Daniel Barbarus) exire vox e cella possit: quare aditus voci a vase prius reflexae patebit ex parte superiore; quam rem videntur confirmare alia illa verba: *ita hac ratiocinatione vox ab scena, uti a centro profusa, se circumagens, tactuque feriens singulorum vasorum cava excitaverit auctam claritatem*: quo loco videtur indicare Vitruvius velle, vocem ab scena profusam ferri statim debere in vasa ipsa, a quibus deinde reflectatur in cellas, atque inde serpat per universum Theatrum. Quamobrem existimaverim, vasa quoque hyperbolica esse oportere, sed focum interiorem habentia non prope, sed in scena, a quo foco acceptas sonoras lineas divergentes, easdem reflecterent pariter divergentes in cellam. Atque hinc haud crediderim, cellis imponi vasa debuisse, veluti totidem galericula omnino inversa deorsum, sed ita inflexa, ut ore partim respicerent scenam, partim vero cellam ipsam, cujus non aliud demum videtur officium esse, quam ad modum cujusdam clausi canalis vocem custodire, eamque ex inferiore parte per Theatrum universum diffundere. Atque haec ea rerum constitutio est, quae ex ipsius Vitruvii verbis colligi videtur posse.

Sed nec illud tamen absurdum judicaverim, vasa cellis non fuisse instar galerorum imposita, at intra cellas ipsas fuisse locata, spatio tamen aperto atque hiante in parte superiore, quemadmodum Vitruvius ipse indicat verbis illis: *circaque habeant locum vacuum, et a summo capite spatium*; quae sane verba indicio sunt vasa isthaec intra cellas esse debere: si enim forent extra cellas, haberent jam ipsa ex hac sua constitutione a summo capite spatium, neque causae quidquam esset, cur id a Vitruvio moneretur; praesertim cum spatium illud requiri videatur, ut voci subeunti pateat via, uti explicat Barbarus. Vas igitur erit intra cellam, non autem extra cellam; quod si ita sit, intelligemus, vocem ferri in vas ipsum haud jam per lineam rectam, at per flexuosam ob undarum aeris dilatationem, quemadmodum ob casum lapidis fit in undis aquae, e cujus vasi cavo deinde in ipsam cellam reflectatur, ac rursus in vas, ita ut ex ejusmodi reflexionibus reciprocatio quaedam vocis, quasique perennis quaedam echo enascatur; voce tamen adhuc per anticas prodeunte aperturas, quae juxta Vitruvium in ipsis faciendae sunt cellis, ac manante per amplitudinem Theatri, cellis formam camerarum, seu testudinum referentibus, quemadmodum innuunt etiam Augustinus Gallus, et Aloysius Pyrovanus Interpretes Vi-

truvii. Id igitur, quo clarius exponeretur, apposito schemate (Tab. R Fig. 22.), quandam rei deformationem exhibui. Sit ergo in eo schemate cella OAR in modum fornicis constructa, ex parte superiore, ubi adscripta est littera A, aperta, uti etiam qua parte Auditores prospectat secundum foramen FP; vas autem erit K, a basi OR distans, ut minimum, semipede, suspensumque cuneis SK, IK: subibit ergo vox per foramen A, atque hinc illabetur in vas K, a quo reflectetur in cellam OAR, effundeturque ad Auditores per foramen FP. Si quis autem putet, vas inversum, idest ore sursum converso exstitisse, utrumque positum, et utramque constitutionem experiri poterit, ae videre, uter magis e re sit, uter praestet rem utiliorem. In ambitu vero CBD ordine sunt digestae cellae tredecim, singulae ipsi OAR similes, clausis inter duas quasque spatiis intermediis, cellasque parietibus interpositis sejungentibus, ita ut omnes simul ingentem veluti gradum quendam constituant extantem supra caeteros, in quibus sedere Auditores solent. Quod si cellae a se mutuo non sejungerentur, sed CBD esset quidam veluti canalis in semicirculi figuram conformatus, in quem vox influeret per ora C et D, prodiretque per anticas aperturas, cujusmodi est FP, incorrupta, sed aucta intra canalem CBD ob reflexiones factas ab ipsis vasis eo, quo dictum est, ordine dispositis; credo, rem haud prave successuram esse.

Verum unicuique liberum sit opinionem illam amplecti, quam judicaverit esse probabiliorem: ego enim de hac re nihil ausim certi constituere. Quod ad figuram autem vasorum pertinet, dicam et illud, vidisse me eorum deformationes apud memoratos Vitruvii Interpretes, qui illa exhibent veluti totidem, ut vulgo appellamus, campanas; quae res pariter confirmat figuram hyperbolicam jam superius commemoratam (quae demumcumque sit eorum constitutio) ad quam videntur aera campana accedere. Figurae tamen istae non eta severe capiendae sunt, ut non liceat ab illis aliquantillum aberrare: satis tst enim, si ad eas accedamus. Inquit enim Vitruvius idem (eodem memorao capite) multos fuisse, qui vasis non metallicis, sed testeis, cujusmodi urnae sunt, usi, effectus utilissimos in Theatris pepercre. Habebant autem Veteres et aliud genus vasorum, ait Heron, ad excitanda in iisdem Theatris tonitrua; ad quorum vasorum, uti et eorum, de quibus hactenus locuti sumus, cognitionem non dubito posse nos quoque, adhibito studio, ac labore aliquo, pervenire, si doctrinam cum experientia conjunxerimus.

FINIS

DE ECHEIS SIVE PHONISMIS
THEATRI CORINTHIACI
A VITRVVIO

DESCRIPTIS LIB. V. CAP. V.

DIATRIBA

QVAE EST CAPVT I. OPERIS

P. ATHANASII KIRCHERI

CVI TITVLVS EST

PHONVRGIA NOVA

DE ECHEIS SIVE PHONISMIS THEATRI CORINTHIACI A VITRUVIO DESCRIPTIS DIATRIBA

Magna hoc loco de incitandis vasis controversia est, dum multi capere non possunt, quomodo haec harmonica vasa sonitum ediderint. Quidam putant, vasa malleolos habuisse filis aut funiculis ferreis affixos, qui ad eorum attractum campanis allisi sonuerint, non secus uti in modernis Campanariis organis fieri solet: ita Caesar Caesarianus in *Commentariis suis in Vitruvium.* Nonnulli sola aeris ex voce comoedorum agitati illisione, et impetu vasa sonuisse arbitrantur. Veruntamen hoc subsistere non potest, cum nulla vox tanta sit, quae ad campanam aliquam incitandam sufficiat; et patet in nostris campanis, quae, si sola agitatione aeris sonare possent, diceremus profecto eas perpetuum sonitum effecturas, cum aeri perpetuo expositae sint, et in alto ut plurimum loco, ubi ventus multum dominatur; neque tamen experientia ulla docuit, ventum etiam quantumvis impetuosum hujusmodi sonum unquam causasse. Imo ut aliquam hujus rei experientiam sumerem, campanas vitreas conflari curavi, easque *Vitruviana* methodo locis concavis situata studiose disposui, voces secundum omnes intensionis gradus adhibui, neque tamen quicquam soni perceptum fuit, sed tinnitus tantum, qualis in puteis et locis concavis sentiri solet. Volunt tamen plerique concavas illas cellas, et vasa tantum fuisse adhibita ad magnam resonantiam theatro conciliandam. Quod non nego; sed, quid tam ingeniosa in vasis juxta consonantias harmonicas proportionandis industria sine eorundem attactu immediato contulerint, non video. Ad quem finem tam studiosa et subtilis secundum triplex Musicae genus diatonicum, chromaticum, enharmonicum vasorum distributio ordinata fuerit, dispicere minime valeo, cum sine symphonia actuali haec omnia inutilia fuerint, et nullius usus. Vel igitur dicendum est, tantum ad voces comoedorum augendas fuisse institutas, vel alium aliquem usum habuisse, sed verisimile non est, Echea cum tanto harmonico artificio ob solam majorem vocis resonantiam compacta fuisse; neque etiam dici potest, ut paulo ante probatum fuit, voce sola, sive illisione aeris in ea facta, in harmonicam symphoniam fuisse incitata. Unde Bonaventura Cavalerius in *Opusculo de Speculo Ustorio* putat cellas hasce *Vitruvianas*, uti et Echea, partim parabolicae, partim hyperbolicae figurae fuisse, in quibus vox ingressa allisaque infinita quadam radiorum multiplicatione augebatur; et ut hoc probet, multo aliam adducit hujus theatri fabricam, quam a Vitruvio descriptam legimus: a loco enim vocis usque ad cellas fornices parabolicos fingit, in quibus veluti a centro parabolicorum fornicum vox diffusa, et in infinitum multiplicata, mirificum effectum praestabat, tum in intensione vocis, tum in concitandis Echeis. Verum cum (ut dixi) hoc pacto is novum thea-

trum fingat, de quo nihil apud Vitruvium simile legatur, Architectis non usque ideo satisfecisse videtur, cum abstrahendo a textu Vitruvii unusquisque novas fabricas Echeas facile comminisci possit. Quaeritur igitur, quomodo haec theatra tantam haberent resonantiam, et quomodo disposita fuerint vasa ad tam luculentum effectum, quem Historici referunt, edendum? Notandum igitur, duplicem harmonicum sonum considerari posse in hujusmodi Echeis; primus fiebat per tinnitum quemdam, sive bombum harmonicum, dum voces externae cellulas subeuntes, et varia agitatione illisae, tandem multiplicato sono, et veluti impetu quodam facto, in Echea vasa eum tinnitum, quem vasorum tremor exhibebat, reddiderunt; alter esse poterat per malleolos funiculis attractatos, atque in Echea illisos constitutus; prioris usus videtur fuisse, ut vox Comoedorum in concavitates illas recepta, ibidemque multiplicata majorem resonantiam acquireret, uti dictum est, et omnes mecum consentiunt in Vitruvium commentatores; qui quidem nihil aliud erat, quam tinnitus quidam symphoniacus ex tremore Echeorum varie harmonica proportione distributorum causatus; alter usus fuisse potuit in praeludiis aut intermediis. Nam ut Auditores excitarent, et expectationem rerum secuturarum acuerent, antequam personae theatrum ingrederentur, Echea sonita fuisse; sed sonare non poterant, nisi filis ferreis malleis suis instructis per omnes cellas deductis. Hoc enim filo per omnes cellas singulari industria traducto, unusquispiam huic negotio specialiter deputatus, omnia vasa in harmoniam perfectissimam incitavit; quae vasa in cellis vehementem sonitum excitabant longe lateque perceptibilem, et tanto majoris admirationis, quanto machinatio musurgiaca erat occultior: atque hunc usum fuisse praecipuum ipse Vitruvius insinuat hisce verbis: *Excitavit auctam claritatem, et concentu convenientem sibi consonantiam.* Concentus igitur fuit vasorum juxta consonantias musicas concinnatorum; at similem vehementem concentum solius vocis illisione fieri non posse, supra dictum est: dicta itaque ratione per funiculos occultos in harmoniam excitata sonuere, quod et subolfecit Caesar Caesarianus supracitatus. Et nisi hac ratione contigerit, non video, quis ullus alius modus esse potuerit, quo in consonantiam incitata fuerint. Hoc enim eodem artificio, Plinio teste, tonitrua aliaque murmura exhibebant. Quod vero Vitruvius de dictis funiculis et malleolis nihil aperte dicat, hoc ideo factum est, quod simile theatrum ipse nunquam viderit, sed a Graecis relatione tantum acceperit. Unde Aristoxenum, quem hujusmodi theatri Auctorem exstitisse, verisimile est, frequenter allegat, musica ejusdem praecepta sequitur ipse dubius; neque aliud hujusmodi theatrum in Graecia, aut Romae fuisse praeter illud *Corinthiacum*, ex quo Periclem, teste eodem Vitruvio, Echea ablata ad aedes *Fortunae* Romae suspendisse legimus. Et certe videtur ipse Vitruvius aliquam circa hujus theatri constructionem objectionem habuisse a peritioribus sui temporis Architectis, quam ipse proponere, et una solvere, hisce verbis ostendit.

Dicet forsan aliquis, multa theatra Romae quotannis facta esse, nec ullam rationem harum rerum in his fuisse: sed erravit in eo, quod omnia publica lignea theatra tabulationes habeant complures, quas necesse est sonare. Hoc vero licet animadvertere etiam Citharoedis, qui superiori tono cum volunt canere, advertunt se ad scenae valvas, et ita recipiunt ab earum auxilio consonantiam vocis. Cum autem ex solidis rebus theatra constituuntur, id est, ex structura caementorum, lapide, marmore, quae sonare non possunt, tunc ex his

hac ratione sunt explicanda; sin autem quaeritur, in quo theatro ea sint facta Romae? non possumus ostendere, sed in Italiae Regionibus, et pluribus Graecorum Civitatibus, etiamque Auctorem habemus L. Mumium; qui, diruto theatro *Corinthiorum*, ejus aenea ROMAM deportavit, et de manubiis ad aedem *Lunae* dedicavit. Multi etiam solertes Architecti propter inopiam fictilibus doliis ita sonantibus electis hac ratiocinatione compositis perfecerunt utilissimos effectus.

Et in tantum quidem placuit inventio hujus theatri Vitruvio, ut ejus causa totius Musicae theoricae fundamenta praemiserit, quamvis et ipse in multis dubius difficultates occurrentes non praeviderit. Si enim perfectam Musicae scientiam habuisset, nunquam in minoris theatri Echeis describendis usus fuisset Enharmonico genere, cum hoc ad concentum exhibendum propter variae misturae sonos in aereis vasis intravenientes inutile sit, ut *septimo Libro Musurgiae nostrae* fuse probavimus: neque fieri potuerit, ut aenea illa vasa tam exacte fusa fuerint, ut Dieses et Dieses in minutissima intervalla distincte exhiberent. Diatonicum igitur genus huic negotio aptissimum adhibere debebat consultius; cum enim Diatessaron, et Diapente adhibeat in Enharmonico genere, quid aliud nisi Diatonicum describit?

Unde patet, quam multa etiam in maximorum Auctorum monumentis lateant erronea, quae si intime discuterentur, vel in ipsis solibus deformes maculae detegerentur. Unde colligo, verisimile esse, Vitruvium hujusmodi theatri fabricam ex aliquo manuscripto Aristoxeni simpliciter descriptam posteris exhibuisse; cum multa in dicta trium generum descriptione occurrant, quae cum regulis musicis convenire non possunt.

Sed audio nonnullos obmurmurantes, multa habuisse Graecos admiranda, quorum ratio posteros fugerit, et e talibus unum fuisse *Theatrum Vitruvianum*, in quo et Echea tali industria et arte quadam incomprehensibili ita fuerint adaptata, ut sola voce excitata fuerint. Verum cum hujusmodi res omni experientiae repugnet, de ea quoque nullus sapiens disceptare debet, nisi forte nobis persuaserit aliquam occultam intelligentiam ad vocis sonitum ea concitasse, quod ridiculum, ne dicam stultum, esset asserere. Est enim proprium hujusmodi rerum Graecanicarum admiratoribus, somnia sibi fingere, et quaelibet ad placita sua stabilienda, etiam a ratione et experientia dissona excogitare. Non tamen negaverim, uti et supradictum est, tinnitum aliquem symphoniacum ex recitatione Comoedorum fuisse perceptum, quemadmodum et experientia supra nos docuit; sed eum nequaquam sufficientem fuisse ad intentum ab antiquis finem obtinendum. Nonnulli advertentes in *Hyppodromi Romani* adhuc superstitis vestigiis, nescio quae testacea vasa visceribus murorum inserta, in eam devenere sententiam, hujusmodi vasa non alia de causa ibidem disposita fuisse, nisi ad resonantiam theatri augmentandam. Verum vehementer hallucinantur, cum dictus *Hyppodromus* nec formam theatri, multo minus ob currentium equorum hominumque tumultuantium strepitum, resonantia indiguerit. Dico itaque, testacea illa vasa ad pondus murorum sublevandum, quemadmodum et hodierno die in fornicibus tophaceis pondere sublevandis adhuc fieri videmus, inserta fuisse. Atque haec sunt, quae de theatro Vitruvii dicenda nobis occurrerunt, sed jam calamum ad alia convertamus.

F I N I S

INDEX OPUSCULORUM

QUAE IN HAC PRIMA PARTE

PRIMI VOLUMINIS CONTINENTUR

Exercitationes Vitruvianae Primae; hoc est

Joannis Poleni Commentarius Criticus De M. Vitruvii Pollionis Architecti X. librorum Editionibus nec non de eorundem Editoribus atque de aliis qui Vitruvium quocumque modo explicarunt aut illustrarunt . . . . pag. 1

Additamenta Editoris praesentis ad Exercitationem I. Joannis Poleni . . . . „ 119

Exercitationes Vitruvianae secundae; hoc est

Joannis Baptistae Morgagni Epistola, in qua agitur de quodam Vitruvii loco ad rem medicam attinente . „ 127

Marci Vitruvii Pollionis Vita conscripta a Bernardino Baldo Urbinate cum annotationibus Joannis Poleni . . „ 133

Anonymi Scriptoris compendium architecturae Vitruvii cum Annotationibus Joannis Poleni . . . . „ 151

Exercitationes Vitruvianae tertiae; hoc est

Claudii Ptolomaei Cursulensis Epistola in qua agitur de nova librorum Vitruvii editione adornanda . . . „ 195

Elementa architecturae collecta ab Henrico Wottonio . „ 203

Baldi Bernardini Scamilli Impares Vitruviani nova ratione explicati . . . . „ 237

Goldmanni Nicolai Voluta Jonica Vitruvii, hactenus amissa, modo autem restituta . . . . „ 259

Salviati Josephi pictoris ratio accurate deformandi tum Volutam, tum capitulum Jonicum secundum Vitruvii praecepta . . . . pag. 267
Bertani Jo. Baptistae Loca obscura et difficilia operis Jonici Vitruviani perpetuo commentario et figuris illustrata . . . . „ 275
Cavalerii P. Bonaventurae Diatriba de Echeis, hoc est de vasis theatralibus de quibus fecit mentionem Vitruvius lib. V. cap. V. . . . . „ 299
Kirkerii D. Athanasii de Echeis sive phonismis theatri Corinthiaci a Vitruvio descriptis lib. V. cap. V. . . . „ 307

TAB. A.

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 5.





Fig. 6.



TAB. B.

Fig. 7.




Fig. 8.




Fig. 9.




Fig. 10.




Fig. 11.





Fig. 12.



TAB. C.

Fig. 13.




Fig. 14.



Fig. 15.



Fig. 16.




Fig. 17.




Fig. 18.




Fig. 19.





Fig. 20.



TAB. D.

Fig. 21.




Fig. 22.




Fig. 23.




Fig. 24.



Fig. 25.



Fig. 26.



Fig. 27.




Fig. 28.



Fig. 29.



TAB. E.

Fig. 30.



Fig. 31.




Fig. 32.







Fig. 33.




TAB. F.




TAB. G.



TAB. H.





TAB. K.

Fig. 1.





Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



TAB. L.

Fig. 5.




Fig. 6.




Fig. 7.




Fig. 8.




Fig. 9.




Fig. 10.




Fig. 11.




Fig. 12.




Fig. 13.




Fig. 14.




Fig. 15.




Fig. 16.




Fig. 17.




Fig. 18.




Fig. 19.




Fig. 20.




Fig. 21.





Fig. 22.



£ 90

Scheuring

M-73

1/-81

80 f

ALCUNE OPERE ITALIANE

Estratte dal Catalogo Generale dei Fratelli Mattiuzzi *e vendibili al loro Negozio in Udine.*

Valuta Italiana.

Alfieri. (Vittorio) Opere complete. Padova e Brescia 1811-. Vol. 35, in 8. . . . . L. 100:00

Ariosto. (Lodovico) L'Orlando Furioso arricchito di molte illustrazioni ed aggiunte inedite. Venezia 1772. Edizione splendidissima in vol 8 in foglio, con un rame per ogni canto, ed un fregio all'intorno di ogni pagina pure in rame. Unico esemplare in carta azzurra, leg. alla francese . . „ 350:00

NB. *Del medesimo Poema Ariosto si trovano al nostro Negozio diverse Edizioni.*

Bossi. (Luigi) Storia dell'I[illegible] antica e moderna. Milano 181[illegible] 19 in 18. grande, con figure e [illegible] Geografiche . . . . „ 80:00

Cesarotti. (Melchiorre) Op[ere] complete. Firenze 1806. Vol. 42 in 8 . . „ 150:00

Corniani (G. B.) I Secoli [della Let]teratura Italiana, colla co[ntinuazione si]no la metà del XVIII [...] milo Ugoni. Brescia [...] in 16. . . . . „ 30:00

Dante Alighieri. La [Divina Commedia] giusta la Lezione [del] Codi[ce Bartoli]niano, col riscontro [...] penna, e delle pr[...] aggiuntivi gli argo[menti] Trivulziano scritto n[...] menti latini del Codice [...] per opera del Prof. Q. Viv[iani]. Udine 1823. (*Fratelli Mattiuzzi*) Vol. 2 in 8. con una tavola incisa in rame, rappresentante il Poeta seduto alla Grotta di Tolmino, ed altra tavola del *facsimile* dei tre Cod. Bart., Font. e Triv.
In carta Quadretta fina . . . „ 11:00
„ Fioretta . . . . „ 15:00
„ Sotto Imp., leg. alla bod. „ 26:00

Dizionario degli Accademici della Crusca a cresciuto di giunte dall'Ab. Antonio Cesari. Verona 1806. Vol 8 in 4. . . . . „ 80:00

Galilei. (Galileo) Opere complete. Milano 1808-18. Vol. 13 in 8. [col ri]tratto dell'Autore, e tavole in [ra]me . „ 90:00

Galleria dei Letterati ed Artisti più illustri delle Provincie Venete, che fiorirono nel Sec. XVIII. Venezia 1824. Fascicoli 25, ciascuno dei quali contiene 6 Vite e relativi Ritratti, e formano due vol. in 8. . . „ 52:00

Gioja. (Melchiorre) Nuovo Prospetto delle Scienze Economiche ossia somma totale delle idee teoriche e pratiche in ogni ramo di amministrazione privata e pubblica. Milano 1815-17. Vol. 6 in 4. . . . . „ 55:00

Goldoni. (Carlo) Commedie, e Memorie sulla sua Vita. Venezia 181[...]. Vol. 50 in 8. fig. . . . . . „ 76:00

Gozzi. (Gaspare) Opere in verso e in prosa, edite ed inedite. Padova 1818. Vol. 16 in 8. . . . . „ 65:00

Metastasio. (Pietro) Opere complete. Mantova 1816. Vol. 20 in 16. ornati del ritratto dell'Autore, e d'incisione in rame . . . . . . „ 56:00

Monti. (Vincenzo) Proposta di alcune correzioni ed aggiunte al Vocabolario della Crusca. Milano 1818-24. Vol. 6 in 8. . . . . „ 28:00

Petrarca. (Francesco) Le Rime. Milano 1824. Vol. 2. in 8. . . . . . . „ 11:00

Re. (Filippo) Annali di Agricoltura del Regno d'Italia. Milano 1809-14. vol. 22 in 8. figurato . . . . . „ 100:00

Segneri. (Paolo) Opere complete. Brescia 1822-25. Vol. 22 in 8. picc. . „ 200:00

Tasso. La Gerusalemme Liberata, preceduta dalla Vita dell'Autore, con l'erazione distesa in s[...] dal Giacomini, e[...] estasi o sul [...] del Tasso, [...] delle ma[...] Firenze 18[...]. Splendida edizione [...] volumi [...] in foglio, carta velina; corredata del ritratto in rame, e ad ogni canto di una tavola disegnata ed incisa da valenti artisti, sotto la direzione del celebre cav. Raffaele Morghen . . . . „ 261:00


Tombe. (Le) ed i Monumenti degli illustri Italiani, descritte e delineate. Milano 1823. e seg. Saranno fascicoli 60 in 4. Usciti 14. . . . . . „ 72:00

Visconti. (Ennio Quirino) Opere complete. Milano 1818. e seg. Usciti vol. 9 in 8. con 700 circa tavole in rame „ 272:00

Vite e Ritratti di 60. illustri Italiani. Padova 1813. Quaderni 61 in 4, coi ritratti incisi a taglio dai più celebri incisori . . . . „ 300:00

Viviani. (Quirico) Versi e Prose. Venezia e Udine 1821-24. Vol. 3. in 8. fregiati del ritratto dell'Autore . „ 7:80

NB. *Trovasi al nostro Negozio un deposito di Stampe, di Musica, di Opere nuove, non che si ricevono Associazioni a tutte quelle Opere e Giornali che pubblica l'Italia e la Francia*




GETTY RESEARCH INSTITUTE

